
JOHANNIS SCHOTANI EXEGESIS IN PRIMAM & SECUNDAM MEDITATIONEM R...

Johannes Schotanus, Joannes Gaverus


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
11 M
10



JOHANNIS SCHOTANI

EXEGESIS

IN

Primam & Secundam

MEDITATIONEM

R. CARTESII.

ut &

QUÆSTIONES METAPHYSICÆ:


In quibus Methodus Cartesii asseritur; Mentis à Corpore realis distinctio ejusque immortalitas demonstrantur, variæ ex occasione quæstiones, etiam Physicæ deciduntur &c.

Editio nova.

Cui accessit dissertatio de VIRIBUS RATIONIS, EJUSQUE USU.









AMSTELÆDAMI,
Apud FRANCISCUM van-der PLAATS.

M. DCII.



AD LECTOREM.



Quibus inductus potissimum rationibus noster hic Author interpretandi sibi & vindicandi quædam Philosophiæ Primæ *capita laborem susceperit, ostendit in monitoria Præfatione, quam ipse quondam libro suo, quum primum prodiret in lucem, præfixit. Movit eum inprimis operis ipsius dignitas & præstantia, quod exquisitissimæ perfectionis nomen mereri omnes uno ore fatentur. Movit eum porrò hominum quorumdam sive malitia, sive ignorantia, qua præstantissimum hoc opus variis non modo & frivolis objectiunculis, sed insuper acerbissimis calumniis proscindere non erubescunt, ut hos, si fieri posset, quodammodo ad saniorem mentem reduceret. Accessit præterea elucidandæ & vindicandæ veritatis cupido, quam unicam omnes Proceres & Magistratus doceri volunt; hujus itaque causam agere voluit, hanc Juventuti studiosæ detegere, hanc in arduo hoc opere præmonstrare. Ad primum quod attinet, de operis præstantia; agunt hæ Meditationes de rebus & natura sua scitu dignissimis, & ad universam scientiam stabiliendam summè necessariis: in quarum igitur laudem sufficiet dixisse, eas esse conscriptas ab acutissimo illo & celeberrimo viro,* Renato Cartesio, *qui postquam in Mathesi, quidquid veteribus in accessum fuerat, quidquid à coætaneis suis desiderari poterat, Philosophiæ fundamenta incussa eruit, quibus plurimas veritates ordine ac certitudine Mathematica superstrui posse, & ipse revera demonstravit, & omnibus, qui illius scriptis nunquam satis laudandis animum sedulò applicuerint, luce meridiana clarius apparet. Alterum, de quorundam hominum sive malitia, sive ignorantia, palam est. Quis enim nescit, quot & quanti hostes has contra Meditationes insurrexerint? à quibus & ipse Car-*

tesius, seculi nostri decus & præsidium singulare, diu multumque vexatus, indignis undique modis lacessitus, multis tandem injuriis atque calumniis, qua fieri potuit acerbitate, oneratus sit, atque oppressus. Et quam, quæso, ob causam? profecto non ob aliam, quam quod miserrimam Philosophiæ sortem miseratus, à communi & trita scientias tradendi Methodo recesserit, & aliam de Rebus disserendi viam commonstraverit, novam ac tutam. Tertium denique, quod testatum hic Author legentibus voluit, se nempe suum hoc opus aggressum esse cupidine Veritatis utroque pollice probandum ac laudandum. Omnium enim maximè interest, ut veritas magis ac magis illustretur, & tenebris longè remotis, feriat oculos nostros clarum illud lumen Divinum, ne unquam erremus. Ille vero nonnullos cum Cartesio consentientes, tum veteres, tum novos adduxit hinc inde Philosophos: partim ut Adversarii, qui hasce summi Philosophi Meditationes non tantum inauditas, sed & insuper noxias novitates, imo & hæreses continere identidem clamitent, dediscerent calumniari; partim etiam, ut Studiosæ Juventuti ad legendos bonos Authores calcar adderet. Placuit autem Bibliopolæ hoc opus denuo publici juris facere, quod ut in Titulo verè scribi posset auctum (id enim maxime illi in votis erat) cæpit me rogare, ut quædam fronti præfigerem: nec molestum id erat munus, scripsi dissertationem de viribus RATIONIS *ejusque usu, non quidem elaboratam uti vellem, sed qualem licuit per otium contexere. Hoc te scire volui L. B. ne tibi spurium obtrudendo pro legitimo fœtu, illustrissimo* SCHOTANO *injuriam facere videar voluisse.*

JOANNES GAVERUS.

DISSER-

DISSERTATIO

DE

VIRIBUS RATIONIS,



Entis noſtræ propria hæc maximè natura, atque vis eſt, ut quid ſit, quid poſſit, non aliunde, quam ex ſe ſola addiſcat. Cogitationes ſiquidem primum & unicum principium ſunt, ex quo tanquam ex fonte, omnis ſcaturit ſcientia, cujus capax eſt genus humanum. Quidquid præter eas in rerum Natura eſt, ad noſtram de rebus notitiam nihil facit, niſi per notiones, quas in ſeſe Mens effingit. Has quippe ſolas per ſe ex intima, quæ de iis eſt, conſcientia novimus; reliqua omnia harum ope. Veri itaque cognitio, non tam in rebus, quæ ſeſe habent, prout ſe habent, ſive ego de iis cogitem ſive minus, quam in noſtris conſiſtit de rebus cogitationibus. Ex quibus clarè perſpicimus, nihil aut ingenium, aut ratiocinium poſſe, circa ea, quorum in ſeſe intelligentiam mens invenit nullam. Unde cum omnes, quæ in nobis ſunt Ideæ, vel cogitationis ſint vel extenſionis, patet his duobus rerum generibus omnem noſtram ſcientiam contineri; adeoque, qui ultra hæc duo, tertium quid in rebus ponunt, eos verbo ponere id, cujus nihil intelligunt: dein cum id, quod ponunt, & cujus ideam non habent, oratione explanare ſtudent, hoc ipſo delabi in verba nihil ſenſus, nihil ſignificationis habentia. Nec minus evidenter agnoſcimus, ſi notiones quaſdam in ſe inveniat Mens non ſatis explicatas, ex iis nulla nos formaturos unquam certa ratiocinia. Hæc enim cum conſiſtant in applicatione veritatum per ſe evidentium, ad has illaſve notiones, quid manifeſtius? quam ſi quid in his obſcuri lateat, ſi quid non

accuratè perſpectum ſit, hoc vitium neceſſario ſe immiſcere omnibus, quæ hiſce notionibus fundantur, ratiociniis. Scientiæ mater ſola ſcientia eſt, non ignorantia; cogitatio, non cogitationis defectus. Nullæ igitur certæ emanabunt concluſiones, præterquam ex ideis evidentiſſimè diſtinctiſſimèque perceptis. Quarum hoc præcipuum eſt, ut ex illis eædem profluant in cogitationibus ſequelæ, quæ ex ipſis ſequuntur rebus. Nam cum Ideæ rebus, quarum ſunt ideæ, conveniant exactiſſimè (non enim ex rebus ideæ, ſed ex ideis res definiendæ ſunt) inter quarumcunque rerum ideas idem conſequenter nexus erit, quem ipſe inter ſe res habent. Quod attendenti ita perſpicuum eſt, nihil ut clarius percipi queat. Ex his itaque & per has ideas omnis comparatur ſcientia. Hiſce ſuas vires, ſuam in ratiocinando efficaciam debet mens noſtra. Hæ ſolæ cauſæ ſunt effectrices, eæque neceſſariæ omnium conſecutionum, quas in ſeſe continent.

Ex his vero ideis, ſi qui ſint, qui tantopere corruptam perditamque rationem noſtram cenſeant, ut verum invenire nequeat, hi, quantum a vero aberrent, vel ſoli docebunt Mathematicorum filii. Geometræ enim, non verbis, non ut Logici ſolent, regularum quarundam partim inutilium, partim falſarum præſcriptione, ſed ipſo opere innumeris in exemplis commonſtrabunt, eam eſſe rationis noſtræ præſtantiam, eam ingenii perſpicientiam, ut, modo notionibus rite perſpectis inhæreat, nec ultra eas divagetur, in rebus etiam difficillimis verum quam certiſſimè invenire, plurima & à ſenſibus remotiſſima, & non niſi plurium argumentorum coacervatione cognoſcenda, quam evidentiſſimè concludere; & aſſenſum vel pertinaciſſimo extorquere poſſit. Quos eo quidem lubentius in hanc rem teſtes provoco, quoniam rerum ab ipſis oſtenſarum ea evidentia eſt, quam agnoſcere coguntur harum artium vel imperitiſſimi. Utinam illi, qui ſibi in eo placent, quod Mentis & Rationis vires infirment, quaſi mens noſtra ad veri inveſtigationem vix quidpiam valeret, in Geometricis hiſce experti eſſent primùm, quid Mens, quid Ratio, modo rectè exculta, vere poſſit, antequam de ejus viribus tam abjectè loquantur. Verum ita uſu venit, ut, qui ipſi vix ulla in ſe certa ratiocinia deprehendunt, id non tam ſuæ aut ignorantiæ, aut

per-

perversæ investigandi Methodo adscribant, quam Naturæ, quam Rationi.

Etenim Ratio communis est evidentiæ & veritatis; fieri namque omnino nequit, ut animus rei alicujus claritate concutiatur, quin illico veluti Lanx impositis ponderibus, cedat, & spretis omnibus præstigiis, quibus ab ea depelli potest, illam probet, atque ut veram amplectatur. Hinc Platonici rationem vocarunt comprehensibilem; siquidem ratiocinando animus res ipsas perspicue contemplatur, atque hoc pacto veritatem assequitur: Omnium enim animis à natura inpressum est, ut quoties aliquid clare percipimus, ei sponte assentiamur & verum esse judicemus. Pro Criterio igitur & infallibili certitudinis nota tutò recipere licebit: Omne id esse verum ac certum, cujus nos claram & distinctam habemus intelligentiam, seu quod nobis adeo perspicuum est, ut nulla in eo sit falsitatis suspicio. Cum enim cognitionem nostram sequatur judicium, & per Ideas quæ menti insunt de rebus decernamus; fit inde, ut quicquid in rei idea clarè & distinctè continetur, illud etiam de re dici & verè prædicari possit.

Et hoc quidem pacto tollitur summa illa dubitatio, quæ ex eo quondam à Cartesio petebatur, quòd nesciret, an fortè talis esset naturæ, ut etiam in iis falleretur, quæ ipsi evidentissima esse videbantur? Quin & aliæ omnes causæ dubitandi ab eo recensitæ, facile ex hoc principio tolluntur. Non enim jam nobis Mathematicæ veritates debent esse suspectæ, quia sunt valde perspicuæ. Certum est enim nihil nos unquam falsum, pro vero, admissuros esse, si iis duntaxat assensum præbeamus, quæ clarè & distinctè à nobis percipiuntur. Quare cum illa dubitatio, non ex claræ perceptionis defectu, sed potius à quodam fingendi excessu, & quicquid excogitandi libertate, quod Scientiarum certitudini adversabatur, profecta sit; ambigi nequit, quin hujusmodi enunciata adeo dilucida sint, ut nullæ de iis dubitandi rationes reperiri queant, nisi forte mihi fingam Creatorem, qui me talem esse voluit, ut etiam fallar in evidentissimis: quod est absurdum.

Clara igitur & distincta perceptio, unicum & stabile est princi-

ci-

cipium, quod aliquid de re cognoſcibili, non tantum certò & decretoriè ſtatuitur; ſed etiam tanquam *Lapis Lydius* haberi poteſt, quo Veritas exploratur, & quandonam verum judicium de rebus profertur, detegitur. Enimvero, ſi ſedulò meditemur, accuratiuſque examinemus, cur à nobis impetrare non valemus, ut confusè & obſcurè perceptis, quamdiu talia exiſtimamus, aſſenſum præbeamus; à clarè autem & diſtinctè cognitis, illum cohibere penes nos non ſit, ſtatim Intellectus lumen, ſuccurret, iuſinuabitque, id ita à nobis fieri, quoniam in iſtis falſitatem aut incertitudinem: in his verò veritatem & certitudinem deprehendimus. Sic ut evidens & diſtincta perceptio cauſa ſit, cur judicium noſtrum verum & ſtabile eſſe pronunciemus; obſcura autem & confuſa, cur dubium & incertum. Fundamentum igitur, cui omnis certitudo humana nititur, in hoc dici poteſt conſiſtere: Imprimis, ut ſtatim ac aliquid rectè à nobis percipi putamus, ſponte naturalique lumine impulſi, verum illud eſſe nobis perſuadeamus. Si vero hæc perſuaſio tam firma ſit, ut nullam unquam poſſimus habere cauſam dubitandi, de eo quod nobis ita perſuademus, nihil eſt quod ulterius inquiramus, ſiquidem omne id habemus, quod cum ratione liceat optare. Quid enim ad nos, ſi quis fortè fingat illud ipſum, de cujus veritate tam firmiter ſimus perſuaſi, Deo vel Angelo falſum apparere, atque ideo abſolutè loquendo falſum eſſe? Quid iſtam, inquam, falſitatem abſolutam curamus, cum illam nullo modo credamus, nec vel minimùm ſuſpicemur. Supponimus enim perſuaſionem pleniſſimam ac firmiſſimam, quæ perſuaſio idem planè eſt, ac perfectiſſima certitudo.

Ideas autem, quas clarè diſtinctèque percipimus, aut nullas eſſe, aut oppidò paucas qui exiſtimat, excutiat quæſo, interiores mentis ſuæ receſſus, & multiplicem inveniet idearum quam evidentiſſimè perceptarum varietatem. Quid in ſeſe geratur, quas cogitationum formas, quas habeat generales rerum imagines, Mens quam clariſſimè diſtinctiſſimèque percipit, modo nihil illis admiſceat corporei, nihil, niſi cujus intimè eſt conſcia. Quibus evidentia ne vel minimum cedunt ideæ extenſionis, magnitudinis, figurarum, motuum, omnium proprietatum corporalium,

modo

modo ab iis, quicquid est cogitationis, accuratissimè segregemus. Nec sensuum hæ sunt ideæ, utut plurimi sensibus omnia propemodum tribuere amant, & ex iis quasi conflare mentem, sed intellectûs. Quod vel ex eo conficitur, quia inter omnes ideas nullæ ad certam scientiam minus valent, quam quæ propriæ sunt singulorum sensuum. Ex ideis Caloris, Frigoris, Colorum, Sonorum &c. nemo unquam evidens efformaverit ratiocinium. Hæ namque nihil corporeum nobis repræsentant, sed mentis affectionem simul cum motibus corporeis productam. Cujus ut sumus conscii, ita inter eam, utpote quæ mentis est, & corpus, nulla concipitur communitas, ex qua, quî hæc inter se cohæreant, ratione investigetur. Unica itaque veri certique materia in ideis est, non quatenus illæ à sensibus, sed quatenus ab intellectu proficiscuntur.

Haud me fugit, esse nonnullos, qui uti omnes ideas oriri à sensibus, ita etiam omnium propositionum evidentiam, ab iisdem hauriendum esse sensibus dicunt. Sed quam utrumque hoc falsum sit, paucis jam ostendam. Ut autem hic nihil dicatur, quod indubitatum non sit: Quid, quæso, ipsa cogitatione distinctius concipimus? quæ propositio hac clarior, *Cogito ergo sum*? Jam vero exploratam non possumus habere hujus dicti certitudinem, nisi distinctè noverimus, quid sit esse, quid cogitare. Nec profecto à nobis exigendum, ut hos terminos ulterius explicemus, quia ex iis sunt, quos homines adeo clarè intelligunt, ut uberiori explicatione tenebris involverentur. Si itaque inficiari non potest, quin in nobis habeamus ideas Entis & Cogitationis, etiam atque etiam rogo, per quam demum sensuum januam penetrarint? Lucidæne, an coloratæ, ut per visum? Gravesne sint an acutæ, ut per auditum protuerint intrasse? gratine odoris an fœtent, ut per odoratum; cujus saporis ut per gustum: frigidæne an calidæ, ut per tactum aditum tibi ad mentem fecerint? Si autem dicantur ex aliis sensibilibus imaginibus efformatæ, una commonstrandæ erunt sensibiles illæ imagines, è quibus hæ cogitationis, & entis ideæ dicuntur emicuisse? Et ostendendum, quo demum modo emicuerint, an per compositionem, ampliationem, diminutionem, aut similitudinem? Et si

his omnibus nihil reponi poterit, quod non sit à ratione alienum, fatendum erit, ideas Entis & Cogitationis, ut sibi mutuo respondeant, nullo modo originem ducere à sensibus, sed mentem nostram in se habere illarum efficiendarum vim, quamvis mens sæpe excitetur ad eas efficiendas, ab aliquo quod fuerit sensûs.

Idea in nobis nulla est realior quam ipsius Dei, tanquam Entis summè perfecti, quam in se omnes experiuntur, quotquot sunt, vel unquam fuerunt homines, tametsi ab omni humanitate prorsus alieni. Quis tamen Deum sibi aut aliis unquam repræsentare potest sub aliqua figura? Nec refert quod Deus nonnunquam nobis exhibetur sub habitu venerabilis senis: quia si Deus sub hoc simulacro innotescere fingatur (quæ digna solis Anthropomorphitis sententia est) quodcunque aliud judicium, de Deo formemus, illud falsitatis arguere cogemur, si Dei ideæ adversetur, & ei in omnibus non correspondeat. Quia naturali lumine ad credendum adducimur, falsa illa esse judicia, quæ à rerum ideis, quæ in mente nostra versantur, dissentanea sunt, ac proinde nunquam cum certitudine affirmare possumus, Deum partium esse expertem, non Corpore constare, esse invisibilem, & in omni loco reperiri: quoniam hæc omnia cum venerabilis Senis Idea non conveniunt, imo hæc duo inter sese omnino discrepant. Et quamvis se Deus nonnunquam sub hac specie exhibuerit, non inde sequitur nos aliam ab illa ideam de Deo non habere. Sic namque una nobis fuerit spiritus S. & Columbæ idea, cum ille sub hujus forma apparuerit: concipiendus etiam nobis Deus esset instar Soni, quia sonus quo Dei nomen effertur, Dei ideæ in nobis excitandæ inservit. Falsum est igitur omnes nostras ideas à sensibus proficisci; imo è contra dici potest, nullam idearum quæ menti insunt ab illis esse, nisi per accidens, quatenus scil. motus in cerebro excitati, quos solos efficere sensus possunt, ansam præbent animæ varias ideas formandi, quas aliter non formaret; licet fermè semper, hæ ideæ nihil simile iis habeant, quæ in sensoriis & cerebro peraguntur: imo idearum pars magna sit, quæ nihil corporeæ imaginis admixtum habens, non sine manifestissimo incommodo, ad sensus referri potest.

Alte-

Alterum, quod tamen quidam autumant, omnem nempe certitudinem hauriendam esse à sensibus: ut cum dicunt, hoc axioma, quo nihil clarius evidentiusque optari solet, totum esse majus sua parte, ideo tantum assensum nostrum mereri, quia hoc sensu percipitur, non minus falsum est, quam illud, quod jam refutavimus. Nam si veritas hujus axiomatis, *totum est majus sua parte*, nobis constaret tantum per sensus, quia à prima infantia observavimus, omnem hominem suo capite, domum triclinio, sylvam arbore, cælum sydere esse majora, foret illa solummodo probabilis; cum inductio tunc tantum veritatis cognoscendæ medium certum sit, quando certum est, illam esse perfectam & integram. Cum tamen nihil usitatius sit, quam ejus falsitatem detegere, quod nobis antea verum videbatur, ob inductionem adeo generalem, ut nullam dari exceptionem posse arbitrati fuerimus.

Nam haud ita pridem pro re prorsus indubia habebatur, aquam in vase contentam recurvo, (cujus altera pars, altera multo est capacior) ad libellam constitutam non altius in parte exili, quam in repanda abscensuram. Hoc enim videbatur factis innumeris experimentis comprobatum, quod tamen nuper falsum esse deprehensum est, modo vasis recurvi pars altera admodum exilis sit: in illam enim aqua altius adscendet quam in majori. Ex quo confectum manet, nullius nos posse veritatis certos fieri solis inductionibus sensuum, sed tantummodo intellectu: atque proinde hanc veritatem, totum esse majus sua parte, unicè dependere ab eo, quòd hoc in claris & distinctis, totius & partis, ideis clarè & distinctè continetur. Quod autem sæpius observavimus hominem capite, domum triclinio majorem esse, nobis solum occasionem potuit porrigere attentiùs considerandi ideas totius & partis. Nam omnino falsum est, illas observationes absolutam illam, & inconcussam certitudinem, quam de illius axiomatis veritate habemus, generare, ut jam est demonstratum.

Quoniam autem omnis nostra scientia comparatur ope idearum, nec ulla alia datur Regula veritatis, dicendum erit, ita de rebus judicandum, uti earum ideæ menti repræsentantur. Sic quia in idea hominis animal continetur, tuto affirmari potest de ho-

mine quod ſit animal: & quia in idea circuli diametrorum æqualitas concluditur, affirmari quoque poteſt, quod habeat æquales diametros. Si autem judicia quæ formamus, dum has ideas contemplamur, cogitationes tantùm noſtras, non res ipſas repræſentarent, id eſt, ſi ex eo, quod nos clarè percipiamus, diametrorum æqualitatem contineri in idea circuli, nobis jus non competeret concludendi omnem circulum revera habere diametros æquales; ſed tantùm affirmandi nos ita cogitare, evidens eſt nos nullam habere poſſe de rebus ſcientiam, ſed tantùm de cogitationibus: ac proinde rerum illarum omnium ignari eſſemus, quarum nos credidimus eſſe certiſſimos, & hoc pacto induceretur Scepſis deridicula, quæ jam diu exploſa eſt.

Sed periculum non eſt; ne quis ſerio arbitretur, nos nullius rei, prout in ſe eſt, veritatem cognoſcere aut falſitatem. Nam quædam adeo ſimplicia, adeo evidentia ſunt, uti cogito ergo ſum, totum eſt majus ſua parte, ut prorſus ſit impoſſibile ſerio & bona fide dubitare an in ſe ipſis talia eſſent, qualia illa concipimus. Non tamen ex hoc unico principio ſtatuere poſſumus quid ſit axioma, cum in Ideis quædam contineantur, quæ poſſunt & debent demonſtrari, uti in triangulo æqualitas trium angulorum cum duobus rectis, vel in hexagono æqualitas omnium cum octonis rectis. Sed videndum eſt, an mediocri attentione tantùm opus ſit; ut ſciamus attributum in idea contineri: an vero alia adſciſcenda ſit idea, cujus ope connexionem detegamus. Nam ſi adſcititia idea non opus ſit, ad hanc detegendam, propoſitio axiomatis valorem obtinebit, præſertim ſi ad hanc connexionem cernendam, tantummodo requiratur mediocris attentio, quam etiam infima ingenia adhibere poſſunt. Sic quia vel minima conſideratio inſtitui non poteſt, quin clarè innoteſcat ideam attributi (Entis) revera contineri in idea ſubjecti, (Cogitationis) propoſitio, cogito ergo ſum, erit axioma, nec demonſtratione indigebit, quia ex ſe habebit omnem illam evidentiam, quam poterit habere à demonſtratione, quæ aliud nihil præſtaret, quam oſtendere illud attributum ſubjecto convenire, ope ſcil. tertiæ ideæ, illam connexionem declarantis, quod ſine tertiæ hujus ideæ opera jam factum eſt. Si vero alia idea, præter illam

lam quæ ipsius est rei, sit in auxilium advocanda, propositio illa debet demonstrari. Ut si dicam, mentem esse substantiam spiritualem, necesse est, ut ad elucidationem propositionis adhibeam ideam cogitationis; nec sufficit cogitationis cum solâ mente comparatio, si eadem cogitatio non concipiatur cum quadam relatione ad prædicatum, seu rem spiritualem, per quam dijudicari possit; mentine illud conveniat nec ne. Licet equidem affirmare mentem cogitare, ac proinde existere, non tamen illico concludere eam esse rem spiritualem, nisi innotescat relatio inter rem cogitantem & rem spiritualem.

Justa autem si compareat relatio inter ideas subjecti & prædicati, sive ut aliis dicam verbis, si ideæ inter se ritè connecti possint, futurum est ut nunquam erremus, si verè nectamus: tametsi multarum rerum fiat coacervatio, si modo ideæ juste excutiantur, & quod humani intellectus exigit imbecillitas, seorsim examinentur. Sæpe autem contingit (& hinc tot errores) quod præconceptæ rei alicujus ideæ aliam adnectamus prorsus disparatam & incompatibilem, cum falsò illas cognatas & compatibiles arbitremur; ac tum demum primæ ideæ ex hac unione aliquid attribuamus, quod ab illa prorsus est alienum. Ita fit, ut animam contemplantes, quæ substantia est cogitans, sensim aliquid admisceamus ideæ substantiæ extensæ; ut cum imaginamur animam non esse, si non sit in loco, quod corpori est proprium: & vicissim corpus considerantes ei adjungamus id ipsum quod unicè competit substantiæ cogitanti: ut cum dicimus gravia centrum petere; plantas alimenta sibi congrua petere; naturam in morborum crisibus velle sese exonerare iis, quæ nocent & sexcenta ejus modi alia, quæ plane sunt ridicula. Quod si probè cavemus, ne quid uni aut alteri ideæ misceamus, quod ei ex æquo non congruat, quid sit verum, quid sit falsum, continuo patebit. Ita si me quispiam roget, cujus sit mens figuræ, illico respondebo, hanc quæstionem manifestam implicare contradictionem, quoniam ideæ mentis & figuræ, ut substantiæ cogitantis & substantiæ extensæ nullatenus inter sese conveniant, sed quam latè pateant, a se invicem discriminentur. Si vero roger, anne anima sit immortalis? postquam perspexerim nihil in idea attributi contineri, quod non sit in idea subjecti, protinus annuam,

 certus.

certus, animæ competere immortalitatem, propterea, quod hoc attributum in idea animæ clarè atque distinctè continetur. Animæ enim proprium est cogitare, & in cogitationis idea nihil inclusum est, quod habetur in idea substantiæ extensæ sive corporis: cogitatio nulla partium varietate constat, nullam habet figuram, nullam recipit divisibilitatem, atque proinde hæ corporis proprietates omnes negari possunt & tolli, ipsa cogitationis idea integra remanente. Si vero anima sit res cogitans & indissolubilis, secus ac corpus, cujus partes facilè solvuntur, et si vel omne corpus possit destrui (quod tamen respectu formæ solum dicimus) salva anima, sequitur necessario eam perire non posse atque idcirco esse immortalem.

Vanæ igitur Pyrrhonicorum argutiæ, quæ neque apud eos, qui illas vendunt, res certas sua possunt certitudine exuere. Vana Academicorum subtilitas, qua conantur probare, non magis veritatem quam fugitivum servum posse cognosci, si hic stigmate, illa criteriis careat. Prout enim ad lucem à tenebris distinguendam, ipsa tantum luce, quæ sese oculis ingerit, opus est; ita etiam ad veritatem dignoscendam sufficit claritas illa, quæ veritatem circumambit, quæque nos nolentes & renitentes rapit in sui agnitionem: adeo quidem, ut hæc scepticorum argumenta non magis impedire possunt, quo minus veritati manus demus, cum illam attentè, & seriò contemplamur, quam eadem potuerint efficere, ne solis radios videamus, cum illi in sanos & apertos oculos incurrunt. Veritas profecto non usque adeo à nobis remota est, quin eam mens nostra haud dubiè assequi possit, si modo præjudiciis exuta cunctis, debitam adhibeat cautelam, nihilque admittat nisi quod probè perspectum, & quod ab omni parte diligentissimè examinatum sit. Hominum namque communissima culpa est, quod se ipsos de rebus, quas vel affirmant, vel negant, non satis seriò consulant, sed iis fidem habeant, quæ vel fando audivere, vel ipsi olim cogitavere; quod verborum sonitum potius attendant, quam veras rerum ideas; quod pro claris & evidentibus ea sumant, quæ omnino concipi nequeant, & vicissim ea pro falsis rejiciant, quorum veritas ab illis non posset non agnosci, si vel tantisper seriò de iis cogitarent.

Unde


Unde enim inter Metaphysicos tanta concertationum seges, nisi quod plurima definierint, quorum argumenta non habebant in promptu; quod eam imbiberint opinionem, ac si nihil turpius foret, quam hæsitare, quam nihil determinare, quam ignorantiam confiteri, quam denique id, quod semel pronunciatum est, non pugnaciter defendere. Si verò Metaphysici Geometras imitentur, asseverent quæ penitus explorata habent, sileant de iis quæ hactenus occulta sunt, hoc ipso eveniet, ut omnes, quæ nunc magnis hinc inde animis agitantur, controversiæ, aut quam certissimè dirimantur, aut tanquam incertæ seponantur. Si quid enim, hoc certè docet ratio, infinita esse, quæ ab humana mente, finitis ex ideis conflata, comprehendi nequeant. Nam ut in intellectu infinito, eo ipso, quod infinitus est, infinita continentur; sic in intellectu finito, tametsi omnem humanum intellectum longissimè exsuperare ponatur, necessariò desunt infinita. Quod si in ulla scientia, considerari certè meretur in Metaphysicis, in quibus inquiritur natura rei infinitæ; quæque idcirco infinita in se complectitur, ad quæ finito intellectui aditus est nullus.

Quæ tandem omnia huc redeunt denique, in utraque disciplina, Metaphysica pariter ac Mathematica, certa vigere ratiocinia. Utraque enim nititur, non rebus externis, sed solis, quas mens in se habet, ideis. Utraque ideas speculatur clarè & distinctè perceptas, & soli intellectui debitas. Utraque habet certissima ratiocinationis suæ fundamenta. Videndum verò, imprimis in Metaphysicis, ut quam cautissimè progrediamur, omnia diligentissima attentione perscrutemur; donec nexus inter duas pluresve notiones appareat: qui si non sit, sive dependeat aliunde, ex ideis scilicet rerum, quas mens non habet, sive, licet ex iis, quas habet, sequatur, apparere tamen nequeat, nisi per eo usque continuatam argumentorum seriem ut eam absolvere mentis non sit humanæ, silendum prorsus, ac uti ipsa docet Ratio, in hoc silentio acquiescendum, aut externum, si quod sit, cui fidamus, circumspiciendum auxilium. Quod tamen, ita tandem in rationem recidunt omnia, fide dignum esse, ipsa necesse est doceat Ratio. Unde enim sciam, quodnam sit aliud veri argumentum, nisi mens id agnoverit, nisi ratio ostenderit? Omne

au-

autem id, cui tutò, absque ullo errandi periculo credimus, est vel ipsissima Ratio, vel auctor Rationis Deus; quorum illa certissimam sui fidem facit, hunc vero summè veracem esse per illam quam certissimè evincitur. Quid enim certius ostendit ratio, quam repugnare, ut veritas errorem, ut certissima scientia involvat falsitatem. Deus autem si loquatur absque omni dubitatione illi fidem adhibendam, nec de modo, quo ideæ inter se nectuntur magnopere laborandum esse, eadem dissertissimè præcipit ratio; certa utique, hoc quicquid est, humani ratiocinii objectum esse neutiquam. Necesse quidem est, ut concipiam, de quo aliquid dicatur, & quidnam de eo dicatur; quippe hæc si ignorem, ne quidem enunciationi, quæ mihi nulla est, cum nihil ejus intelligam, fidem habere potero, sed verba proferam, quibus vis subjecta erit nulla; quo sanè absurdius nihil fingi potest. Ex ideis quidem, quæ inter se junguntur, si utraque evidentissimè percipiatur, quod in hisce oppidò quam rarissimum est, seorsim ut ratiocinemur, nihil impedit; modo ipsam junctionis rationem, incognitam nempe, tanquam ratiocinii materiam minimè adhibeamus. Quod si verò hæ ideæ concipiantur quidem, non tamen satis clarè distinctèque, in his certæ rationi non relinquitur locus. Ex quibus tandem omnibus, prudentissimum illud juxta, & certissimum emanat Rationis decretum; nimium sapere & ultra divinum testimonium vel tantillum progredi velle, magna profecto insipientia est. Non tamen quid obstat, quò minus sobriè philosophemur, ea spe fore, ut, quod in omnibus scientiis factum est, si via & ordine procedamus, sensim plura & plura temporis tractu detegantur, & cognitio nostra indies magis & magis promoveatur. Quod si pro voto non succedat, hoc saltem proficiemus, ut tandem aliquondo intelligamus, pauca nos scire, & multa quæ nescimus, scire nos existimare.

PARA-



PARAPHRASIS

POËTICA

MEDITATIONIS

PRIMÆ,

De iis, quæ in dubium vocari possunt.

MUltos ante dies & longi temporis annos,
Dum meditans mecum mentis secreta revolvo,
Adverti, quam falsa meam sententia mentem
Sæpius abduxit; quam sint fundamina primùm
Quæ posui vana, & quam sint contraria veris:
Quam dubia his primis quæ stant innixa columnis.
Hinc ego collegi, quod fas mutare priora
Mentis sensa foret, siquid cognoscere veri
Aut certi cupiam, quo firma scientia constet.
Verum opus hoc ingens, magni & res ardua facti;
Hinc matura dies, sera & sapientior ætas
Exspectanda fuit, doctis accommoda musis,
Quâque capessendis non aptior artibus esset.
Ergo traho, atque moras tantis concedere rebus
Jure mihi videor, quò tandem advenerit hora,
Ut magis haud licitum variis consumere tempus
Consiliis fuerit; sed opus fidenter agendum.

Ergo, velut Marci prudens ſapientia Tullî
Et cata Socraticæ quondam prudentia mentis
Priſcorumque omnis fecit ſacer ordo Sophorum,
Urbis devito ſtrepitus clamoſaque plebis
Murmura, & acceptum quamvis ſint agmen amicos.
Seceſſum anquiro tacitum, ſepoſtaque curis
Otia ſollicitis, meditanti commoda menti:
Dogmata conabor quævis deponere priſca,
Quæ præjudiciis mea mens obſeſſa fovebat.
  Non tamen heic opus eſt Sophiæ dictamina quæque
Priſca ſigillatim palàm convincere falſi:
Namque id inexhauſti fuerit vaſtique laboris
Forſan opus, noſtris non exſuperabile curis.
Sed quia jam ſolida ac dubiis obnoxia nullis
Quæritur aut vafris quaſſanda ſcientia technis,
Quam neque Pyrrhonici convellat lingua furoris,
Neve Epicuréi confutet pagina Cari.
Hinc ratio dictat, dubii ut ſi forte quid adſit
Atque minus firmi, non huic addicere mentem
Aſſenſum debere ſuum; ſed pellere ſacris
Hæc procul à noſtris, procul omnis ut exulet error.
  Ergò rejicio mea quicquid opinio pridem
Credula ſuſcepit, ſenſu dictante quod unquam
Judicium tulit, & veri ſeducta colore
Errorum quicquid fuit amplexata voluntas.
Haud aliter, rectos conantes reddere ramos,
Semper in adverſam ſpectamus flectere partem.
Neve opus antiquæ tamen heic ablegmina ſectæ
Dogmataque in longo quævis proponere elencho;
Nam quod Principium vel quinam finis adeſſet?
Sed velut effoſſo quævis fundamine moles
Corruit, haud aliter falſis ſuffulta columnis

Co-

Cognitio certam vetus eſt tractura ruinam,
Si modo principia & penitus ſuffoſſa labaſcant
Fundamenta, quibus nixatur vita ſaluſque.
Hæc ergo aggredior, juvat hæc convellere prorſus.
Nimirum quodcunque olim me ſcire putavi
Senſibus acceptum retuli dictantibus, illis
Ut certis nitens ducibus, veriſque magiſtris.
Verum heu quam fallax luſit fiducia mentem!
Nam crebrò fallunt ſenſus, oculique vagantes
Mentitas referunt preſsâ ratione figuras.
Sæpe quidem ſtrepitus nos exaudire putamus,
Cum tamen alta quies taciturna ſilentia reddit.
His ergo infidis ſapiens prudentia dictat
Teſtibus haud unquam poſthac confidere quenquam.
Sed quid ago! quorſum ſenſus convellere tento?
(Sic meditando meæ meditata redarguo mentis)
Namque objecta licet nequeant oſtendere clarè
Et minima & ſemota nimis; quæ proxima nobis,
Quæque propinqua ſatis ſenſu diſcernimus aptè.
Quis neget? aut unquam falſi convincere poſſet,
Me reſidere focum penes, & jam tempore Brumæ
Indutum lænâ gelidæ flammante penates
Hos adolere domus igni, manibuſque calorem
Percipere, & puram digitis contingere chartam,
Quin & Doctorum ſtudiis evolvere libros?
Inſuper ecce ſciens prudenſque hanc exero dextram,
Et caput hoc moveo, ſolidum circumfero corpus,
Quis neget eſſe meum? Quis tam manifeſta refellat?
Nî cerebella tenax ex atrâ bile redundans
Turbârit vapor, & mentis labefecerit arcem:
Et quibus idcirco notam dementis inurunt.
Scilicet hic rex eſt ſolio ſublimis eburno,

Purpureâ indutus pallâ, ſceptroque ſuperbus
Imperat, & leges figit rurſumque refigit;
Interea cum ſit vili de plebe miniſter,
Vix lacero nudum tectus velamine corpus.
Hic queritur fragili corpus conſiſtere vitro;
Hic vitâ functum comitem ſe manibus ire;
Aſſerit; hic longum ſeſe promittere naſum,
Et timet horreſcens ferrato allidere poſti.
Hic ſe per vitreum lacrymatur tendere pontem,
Quo fracto ſubtus cedat ſerpentibus eſca.
Hic contra plaudens volucris cucurit Eöus.
Hic granum Cereris, putat hic ſeſe eſſe peponem,
Et vel ab alitibus vel muribus eſſe vorandum.
Sed caput, ô lepidum, (ſic contra Scepticus urget)
Nonne homo ſum ſolitus noctis dormire per horas?
O pepo! quam crebrò ſtudiis agitata diurnis,
Et narrata tibi ſomnus nocturnus adumbrat.
Scilicet ante focum redimitum corpus abollâ
Me reſidere, libris incumbere, pangere carmen,
Muſéum tranſire, & plura ſimilia dictis.
Quin inſueta magis per ſomnum nocte recurrunt,
Quæ vix vel miſeris iſtis objecta fuerunt:
Nunc videor ſtrepitum tonitrus audire frementis;
Nunc ſpectare altas ferientia fulmina turres;
Nunc præceps celſæ labi de culmine rupis;
Nunc maris undiſoni tremulis ſubmergier undis;
Nunc vivis corpus cruciandum tradere flammis,
Strata inter nudus jaceo dum mollia lecti.
Sed quid! Contueor vigilanti lumine chartam,
Commoveoque inſomne caput, prudenſque ſcienſque
Hanc extendo manum, manifeſto ſentio ſenſu:
Non diſtincta adeò per ſomnum occurrere poſſent.

Sci-

Scilicet? An mentem non his volitantibus umbris
Sæpe meam tacitâ luserunt somnia nocte?
Atque hæc attentâ dum cogito mente, rescisco
Antiquos Sophiæ signis distinguere nunquam
Indubiis mystas statu à vigilante soporem;
Ut strupeam, lentusque stupor mea membra sopore
Profundat, faciatque meos torpescere sensus.
Somnia sint igitur, sint hæc specialia falsa,
Nos oculos aperire, caput motare, manusque
Tendere & his doctos digitis evolvere libros.
Nec tales sint forte manus; nec denique tale,
Quale putabamus, corpus: tamen ecce fatendum;
Ipsa ea, quæ nobis offert phantasmata somnus,
Esse velut pictas efformatasque figuras,
Quæ res effigiant istâ sub imagine veras.
Atque hinc consequitur, licet hæc generalia, nempe
Brachia, crura, caput, oculos, humerosque manusque,
Et totum corpus non esse efficta cerebro
Figmenta, at nobis sic apparentia tantum
Phasmata, nil solidi quicquam nec habentia veri;
Sed res has certas alibique existere veras.
Nam quoque pictores, queîs fingere summa potestas,
Pingentes Satyros, Sirenas atque Chimæras,
His nunquam prorsus peregrinas tradere formas.
Naturasque novas penitus valuére, sed ipsi
Ex variis saltem conflant animalibus artus.
Nam Siren monstrum, cujus pars infera tetrum
Desinit in piscem, virgo formosa supernè.
Crura capri Satyris aptantur, cornua fronti,
Cætera dum referunt hominem; quin ipsa Chimæra,
Pone leo, postrema draco, medioque capella est.
Et licet haud unquam visum nusquamve repertum

Et portentoſum poſſent effingere quicquam,
Et quod fictitium planè falſumque putatur;
Ad minimum veros debent adhibere colores.
Haud aliter licet hæc fuerint generalia falſa;
Sint figmenta manus & brachia, crura, caputque,
Cumque humeris collum, cum dorſo pectus & alvus.
Eſſe tamen nequeunt magè quæ generalia vana,
Quæ ſunt ceu veri quidam vivique colores,
Ex quibus in nobis rerum omnis ſurgit imago;
Ut corpus ſumptum generatim, extenſio & ejus,
Et menſura, quies, motus, poſitura, figura,
Cum numero tempus, locus atque ſimilia plura.
Ergo licet dubio ſtet nixa ſcientia talo,
Quæ Phyſice eſt Græcis, & quæ Medicina Latinis,
Res ea corporeas, hominumque hæc corpora tractat;
Quamque Geographici quamve Aſtronomique fatentur,
Illa docet Terræ tractus, hæc ſidera Cœli;
Aut ſiquas alias hominum ſolertia finxit
Artes, compoſitas quæ res proponere nobis
Sunt ſuetæ; has, inquam dubias quis dicere poſſet.
At quæ de Numeris eſt dicta ſcientia Grajis
Nomine Arithmetices, & quæ Geometrica dicta eſt,
Quamque Metroſcopiam magis aptâ voce vocares,
Et reliquæ tales, quæ pergeneralia tractant,
Atque parum curant extent an talia, nec ne.
Hæc ſanè certi quicquam verique fatentur.
Namque ego ſeu vigilem placidâve quiete fruiſcar;
Cum duo jungo tribus, numerus quinarius hinc eſt;
Cum tres lineolas, mox inde triangulus extat.
Quodque adeò clarè verum cognoſcitur eſſe,
Non poterit falſi vel ſuſpicione gravari.
  Fixa ſed in noſtrâ vetus hæret opinio mente,

Eſſe

Esse Deum, qui cuncta potest, qui cuncta creavit,
A quo talis ego, qualis sum pendeo totus.
Unde autem novi (nam justè inquirere nondum
In Sophiæ licuit mihi limine, quanta potentis
Sit natura Dei;) non effecisse, quod ullum
Haud extet cœlum, non tellus ulla, nec ignis,
Non aqua, non aër, non ullum denique corpus;
Nulla figura, quies, motus, tempusve locusve,
Non ullæ mentes, hæc quanquam cuncta videntur.
Judico nam reliquos captos erroribus esse,
Qui clarè verum se perspexisse putabant.
Unde autem constat (nam conditionis & ipse
Talis ego natus) quod non deludar iisdem
Falsus imaginibus, nec veri vanus aberrem,
Dum duo jungo tribus, triquetrique recenseo triplex
Dum latus, aut siquid dicatur clarius esse.
Sed Deus assiduò tantis erroribus actum
Me non vult falli; Summè bonus ille vocatur.
Verum si bonitas ejus permittat, ut unquam
Errores foveam vanos, (quod nemo vel effrons
Inficias ibit) quid nî concederet Ipse
Delusus semper falsis ut devius errem.
Verum alibi fuerint, Atheos dixére Pelasgi,
Esse Deum mallent qui fortè negare potentem,
Quam res aut dubias, aut cunctas credere falsas.
Hei mihi! quot nodi! quibus argumenta refellam,
Argutis contorta modis? succurrite Patres,
(Nam vox Flexiaci Σοφιάν docuistis avitam)
Quid facitis trahitisque moras? succurite Patres.
Sed quid ago? temerè quid opem desidero vanam?
Hos ego nec nodos, nec torta sophismata solvam
Principiis usus, quæ præscripsére Docentes.

Hinc

Hinc victus cogor dare, quicquid opinio prisca
Numine de summo persuaserat, esse chimæram.
Attamen ad tempus, donec meliora, quod opto
Principia eruero, queis dogmata vafra refutem.
Verum seu fatum, seu casum mentis egentem,
Æternam aut rerum seriem, vel forte parentes,
Aut ipsam terram se produxisse putabunt;
Non tamen evincent res hinc existere certas.
Nam cum sit quædam sanè imperfectio falli:
Quò placet autorem minus assignare potentem,
A quo sim factus, tantò quoque major ubique,
Suspicio falsi ac errorum surget origo.
Ergo non temerè aut vanâ levitate rejeci
Omnia, quæ quondam vera & sat firma putabam,
Verum ob sat validas rationes, subdolus olim
Quas Pyrrho docuit, vel vafro Prodicus astu,
Et quas in præsens nondum sum solvere doctus:
Quin jam fas dubia hæc ceu falsa reponere prorsus,
Assensumque animi penitus cohibere probantis,
Si cupiam certi, siquid deprendere firmi.
Quin nondum satis est hæc sic advertere tantum,
Conandum ut memori semper sub mente recondam.
Nam licet expellam, quævis vetus usque recurrit,
Atque vel invitæ subrepit opinio menti,
Et me devinctum sibi consuetudinis usu
Ducit & ad libitum ferè credulitate propellit:
Nec præjudiciis discam diffidere priscis,
Si dubia ista quidem, sed nolim credere falsa.
Atque ita dum res fert, non sum facturus, opinor,
Absona, si flectam planè in contraria mentem,
Atque voluntatem penitus convertere nitar,
Meque quasi fallam, dum prisca diuque recepta

Ju-

udicia, ut vani figmenta putabo cerebri;
.d mentis donec fuerint appensa bilancem,
Ne præjudiciis mens irretita vetustis
udicet absurdum, vel consuetudine rapta
'ransversim pravâ nequeat discernere verum.
Nec tamen hinc opus est quicquam metuisse pericli
.ut falsi, vel me nimium diffidere posse,
'el quoque Pyrrhonis dubiis accedere castris.
.rgo non dicam Dominumque Deumque potentem,
)ui veri fons est & qui scaturigo bonorum;
ed Genium quendam pollentem robore multo
.c impostorem versutâ mente malignum,
Iâc in re summum semper posuisse laborem,
.rrorum laqueis ut me constringeret arctis.
.ëra cum cælo, terras, rerumque figuras,
.tque situs, motus, lucemque, sonosque coloresque
)mniaque externis quæ sensibus esse videntur,
.sse nihil vani præter ludibria somni,
nsidiasque meras, Genius quas ille tetendit.
mò velut manibus cum lumine, sanguine, carne
.c omni sensu me cassum ad tempus opiner,
)uin & delusum, quod iis me suspicer uti.
Iæc in mente meâ remanebit opinio fixa,
'onec quid veri fuerit certique repertum:
ut, si nil unquam potero cognoscere firmi,
onsequar, ut falsis post non assentiar ullis;
t ne me Genius, quamvis sit callidus astu
allendique potens, unquam seducere possit;
ttento studio & præfractâ mente cavebo.
'erum hoc propositum res est operosa labore,
t me transactæ vecors ignavia vitæ
bstinet, & studio suadet desistere cæpto.

Nam veluti ſiquis vinclis & carcere clauſus,
Tempore ſub ſomni jam libertate fruiſcens,
Cum poſt ſuſpicio ſomni ſubrepit eidem,
Connivet, quamvis fuerint fallacia, viſis,
Atque expergiſci timet hæc phantaſmata captans.
Sic egò jam dudum cæcis erroribus actus
Proh! expergiſci vereor, vereorque videre,
Ne forte inſcitiæ cum jam ſub nocte quieſcam,
Poſt vigil ac impos veram cognoſcere lucem,
Inter tot nodos, tot difficileſque mæandros
Cogar & obſcuras poſthâc vixiſſe tenebras.



PARAPHRASIS POËTICA MEDITATIONIS SECUNDÆ,

De Naturâ Mentis humanæ: Quod ipsa sit notior quam corpus.

HEsterno dum multa die meditando revolvi
Tanta meæ occurrit dubiorum copia menti,
Ut velut undarum vastæ submersus abysso
Figere nec plantam valeam, nec scandere ad oram.
ttamen enitar; tentabo rursus eandem
udax ire viam, removendo scilicet omne,
Quod quâdam in dubium possum ratione vocare;
Haud secus ac esset convictum crimine falsi.
nxius anquiram quicquam cognoscere certi,
ut hoc si fuerit menti fortasse negatum,
d certò noscam, Me nil cognoscere certi.
le Syracusius grandævâ ætate Magister,
rande Mathematicâ cui nomen claret ab arte,
Iagna patraturum se audaci pectore spondet,
Jnum si vellent saltem concedere punctum.
Des, inquit, quo stare queam, Terramque movebo.
ic sperare licet, quin & promittere magna,
i certi saltem quidquam deprendere possim.

Ergo ut ſuppoſui, viſus objecta rejecto
Tanquam falſa mei, & memorem quæcunque recurrunt
In mentem ſpecies: quin nullo polleo ſenſu.
Non extat corpus, non eſt extenſio, motus,
Nulla figura; quies, tempusque locusque chimæræ.
Ergo quid ſupereſt veri? Fortaſſis id unum,
Eſſe nihil certi: Vetus hoc Academia ſenſit.
Sed num Socraticæ vox hæc certiſſima linguæ?
Unde ſcio haud aliud præter memorata quid eſſe,
De quo non poſſit dubitandi occaſio naſci?
Num Deus eſt aliquis? Genius vel forſitan ullus?
Aut alius meditata mihi qui ſuggerit auctor?
Sed cur hoc credam; cum per me forte reſurgant.
Ergo nunquid ego ſaltem ſum denique quidquam?
Verum jam ſenſus omnes, corpusque negavi.
Attamen addubito: Nam quid quis colliget inde?
Senſibus an adeò vel moli corporis arctè
Alligor, ut poſſim nullatenus hiſce carere?
Sed mihi perſuaſi in mundo nil protenus eſſe;
Non cœlum, terram, non corpora, nec quoque mentes.
Sed num perſuaſi me non extare vel ipſum?
At, ſanè ipſus eram, mihi dum perſuadeo quidquam.
Verum eſt deceptor, Genius qui mente malignus,
Robore qui pollet, qui vafro callidus uſu,
Unica cui ſemper me defraudare voluptas.
Sed licet hic fallat, falſo me ſchemate ludat:
At me dum fallit, me ſanè extare neceſſe eſt:
Nam ſi non eſſem, non ſanè fallere poſſet.
Ergo pro lubitu fallat; non fecerit unquam,
Ut non ſim, quamdiu quod quid ſim cogito mecum.
Dum ſatis ergo animo quidvis volvi atque revolvi,
Denique quid certi reperi; Victorque proclamo:

Ite

te triumphales circum mea tempora lauri:
Veri certus eo, nec palabundus oberro:
Notio clara meæ radiat certissima menti;
Sceptica quam dubiam nunquam dubitatio reddet:
Non Athei infringent, nec duri Fata Chrysippi,
Non Epicuréus Casus, Seriesve Stagiræ:
Inconcussa manet, non expugnabilis ulli.
En ego sum, quoties hoc saltem profero voce.
En ego sum, quoties hoc saltem cogito mente.
Hoc falsi nunquam poterit convincere quisquam.
Sed me revera quamvis existere norim,
Non natura mei tamen est mihi cognita planè
Et mihi prudenti posthac est mente cavendum,
Ne vice forte mei diversum assumpsero quicquam;
Et sic error in hâc quoque cognitione recurrat,
Quam modò præ reliquis certam claramque vocavi.
Ergo jam recolam, quid me prius esse putarim,
Atque hinc subducam quicquid rationibus ullis
Infirmum poterit reddi falsumque probari,
Ut reliquum maneat nulli superabile verum.
Scilicet esse hominem mea mens me credidit olim.
Sed quid homo? quibus aut describam vocibus illum?
An rationale est animal? sic ante vocavi.
Non, sic in plures magè difficilesque mæandros
Inciderem & nodos mihi non dissolvere promptos.
Namque quid est Animal? Rationale esse, quid illud?
Res sanè obscuras foret explanare necessum;
Nec vacat his tempus tetricis insumere tricis.
Verum jam referam, libet heic expendere tantum,
Quæ duce naturâ mihi cognovisse videbar,
Et [illegible] ipsa meæ sunt sponte occurrere menti,
[illegible] quoties propriam pernôsse studebam.

Nempe occurrebant conſpectu plurima primo
Os, humeri, atque manus, & brachia, pectus & alvus,
Femina, crura, pedes, membrorum denique tota
Compages, qualem ſpectas & habere cadaver:
Deinde occurrebat nutriri, incedere greſſu,
Et ſenſu pollere, & me perpendere multa,
Omniaque hæc animæ tunc aſſignata fuerunt.
Sed minus heu animæ naturam nôſſe ſtudebam!
Aut hoc cum facerem mihi ſe ſub imagine flammæ,
Ætheris, aut rapidi venti, fluidique vaporis
Atque vel alterius ſubtilis corporis offert;
Infuſumque mei craſſis quod partibus eſſet.
At quantum ad corpus dubium ſupereſſe nec ullum,
Sed me diſtinctè naturam nôſſe putabam;
Et deſcripſiſſem ſic juxtà mentis ideam;
Omne quod eſt aptum quâdam variante figurâ
Mutari, & ſpatii cujuſdam limite claudi,
Atque ſuo quodvis ſpatio ſecludere corpus,
Nec non percipier nobis quintuplice ſenſu,
Auribus, ac oculis, linguâ, naſoque, manuque:
Quodque poteſt variè, verum non ſponte moveri,
Accipit at quoties tacto de corpore motum.
Namque quod ex ſeſe poſſet ſe ſponte movere,
Vel ſentire aliquid, vel quid perpendere ſecum
Induci nunquam potui, quò credere poſſem.
Quin, in corporibus tales reperire quibuſdam
Me facultates, erat admirabile viſu.
Quid verò, cum jam Genium fraudare potentem
Et pariter (ſi fas modò dicere) mente malignum
Omni ſuppono me ſemper ludere niſu:
Aſſerere an poſſum me quicquam ex omnibus illis,
Naturæ aſſcripſi quæ corporis, eſſe relictum?

Co-

:ogito, perpendo, volvo rurſumque revolvo;
n nihil occurrit, fruſtrà repetendo fatigor.
}uid verò ex illis Animæ quæ aſſcripta fuerunt?
Iutriri, an ſupereſt? Supereſtne, incedere greſſu?
:orpore ſed quoniam careo, periiſſe neceſſe eſt.
entio, num reſtat? Non fit ſine corpore ſenſus:
Iultaque me ſomno ſum perſentiſcere viſus,
}uæ poſt adverti phantaſmata vana fuiſſe.
:ogito, num reſtat? Reſtat, nam cogito ſanè.
ıveni tandem multumque diuque petitum:
ogito; non valet hoc à me divellere quiſquam.
ogito; nemo poteſt illud convincere falſi.
:ogito, & exiſto, ſum ſanè; nemo refellet.
Ion Atheus Caſu; Dubiâ autem Academia Σκέψει;
ut vel Ariſtoteles Serie; Fatove Chryſippus.
ed quamdiu? Quamdiu nimirum cogito mecum:
ogito, ſi ceſſet; totus mox forte periſſem.
unc nihil admitto, niſi quod verum eſſe neceſſe eſt.
rgo quid conſtat? Sum res quæ cogito tantum;
ut me, ſi libeat, variatâ voce vocabis
ıtellectum, Animum, Rationem & denique Mentem:
}uæ quidnam exprimerent voces minus ante ſciebam.
ec ſum figmentum, ſum res, ſubſtantia vera,
t verè exiſtens, meditans, velut antè vocavi.
t quid præterea? quærens id imaginor: haud ſum
Iachina membrorum, conſueto nomine corpus
Iumanum dicunt; non ſum vel flamma, vel aër;
Ialitus, aut ventus; nec quicquid denique fingo:
alſa ea ſuppoſui dudum, nondumque reclamo;
Ioc manet intereà me rem ſubſiſtere veram.
Forte ſed eſſe poteſt, ut quæ nunc ante negavi,
um perſpecta mihi non ſint nec cognita planè,

Con-

Conveniant mecum naturâ prorſus eâdem.
Neſcio: neve iſtis vacat heic impendere curas.
Quæ mihi nota ſatis modò ſunt, dijudico tantum:
Noſco, quod exiſtam; quis ſim, magè nôsſe laboro.
Quatenus exiſto, & ſum res quæ Cogito tantum,
Notitiam illius me non deſumere posſe,
Talibus à rebus, quas nondum exiſtere novi,
Nec vel ab his ullis, mihi quas ſub imagine fingo;
Hoc ſanè conſtat nulli dubitabile verum:
Meque mei erroris vox Fingo coarguit ipſa:
Esſet enim certè figmentum mentis inane,
Efformata Mei quævis ſub imagine forma.
Nam proprio ſenſu vox dicit Imaginor omne
Quod cerebro præſens quâdam ſub imagine ſiſto,
Et ſub corporeâ contemplor mente figurâ.
Jamque procul dubio me certò exiſtere novi,
Posſe tamen fieri, quævis ut talis imago,
Et res corporeæ, vel quicquid ſpectat ad illas,
Ficta modò fuerint vani ludibria ſomni.
Queîs animadverſis, videor mihi prorſus ineptus,
Naturam mentis dum me ſub imagine dixi
Contemplaturum, quò nôsſem clarius illam.
Haud ſecus ac ſiquis ſomno fugiente profundo
Nunc experrectus, verum quid cernere mente
Inciperet, ſed ſe rurſum obdormiſcere velle
Diceret, ut melius declarent ſomnia verum.
Hinc igitur conſtat, jam nil quod noſcere posſum
φαντασίας virtute meæ, concernere ad illam
Notitiam mentis, quam purâ intellgo mente.
Hinc à corporeis ſtudio revocanda figuris
Attento mens eſt, propriam dum ſcire laborat
Naturam ac clarè à cunctis diſtinguere rebus.

Se-

Semotis ergo remoris interrogo; Quis sum?
Res ego sum meditans: Sed dic, quid denotat illud?
Sum dubitans, sum percipiens, ajensque, negansque,
Et cupiens, fugiens, sum res nolensque, volensque,
Φαντασία, & sensu pollens. Non paucula sanè
Enarrata mihi; si me modò singula spectent;
Sed quidni spectant? An non sum protinus ipse,
Qui jam de multis dubito, ac intelligo quicquam;
Assero qui hoc unum tantum, nego cætera quæque.
Multa vel invitus pictâ sub imagine cerno,
Multaque percipio tanquam advenientia sensu.
Jamque licet jaceam somnò de nocte gravatus,
Et licet illudat genius me callidus arte,
Dicta tamen constant dubiis obnoxia nullis,
Certaque sunt adeò, quam me ipsum existere certum.
Distinctumque meo non est à Cogito quicquam,
Sejunctumque potest ex his nil diciër à me.
Quippe quid esse potest unquam quod certius hisce?
Quod sim qui dubito, qui intelligo, nolo voloque?
Hæc etenim menti tam clarâ luce refulgent,
Ut nequeant dictis exponi clarius ullis,
Nec Logices possent depingi clarius arte.
Sed quoque sum pictas cerebro sub imagine formas
Contueor qui sæpe meo; nam nullibi forsan
Res licet existat cujus se ostentat imago:
Facultas sanè mihi quâ quid imaginor ipsi
Et datur, atque meum revera ad Cogito spectat.
Sum quoque revera sensu mediante rescisco
Res qui corporeas: Oculis lux esse refulget,
Auribus adfertur sonitus, sensumque caloris
Percipio. Fallor: Nam sunt ludibria somni.
Esto; Videre tamen videor, sonitumque per aures

Excipere, ac ignis gratum sentire calorem:
Hæc sanè nemo poterit convincere falsi,
Hoc in me propriè quod Sensus nomine dico.
Sicque meum quinos comprendit Cogito Sensus.
Jamque ex hisce, mihi modò quæ memorata fuerunt,
Naturam melius propriam cognoscere cœpi.
Attamen, heu miserum! seducit opinio dudum
Nunc animo suscepta meo, nec cesso putare,
Quin res corporeas quas mens sub imagine cernit,
Et quas externi possunt deprendere sensus;
Quin, inquam, tales noscam distinctius ipsâ
Parte mei quâdam, quam nescio dicere quæ sit;
Cujus nulla tamen menti obversatur imago.
Quanquam sit fateor prorsus mirabile dictu,
Quod res quas dubias nullâque indagine notas,
Ac à me prorsus diversas esse probavi;
Quod res has, inquam, distinctius arbitrer à me
Cognosci, quam quod nunc verè existere novi,
Quod certò notum est; & non dubitabile verum;
Imò quàm memet comprendi denique per me.
Sed video quid sit mens dudum sueta vagari
Rursus ab incepto deflectere tramite gestit:
Indomitus veluti sonipes, qui mordet habenas,
Calcitrat, & putrem cujus quatit ungula campum,
Et fremit, & tandem excusso sessore ferocit,
Carceribus fractis campo sese arduus infert,
Constrictisque negat frenarier ora lupatis.
Sic mea mens stricti lacerare repagula veri
Gaudet, & his arctis includi nescia metis,
Errorum solitâ vult libertate fruisci.
Esto igitur; laxas semel illi demus habenas,
Ut melius frænis morem gerat illa reductis.

Haud

Haud aliter frænos domitor generosus equorum
Nunc ex arte premit, pressas iterumque relaxat,
Ut sic effrænes doceat præfracta Caballos
Subdere colla jugo & tumidos deponere motus.
  Res expendamus quas cognitione teneri
Notitiâ inprimis distinctâ quisque putavit;
Corpora nimirum, quæ nos cognoscere sensu
Credimus externo; sed nec generalia tantum,
Horum namque magis confusa scientia nobis.
Sed speciale aliquod corpus spectemus & unum:
Scilicet hanc ceram; favis educta recenter
Grato mellis adhuc planè est perfusa sapore;
Insuper & florum fragrantem servat odorem,
E quibus est apibus gnavo collecta labore.
Quin manifesta patet mensura, figura, colorque.
Frigore duritiem contraxit, tacta resistit;
Et sonitum reddit digito percussa supremo.
Quid multis? Adsunt quęvis quæ posse requiri
Creduntur vulgò, quo Corporis intima cuiquam
Perquam distinctè Natura patescere possit.
At quid! Vix nostro vox hæc manavit ab ore,
Quin calidis fluidi flammis apponitur ignis;
Et quicquid grati superest è melle saporis
Aufugit, en exspirat odor, mutatque colorem,
Induit ac aliam prorsus variata figuram,
Augetur moles, liquida est, recipitque calorem;
Neve edit strepitum digito percussa sonorum.
Ergo quid heic dices? Eadem num cera remansit?
Nemo negat, sed quisque putat, remanere fatendum.
Ergo quid illud erat, quod cognitione prehendi
Tam clarâ, tam distinctâ modo quisque putabat.
Non color, aut sonitus, nec odor, dulcedo, colorve:

 Quin

Quin nihil externos quod ſenſus ante movebat.
Hæc mutata vides, dum priſtina cera remanſit:
Hoc fortaſſis erit, quod jam conſidero mente:
Scilicet haud ea erat mellis dulcedo, nec ille
Florum gratus odor, non iſta albedo, figura,
Nec ſonus; at corpus quod ſub qualitatibus iſtis
Conſpicuum ſeſe paulò mihi præbuit ante;
Nunc ſub diverſis. Sed fas inquirere porrò,
Illius quænam, quod nunc ſub imagine cerno,
Præciſè natura ſiet? Longeque remotis,
Naturam ceræ quæ non concernere novi,
Hoc obſervabo, quod jam ſupereſſe reſciſcam,
Nimirum extenſum, mutabile, flexile reſtat,
Nil aliud: Verum mutabile, flexile quidnam?
An quod φαντασία ceram contempler eandem
Poſſe in quadrati formam mutare rotundam,
Et rurſum in triquetri torqueri poſſe figuram?
Nequaquam? Innumeras variando aſſumere formas
Poſſet, at innumeras mea mens comprendere neſcit.
Hinc facultatem mihi quâ quid imaginor; hujus
Non fas notitiæ genuinam dicere cauſam.
Sed quid id extenſum? Num forte extenſio ceræ
Ipſa latet? Major nam fit dum cera liqueſcit,
Major ubi fervet, major ſi bulliat inde.
Nec quoque judicium de Cerâ fecero rectum,
Quod ſi non auſus fuero affirmare, quod ipſa
Pluribus uſque modis variari extenſa poſſit,
Quam quos Communi poſſum comprendere Senſu.
His ità ſubductis tandem concludere fas eſt,
Naturam Ceræ me non ſub imagine poſſe
Percipere, at puræ captu cognoſcere mentis.
Hanc inquam ceram, quam nunc conſidero coràm.

De Cerâ namque eſt generali clarius illud.
Sed quænam hæc cera eſt ſolius acumine mentis,
Quam modo percipio? Num forſitan altera quædam?
Non: Eadem eſt prorſus viſu tactuque prehenſa
Quæ fuit, & cujus vidi ſub imagine formas:
Eſt ea revera, quam primitus eſſe putavi.
Hinc quæ prima fuit Ceræ perceptio facta,
Non dicenda fuit ſeu viſio, tactio ſive,
Aut facultatis cerebro phantaſmata noſtro
Formantis virtus, quamvis hoc quiſque putaret.
Solius at noſtræ vis ac inſpectio mentis.
Quæ perfecta minus, magis & confuſa vocatur,
Ut prior illa fuit dictæ perceptio ceræ;
Vel quæ clara magis, magis & diſtincta vocatur,
Poſterior qualis nunc eſt perceptio Ceræ.
Mens minus hanc primô, magis at jam perſpicit illam.
Miror at interea, quam mens de tramite veri
Geſtiat en rectum rurſus deflectere curſum,
Atque per errorum ſalebras & teſqua vagari!
Hæc etenim tacitus quamvis ſub mente volutem,
Non calami ſcripto, non linguæ vocibus uſus:
Attamen heu! verbis mea mens hæreſcit in ipſis,
Et me trita fere ſeducit forma loquendi,
Namque oculis ipſam dico me cernere Ceram;
Non ex duritie, vel odore, colore, figurâ,
Judicium mentis nobis dictare quod adſit.
Hinc præjudicio mea mens concludere prona eſt,
Viſu oculi ceram, non ſolâ mente prehendi:
Nî diſcurrentes jam fors per vitra feneſtræ
Reſpexiſſem homines urbis calcare platéas;
Quos oculis æquè ac ceram me cernere dico;
Nil ego cum videam veſtes & pilea præter,

Sub quibus automaton posset fortasse latere:
Et tamen hos homines mea mens dijudicat esse.
Atque ita luminibus quod me spectare putabam,
Judicio mentis solo me noscere certum est.
Verum proh pudor est! Dum me sapientia vili
Discernit plebi, dubitandi hinc quærere causam,
Et fere vulgari seduci more loquendi.
En juvat attentis deinceps attendere curis,
An distincta magis fuerit perceptio Ceræ,
Cum prius aspicerem, persuasum & firmiter esset,
Me satis externo Ceram dignoscere sensu,
Communi aut saltem sensu; sic dicere sueti
Hanc facultatem cerebro quâ occurrit imago.
An verò jam sit perceptio clarior ejus,
Attentâ postquam quæsivi indagine mentis,
Quæ natura siet; ac quî noscamus eandem.
Sed foret insulsum dubios heic quærere nodos.
Nam quid distincti perceptio prima ferebat?
Quod vel non posset cuivis occurrere bruto?
Externas verò solerti indagine mentis
A Cerâ didici postquam distinguere formas,
Exutoque velut quovis velamine nudam
Contemplor penitus, mox firmiter inde rescisco,
(Error judicii quamvis fortasse supersit)
Mente sine humanâ me non cognoscere ceram.
Hâc verò quidnam dicam de mente, vel ipso
De me; nam præter mentem nihil hactenus in me
Advertisse datum, solam hanc admitto; quid inquam,
Ipse ego qui clarè videor cognoscere ceram
Distincteque, annon multò me verius ipsum,
Certius, ac etiam multò distinctius inde
Perspicuèque magis cognosco? Quippe quod esse
Affir-

Affirmem ceram, quod eandem lumine vultus
Conſpiciam; certè luculentius inde pateſcit,
Me, quod eam videam, non non exiſtere poſſe.
Nam quod ſe noſtris ſpectandum præbet ocellis
Eſſe poteſt ſpecies ceræ, non cera ſed ipſa.
Quin fieri poſſit, deſint ut lumina vultus,
Queis quicquam videam: fieri ſed poſſe negatum,
Ut, modò, dum video, vel (quod mihi prorſus eodem
Nunc recidit) ſaltem de viſu cogito mecum,
Non eſſem quicquam, nec ſim ſubſtantia vera.
Et ratione pari, mihi ſi, perſuadeo ceram
Eſſe, quod hanc tangam, ſanè hinc inferre neceſſum,
Me, qui contingo digitis, exiſtere certò.
Sic quoque; dum cerebro formata occurrit imago
Quędam forte meo, fas eſt inferre quod extem.
Et par judicium reliquis de ſenſibus eſto.
Sed quod de Cerâ modò mens advertit, id omne
Extra me poſitum nôris concernere corpus.
Porro ſi diſtincta magis perceptio ceræ
Viſa fuit, quod non ex ſolis ſenſibus illam,
Sed ſimul ex aliis eſſet jam cognita cauſis,
In præſens quanto majori jure fatendum,
Me nunc cognoſci multò diſtinctius à me.
Namque ex allatis ratio non profuit ulla,
Ex quâ clara magis perceptio reddita ceræ
Atque vel alterius cujuſquam corporis eſſet,
Quin illâ melius mentis natura probetur.
Verum quid nimium diu cauſis immoror hiſce?
Nam ſunt præterea rationum pondera menti
Inſita, plura meæ, mihi queis diſtinctior ejus
Cognitio fiat, vix ut ſint digna relatu,
Notitiam illius quæ claram ex corpore reddunt.

Et

Et mea diuturnum mens delaſſata vagando,
Quò pridem volui, propriâ eſt jam ſponte reverſa.
Namque ſatis cum ſit ſolidâ ratione probatum,
Non propriè externo cognoſci corpora ſenſu,
Neve ex vi cerebro quæ fert phantaſmata noſtro,
Nec quod tangantur, vel quod videantur ab ullo,
Sed puro tantum ſolius lumine mentis;
Hinc conſtat quod mens ſit corpore notior ipſa,
Atque magis facili quoque cognitione noteſcat.
Sed quia tam ſubitò mens conſuetudine priſcâ
Exſolvi neſcit, libet heic conſiſtere paulò,
Ut nova cognitio multum meditando diuque
Altius hæreſcat memori ſub mente repoſta.



PRO-



PROOEMIUM
DE
METHODO
MEDITATIONUM.

QUandoquidem Methodus, quâ utitur Philosophus, multos offendit, & vel ex ignorantiâ vel ex malitiâ impingere facit, adeò ut quidam proprias ipsius Cartesii hypotheses & sententias esse opinentur, quas ex aliorum opinione tantummodò refert & ad tempus admittit, donec ordine legitimo philosophandi eò devenerit, ut easdem refutet; vel etiam ut conclusiones quasdam, quæ ipsis minus veræ videntur, à reliquo demonstrationum corpore & concatenatâ veritatum serie divellant, quas impugnant, nullâ factâ mentione rationum quibus à Philosopho in antecessum demonstrantur: exempli causâ, has à Cartesio ex aliorum sententiâ positas hypotheses, *Genium aliquem malignum, eundemque summè potentem & callidum omnem suam industriam in eo posuisse, ut nos falleret: Cælum, terram, aërem, colores, figuras, sonos, cunctaque externa nihil aliud esse quam ludificatio-*

nes ſomniorum, quibus inſidias noſtræ credulitati deceptor ille tetendit: Fidem omnem prorſus ſenſibus eſſe denegandam, & his ſimiles; has, inquam, hypotheſes traducunt, tanquam ſententiæ eſſent, quas Carteſius ipſe doceat & ſuis ſectatoribus inſtillare nitatur; quod falſiſſimum eſſe cuilibet ex ipſo Carteſio variis in locis, modò ne introſpicere detrectet, dilucidiſſimè patebit. Ut igitur, ſi fieri poſſet, hos homines ad ſaniorem mentem reducamus, & præcipuè ut Lectori diſcendi cupido ſatisfaciamus, de Methodo Philoſophiæ Carteſianæ quædam præfanda eſſe neceſſum duximus. Demonſtrandi autem ratio duplex eſt alia Syntheſis, alia Analyſis. Syntheſi ſolâ veteres in ſcriptis ſuis uſi ſunt, non quod Analyſin ignorarent, ſed (quod vero ſimile omninò) quia ipſam tanti faciebant, ut ſibi ſolis, tanquam arcanum quid, reſervaverint. Recentiores autem Mathematici & Geometræ Analyſi plerumque utuntur propter inſignem illius uſum, & hinc illa methodus Analytice Geometrarum non rarò appellatur. Maxima autem pars Analytices Geometricæ Zeteticâ & Poriſticâ exhauritur: harum autem opus atque profeſſio illud eſt, ex ignotis ad notiora animum deducere, unde per ſyntheſeos regreſſum poſſint ex adverſo ignota à notioribus concludi. Nempe accidere hoc ſæpiſſimè norunt ii, quicunque in Problematis ſolvendis aut Theorematis demonſtrandis verſari ſolent, deſtitui eos plerumque mediis eis quibus ipſi poſſint problema ſyntheticè conſtruere, aut Theorema propoſitum oſtendere, quare viam capeſſunt retrogradam, & naturali demonſtrationis viæ adverſam: initium ſumunt ab ignotâ quantitate aliquâ, vel ex problematis ipſius tanquam ſoluti ſuppoſitione, factâque per continuas (quantitatum variis modis comparatarum) conſequentias reſolutione, veniunt tandem ad æquationem inter datas duas aliquas ſive notas quantitates: hoc quidem habet omnis Analytice Geometrica. Proponuntur aliquando quædam Propoſitiones ſive Theoremata, dum adhuc neſcitur an vera vel falſa ſint; ſed id inquiritur. Supponuntur igitur ſive vera ſive falſa, eruuntur ex poſitione iſtâ conſe-

In Notis ad programma Regii, circa finem.

ſe-

ſequentiæ, ſi in vera deducunt, plerumque vera; ſi in falſa, ſemper eſſe falſa concluduntur illa enunciata, unde orta eſt reſolutio, quæ quidem Analytices pars Poriſtice vocatur: verbo, hoc habet utraque Analytice, ut ab ignotis ad notiora deducat, unde poſſit ſynthesis (quia convertibilia ſunt Geometriæ axiomata) ab iſtis notioribus, ubi deſinit Analyſis, incipiendo, ad eorum ſive Theorematum demonſtrationem, ſive Problematum ſolutionem, quæ fuerant quæſita, aſſurgere. Hæc jam paucis ad Meditationes Philoſophi applicemus, in quibus non ſolam demonſtrandi rationem, ſed & ordinem accuratè obſervare oportet. Ordo in eo conſiſtit, quod ea quæ prima proponuntur, abſque ullâ ſequentium ope cognoſcantur, & reliqua deinde omnia ita diſponantur ut ex præcedentibus ſolis demonſtrentur, qui ordo in ſcribendi genere Geometrico requiritur. Demonſtrandi autem ratio eſt per ſolam Analyſin, ab ignotis nempe ad notiora, quæ vera & optima via ad docendum eſt. Hunc itaque ordinem, hanc demonſtrandi rationem ſecutus Philoſophus, (ut ὡς ἐν τύπῳ leviter utrumque adumbrem) præmittit procœmium in quo neceſſitas dubitandi, præſertim de rebus materialibus, quamdiu non habemus alia ſcientiarum fundamenta, proponitur; & deinde ad oſtendendam & demonſtrandam neceſſitatem dubitationis, rationes, quantum fieri poteſt, graviſſimæ conquiruntur & exaggerantur, à Scepticis & Atheis præſertim uſurpatæ; & quoniam illæ rationes tantæ ſunt, ut ſolvi nondum poſſint à Philoſopho, antequam firmiora quam antehâc fundamenta obtinuerit, hinc ſolæ illæ rationes & deductæ exinde conſequentiæ, quæ ſunt Scepticorum & Atheorum hypotheſes & ſententiæ, ad tempus, ſive in ſe veræ ſive falſæ ſint nullo habitu reſpectu, admittuntur & ſupponuntur; ſed non alium in finem, quam ut quales ſint revera, an veræ nempe vel falſæ juſto ordine inquiratur. *Modus enim ſcribendi analyticus, quem ſequutus ſum*, inquit Carteſius, *id patitur, ut quædam interdum ſupponantur, quæ nondum ſint ſatis explorata, ut patuit in primâ Meditatione, in quâ multa aſſumpſeram, quæ deinde* *Reſpp. Quartis.*

in sequentibus refutavi. Tales autem hypotheses sive propositiones inter alias hæ sunt: *Sensibus omnem fidem esse denegandam: Sommum à vigiliâ non posse distingui: Infixam menti veterem opinionem de Deo esse falsam. Genium malignum in omnibus nos eludere. Cælum, aërem, terram, colores, figuras, sonos, cunctaque externa nihil aliud esse, quam ludificationes somniorum. Falsò opinor me habere manus, oculos, carnem, sanguinem, sensum*; & cæteræ aliæ id genus. Has autem omnes esse tantum hypotheses sive consequentias ex rationibus Atheorum & Scepticorum eductas & ad tempus admissas, non autem sententias ex ipsius philosophi mente vi firmæ demonstrationis probatas satis unicuique attentè meditationes perlegenti conspicuum fiet; quod etiam satis indicant formulæ loquendi, quibus præmissis, vel additis, à Philosopho hæc enuntiata proponuntur: nam illæ enim satis ostendunt ea effata ad accuratius examen nimirum an vera an falsa sint, esse revocanda; præsertim in methodo, ubi tanta ἀκρίβεια requiritur, & ubi nihil nisi quod firmissimè demonstratum est pro indubitato admittitur. Formulæ autem illæ inter alias hæ sunt: Age *ergo somniemus:* Demus *hoc totum de Deo esse fictitium.* Putabo *cælum, terram, aërem &c. omniaque externa nihil esse.* Suppono *omnia, quæ video esse falsa.* Nescio, *de hoc jam non disputo*, & cæteræ id genus philosopho usitatæ. Hypotheses autem illæ sive propositiones tamdiu & in eum finem à Philosopho supponuntur ut falsitatis per firmissimas rationes convictæ explodantur; sunt enim tales (quod ipse philosophus alibi affirmat,) ut nemo sanæ mentis eas, ut veras, amplectatur, sed ut tantum ab Atheis & Scepticis effingantur & nullâ solidâ ratione propugnentur. Ut itaque & hos convinceret & omnem tam enormium dubitationum vesaniam ex omnium hominum mentibus eradicaret easdem proposuit & adduxit. Atque hanc ob causam videmus omnes illas antedictas opiniones ad tempus, ut dixi, admissas per solidissimas rationes refutatas negari, & contrarias veritates, sublatâ omni dubitatione, indubitatò assertas, affirmari,

mari, ut ex. gr. *Deum omninò existere.* Med. III. *Certißimas notiones de extensione, figurâ, motu &c. dari.* Medit. IV. *Nos in omnibus non falli, nec à genio maligno deludi.* Medit. ead. *Nos corpus cæteraque membra habere. Alia extra nos corpora, cælum, terram, aërem &c. existere. Sensus circa ea, quæ ad corporis commodum spectant, multò frequentius verum indicare, quam falsum. Somnum à vigiliâ satis clarè poße distingui,* Medit. VI. Cæterum ut majorem adhuc lucem fœnerentur & dilucidius confirmentur ea quæ diximus, audiamus ipsum philosophum de naturâ & discrimine utriusque methodi, uti & de ordine quo usus est differentem: *Duas,* inquit, *res in modo scribendi Geometrico distinguo, ordinem scilicet, & rationem demonstrandi. Ordo in eo tantum consistit quod ea quæ prima proponuntur, absque ullâ sequentium ope debeant cognosci & reliqua omnia deinde ita disponi ut ex præcedentibus solis demonstrentur. Atque profectò hunc ordinem quam accuratissimè in Meditationibus meis sequi conatus sum.*

In Respp. ad Object. secundas ad num. 7.

Demonstrandi autem ratio duplex, alia scilicet per analysin, alia per synthesin. Analysis veram viam ostendit per quam res methodicè & tanquam à priori inventa est, adeò ut si lector illam sequi velit, atque ad omnia satis attendere, rem non minus perfectè intelliget, suamque reddet, quam si ipsemet illam invenisset. Nihil autem habet, quo lectorem minus attentum, aut repugnantem, ad credendum impellat; nam si vel minimum quid ex iis quæ proponit non advertatur, ejus conclusionum necessitas non apparet, sæpeque multa vix attingit, quià satis attendenti perspicua sunt, quæ tamen præcipuè sunt advertenda.

Synthesis è contra per viam oppositam & tanquam à posteriori quæsitam (etsi sæpe ipsa probatio sit in hâc magis à priori quam in illâ) clarè quidem id quod conclusum est demonstrat, utiturque longâ definitionum, petitionum, axiomatum, theorematum & problematum serie, ut siquid ipsi ex consequentibus negetur, id in antecedentibus contineri statim ostendat, sicque à lectore quantumvis repugnante ac pertinaci

assensionem extorqueat: sed non ut altera satisfacit, nec discere cupientium animos explet, quià modum, quo res fuit inventa, non docet.

Exponit autem ipse quam methodum in conficiendis Meditationibus suis adhibuit, & quibus rationibus impulsus id egerit; ità enim procedit: *Ego verò,* inquit, *solam Analysin, quæ vera & optima via est ad docendum, in Meditationbus meis sum secutus; sed quantum ad synthesin, etsi in rebus Geometricis aptißimè post Analysin ponatur, non tamen ad has Metaphysicas tam commode potest applicari. Hæc enim differentia est, quod primæ notiones, quæ ad res Geometricas demonstrandas præsupponuntur, cum sensuum usu convenientes, facilè à quibuslibet admittantur; ideoque nulla est ibi difficultas, nisi in consequentiis ritè deducendis quod à quibuslibet etiam minus attentis fieri potest, modò tantum præcedentium recordentur: & propositionum minuta distinctio ad hoc est parata, ut facilè citari, atque ita vel nolentibus in memoriam reduci poßint. Contra verò in rebus Metaphysicis de nullâ re magis laboratur quam de primis notionibus clarè & distinctè percipiendis: Etsi enim ipsæ ex naturâ suâ non minus notæ, vel etiam notiores sint, quam illæ quæ à Geometris considerantur, quia tamen iis multa repugnant sensuum præjudicia, quibus ab ineunte ætate assuevimus, non nisi à valdè attentis, & meditantibus, mentemque à rebus corporeis, quantum fieri potest avocantibus perfectè cognoscuntur; atque si solæ ponerentur, facilè à contradicendi cupidis negari possent.* Et hinc interjectis quibusdam infert. *Ideoque non modò meritò singularem attentionem in lectoribus meis desidero, illumque scribendi modum præ cæteris elegi, quo illam quam maximè conciliari poße putavi, & ex quo mihi persuadeo lectores plus utilitatis esse percepturos, quam ipsimet sint animadversuri; cum è contra ex modo scribendi Synthetico plura sibi videri soleant didicisse, quam revera didicerunt. Sed etiam æquum esse existimo ut illorum, qui mecum meditari noluerint, anticipatisque suis opinionibus adhærebunt, judicia, quæ de meis*

neis ferent, prorsus recusem, & tanquam nullius momenti *ontemnam.* Perfectissimo autem hoc ordine & incompa-abili demonstrandi ratione simplicissimas veritates, quæ ob uam infallibilem certitudinem & indivulsam seriem, quam nter se constantissimè servant, detexit adeò firmas, ut solidio-es & meliores ab humano ingenio reperiri posse credibile ix sit. Audite hæc ipsa authorem ipsum cogente necessita-e & gloriâ Dei (ad quam hæc omnia referuntur) liberius qui-em, quam ipsius fert consuetudo, profitentem. *Primas*, ıquit, *& præcipuas tantum* (rationes pro Existentiâ Dei c reali mentis à corpore distinctione) *ita sum prosecutus*, *t jam pro certissimis & evidentissimis demonstrationibus illas* *usim proponere: Addamque etiam tales esse, ut non putem* *llam viam humano ingenio patere, per quam meliores unquam* *veniri possint.* Cum verò tales sint, non tamen mirum ali-ıi videri debet, cur toties ab adversariis impetitæ & op-ıgnatæ sint; quippe à libidine contradicendi impugnari, ıid mirum est? cum ex solâ ignorantiâ & repugnandi per-ıaciâ, vel ob alias plurimas rationes in antecedentibus assi-ıatas, id fiat à plerisque, qui elumbibus suis telis hacte-ıs ea impetere ausi fuerunt. Præsagientem hæc ipsa audia-us rursus philosophum, modo allegatis enim hæc mox bjungit: *Atqui*, inquit, *quantumvis certas & evidentes* *as* (veritates) *putem, non tamen ideò mihi persuadeo, ad* *mium captum esse accommodatas, sed quemadmodum in* *ometriâ multa sunt ab Archimede, Apollonio, Pappo,* *isve scripta, quæ etsi pro evidentibus etiam & certis ab* *mibus habeantur, quia nempe nihil planè continent, quod* *rsim spectatum non sit cognitu facillimum, nihilque in quo se-* *entia cum antecedentibus non accuratè cohæreant, quia ta-* *n longiusculæ sunt, & valdè attentum lectorem desiderant,* *n nisi ab admodum paucis intelliguntur. Ita quamvis eas,* *ibus hic utor, certitudine & evidentiâ Geometricas æqua-* *vel etiam superare existimem, vereor tamen ne à multis sa-* *percipi non possint, tum quia etiam longiusculæ sunt, &* *æ ab aliis pendent: tum præcipuè, quia requirunt mentem*

In Epist. Dedic. Meditat.

à præjudiciis planè liberam, & quæ seipsam à sensuum consortio facilè subducat. Nec certè plures in mundo Metaphysicis studiis quam Geometricis apti reperiuntur. Ac præterea in eo differentia est, quod in Geometriâ cum omnibus sit persuasum, nihil scribi solere, de quo certa demonstratio non habeatur, sæpius in eo peccant imperiti, quod falsa approbent, dum ea videri volunt intelligere, quam quod vera refutent. Contra verò in Philosophiâ cum credatur nihil esse de quo non possit in utramque partem disputari, pauci veritatem investigant, & multò plures ex eo quod ausint optima quæque impugnare, famam ingenii aucupantur. Atque hæ jam rationes satis evidenter, ut judico, ostendunt, cur animis adeò ferventibus in Philosophum omni tempore invecti fuerint adversarii & cur etiamnum hodiè tot patiatur antagonistas, qui rem se Deo gratam facere opinantur, quod adversus eum omni impetu insurgant. Cæterum hic aliquis, qui modestioris ingenii videri vult, quærat fortassis. Quid igitur præ cæteris philosophis in his suis Meditationibus præstitit Cartesius? Vixerunt ab omni ævo sapientissimi viri, an ne hi, inquirentes omnibus animi viribus veritatem eruere, semper devii à scopo aberrârunt? an in ipsorum scriptis nihil sani, nihil veri? Nihil æquabilius inter homines esse distributam à Deo quam bonam mentem seu rectam rationem, adeò ut illa omnibus æqualis innata sit, & omnibus vis incorruptè judicandi & verum à falsò distinguendi æquè vivida à naturâ concessa sit, ipsa Cartesii modestia & veritatis amor fatentur. Hoc tamen nihil impedit quò alter præ altero veritatem magis eruat, quoniam hic suas cogitationes per meliores, quam ille dirigit vias: qui autem rectum perpetuò insistunt viam etiam lentissimo tantum gradu incedentes, celerius pergunt, quam qui sæpe aberrantes citatiori cursu feruntur. Jam verò profiteri non veretur *Noster* se singulari deputare felicitati, quod à primis annis in eas cogitandi vias inciderit, per quas non difficile fuit, pervenire ad cognitionem quarundam regularum sive axiomatum, quibus constat methodus, cujus ope gradatim augere scientiam

tiam, illamque tandem, quam pro ingenii sui tenuitate & vitæ brevitate maximam sperare liceat, se acquirere posse consideret? Hanc igitur legitimam veritatis inveniendæ viam attentis meditationibus magis magisque detegens, ad illam tandem perfectionem eandem perduxit, ut per eam solidissimas & evidentissimas contexuerit Metaphysicas Demonstrationes. Non quod in his congesserit rationes, quæ nunquam à magnis viris allatæ essent, sed quod ex omnibus optimas studiosè conquisierit, & Methodo aliis minus usitatâ, sed ad quaslibet difficultates in scientiis resolvendas expeditâ & felici, quam in Philosophiâ non invenit, sed duce veritate fecit, in unum concinnum corpus artificiosissimè redegerit, adeò ut nil nisi mera certissimarum & evidentissimarum demonstrationum concatenatio sit. Cæterum audiamus ipsum Philosophum modestè hæc profitentem: *Non est dubium*, inquit, *quin omnes ii, qui alios docent, veritatem pro viribus quærere, atque inventam docere teneantur. Sed nempe non creditur eam fore in novâ illâ Philosophiâ quam promitto: Non verisimile est me unum plus vidisse, quam sexcenta millia ingeniosissimorum virorum, qui opiniones in scholis vulgò receptas sequuti sunt: Viæ tritæ ac cognitæ novis ac ignotis sunt semper tutiores; Præsertim propter Theologiam, cum quâ veterem & vulgarem Philosophiam optimè consentire, multorum annorum experientia jam docuit: de novâ autem incertum est: Ideoque ne fortè imperitam multitudinem novitatis avidam ad se alliciendo paulatim crescat, & vires sumat; Scholarumque sive Academiarum pacem & quietem perturbet; vel etiam in Ecclesiâ novas hæreses adducat, maturè prohibendam atque extinguendam esse quidam contendunt. Ego verò contra respondeo me quidem mihi nihil arrogare, nec profiteri me plus videre quam cæteros; sed hoc forte mihi profuisse, quod cum proprio ingenio non multum fidam, planas tantùm, & faciles vias sim sequutus: Nam si quis per ipsas magis promoveat, quam alii multò maiori ingenio præditi per salebrosas & impenetrabiles illas quas sequuntur non est mirandum. Addo*

In Epist. ad P. Dinet.

me nolle ut mihi credatur de veritate eorum quæ promitto, ſed ut ex iis ſpeciminibus quæ jam dedi judicetur: Non enim ibi unam aut alteram, ſed plus ſexcentis quæſtionibus explicui, quæ ſic à nullo ante me fuerunt explicatæ; ac quamvis multi hactenus mea ſcripta tranſverſis oculis inſpexerint, modiſque omnibus refutare conati ſint, nemo tamen quod ſciam, quicquam non verum potuit in iis reperire. Fiat enumeratio quæſtionum omnium, quæ in tot ſæculis, quibus aliæ Philoſophiæ viguerunt, ipſarum ope ſolutæ ſunt, & forte nec tam multæ nec tam illuſtres invenientur. Quantum autem ad ſcripta ſapientiſſimorum veterum, methodus in illis confuſa, obſcura, ſalebroſa, hiulca & male cohærens, deſunt ibi demonſtrationes ſolidam, evidentem & infallibilem ſcientiam parientes, ſed opiniones tantummodo probabiles, adeò ut ſi totum corpus ipſorum philoſophematum in genere ſpectes, jure dicas, ibi nihil ſani, nihil ſolidè veri eſſe; ſed omnia ambigua & perpetuis diſſidiis eſſe obnoxia: adeò ut huc reſpiciens philoſophus de univerſâ omnium veterum Philoſophiâ non minus liberè, quam verè pronunciaverit: *De Philoſophia*, inquiens, *nihil dicam, niſi quod, cum ſcirem illam à præſtantiſſimis omnium ſeculorum ingeniis fuiſſe excultam, & nihil tamen adhuc in eâ reperiri, de quo non in utramque partem diſputetur, hoc eſt, quod non ſit, dubium & incertum; non tantùm ingenio meo confidebam, ut aliquid in eâ melius à me quam à cæteris inveniri poſſe ſperarem. Et cum attenderem quot diverſæ de eâdem re opiniones ſæpe ſint, quarum ſingulæ à viris doctis defenduntur, & ex quibus nunquam plus una vera eſſe poteſt: quidquid ut probabile tantum affertur, propemodum pro falſo habendum eſſe exiſtimabam.* Quantum autem in particulari ad Philoſophiam Peripateticam, quatenus talis tantum eſt, attinet, de eâ judicium quoque Philoſophi exponamus: *Philoſophia* ait, *illa vulgaris, quæ in Scholis & Academiis docetur, eſt tantum congeries quædam opinionum, maximâ ex parte dubiarum, ut ex continuis diſputationibus, quibus exagitari ſolent, apparet; atque inutilium, ut longa experientia jam docuit; nemo*

De Methodo part. I.

Adverſus Voetium part. I.

mo

mo enim unquam ex materiâ primâ, formis substantialibus, qualitatibus occultis, & talibus aliquid in usum suum convertit. *Quinimò*, ut alibi loquitur, *profiteor ne unius quidem quæstionis solutionem ope principiorum Peripateticæ Philosophiæ peculiarium, datam unquam fuiße, quam non possim demonstrare esse illegitimam & falsam: Fiat periculum, proponantur, non quidem omnes, neque enim operæ pretium puto multum temporis eâ in re impendere, sed paucæ aliquæ selectiores; stabo promissis: Et moneo tantum, ne captioni locum relinquam, loquendo de principiis Peripateticæ Philosophiæ peculiaribus, me excipere illas quæstiones, quarum solutiones desumptæ sunt, vel à consideratione figurarum, & motuum, quæ Mathematicorum propria est; vel denique in Metaphysicis à communibus illis notionibus, quas à me admitti, ut & præcedentia, ex Meditationibus meis apparet.* Non tamen diffitemur veritates quasdam in philosophematis veterum hinc inde sparsas, si eas separatim & singulas seorsim spectes, contineri, sed illæ ipsæ ita detortæ & contaminatæ atque inter se invicem impeditæ erant, ut remedia errorum & alimenta veritatis veneni naturam induerint, ne possint usui esse nisi perito pharmacopœo, qui arte & igne purgatorio adhibitis noxium ab utili separet. Hanc curam impendit, hanc manum medicam admovit Cartesius & veritates per lacinias in veterum scriptis sparsas & clanculum delitescentes prudenti artificio detexit, selegit, & in unum saluberrimarum veritatum corpus concinnâ methodo digessit. Fatetur sanè philosophus *vix ullas dari posse* (pro existentia Dei & reali animæ à corpore distinctione rationes) *quæ non prius ab aliquibus aliis fuerint inventæ: Nihil tamen utilius*, addit, *in Philosophiâ præstari poße existimo, quam si semel omnium optimæ studiosè quærantur, tamque accuratè & perspicuè exponantur, ut apud omnes constet in posterum eas esse demonstrationes. &c. Ideoque officii mei esse putavi nonnihil hac in re conari. Quicquid autem præstare potui totum in hoc tractatu continetur.* Et has ob rationes nostri propositi est in posterum in hoc opere nostro Exege- *In Epist. Præf. Meditationibus.*

 tico

tico consentientes cum veritatibus à philosopho congestis aliorum doctorum virorum tum recentiorum tum præcipuè veterum sententias quandoque allegare, ut ità pariter & Philosophum nostrum illustremus, cum aliis eruditis utcunque conciliemus, & novaturiendi pruritum toties ipsi ab adversariis objectum profligemus. Nec est, quod quispiam putet id fieri contra mentem ipsius Cartesii, ut perperam opinantur quidam ex ipsius asseclis. Nam licet ipse in suis operibus aut nunquam aut saltem rarissimè alios consentientes adducat viros eruditos, ea erat ratio, quod suam philosophiam solâ demonstrandi per rationes evidentiâ & certitudine, non autem ullâ hominum authoritate, niti ostenderet; sed hoc nihil impedit quo minus suam philosophiam per aliorum eruditorum scripta velit illustrari, aut saltem cum eisdem conciliari. Ipse enim suo nobis præit exemplo, cum enim primus Opponens unum ex Philosophi argumentis cum aliquo ex Thomâ Aquinate contulisset, fatetur se nullâ illic in re ab illo Doctore dissentire. Alio etiam loco ad conciliandam suam loquendi formulam cum aliis Philosophis adducit Franc. Suarem secum consentientem. Imò cum *negat Deum mentiri*, vel *esse deceptorem*, ad omnium Theologorum & Metaphysicorum unanimem provocat consensum. Quin & gratissimam sibi suæque Philosophiæ stabiliendæ operam locari dilucidè ostendit, dum disertis verbis gratias agit quarto Opponenti, *quod Augustini auctoritate se adjuvârit, rationesque suas ità proposuerit, ut timere videretur, ne non satis fortes aliis apparerent.* Ex quibus satis patet, quam apprimè cum mente Philosophi conveniat, siquis ipsius philosophiam dilucidius explicare, cum aliis conferre & institutâ accuratâ συμβιβάσει conciliare allaboraverit. Sed hic denuò regeret fortassis quispiam, difficile id factu esse, imò vix ac ne vix quidem fieri posse, siquidem nova sunt omnia & modò nata quæ meditatus est Renatus. Si methodum spectes quâ contexta sunt, nova sunt; si modum, quo proposita sunt, consideres, nova sunt; si denique tempus, quo in lucem protracta sunt, innuas, nova sunt: si res ipsas

In Respp. ad pr. Object.

In Respp. ad Object. 4.

In Respp. ad Object. 2. num. 75.

ipsas intuearis, antiquissima sunt, veritate enim nihil antiquius. Sed an revera nova sint, & pro talibus hæc venditet Philosophus; an verò vetera esse agnoscat; & anne è contra Philosophia Peripatetica nova sit, facundo rursus ore Philosophus edisserat.

De Principiis, quibus usus fuit in rerum materialium naturâ explicandâ hunc in modum loquitur: *Velim etiam notari, me hic universam rerum materialium naturam ità conatum esse explicare, ut nullo planè principio ad hoc usus sim, quod non ab Aristotele, omnibusque aliis omnium seculorum philosophis fuerit admissum: adeo ut hæc Philosophia non sit nova, sed omnium maximè antiqua & vulgaris. Nempe figuras & motus, & magnitudines corporum consideravi: & secundum leges Mechanicæ, certis & quotidianis experimentis confirmatas, quidnam ex istorum concursu sequi debeat, examinavi. Quis autem unquam dubitavit, quin corpora moveantur, variasque habeant magnitudines & figuras, pro quarum diversitate ipsorum etiam motus varientur, atque ex mutuâ collisione, quæ majuscula sunt in multò minora dividantur & figuras mutent? Hoc non uno tantum sensu, sed pluribus, visu, tactu, auditu deprehendimus; hoc etiam distinctè imaginamur & intelligimus.* Principp. p. 4. §. cc. Metaphysicas autem quod attinet demonstrationes, illæ ex claris & notis deductæ etiam sunt principiis: *Non autem video,* inquit, *causam ullam esse posse, cur nec ipsi nec ulli alii viri docti, quod sciam, quicquam hactenus in rationibus meis reprehenderint, nisi quià sunt omninò vera ac certa, cum præsertim ipsa ex nullis obscuris ignotisve principiis, sed primum à summâ rerum omnium dubitatione, ac deinde ex iis, quæ menti præjudiciis liberæ omnium evidentissima & certissima esse apparent, gradatim deducta sint.* Et hinc conferens suam cum Peripateticâ Philosophiam, hanc illâ longè antiquiorem esse ex rei veritate scribit. *Addo etiam,* inquit, *quod forte videbitur esse paradoxum, nihil in eâ Philosophiâ esse, quatenus censetur Peripatetica, & ab aliis diversa, quod non sit novum: nihilque in mea quod non sit vetus; Nam quantum ad Principia,* In Epist. ad P. Dinet. *ea*

ea tantum admitto, quæ omnibus omninò Philosophis hactenus communia fuere, suntque idcirco omnium antiquissima; & quæ deinde ex iis deduco, jam ante in ipsis contenta & implicita fuisse tam clarè ostendo, ut etiam antiquissima, utpote humanis mentibus à naturâ indita, esse appareat: Contra autem principia vulgaris, eo saltem tempore, quo ab Aristotele aliisve inventa sunt, erant nova, nec jam meliora putari debent quam tunc fuere; nihilque ex iis deducitur quod non sit controversum, & ex more Scholarum à singulis Philosophis mutari possit, ac proinde quod non sit maximè novum, cum quotidiè adhuc renovetur. Sed esto quoque Cartesii Philosophia nova, annè propterçà ilicò mala, damnanda & proscribenda? *Odiosum quidem est circa religionem aliquid velle innovare; quia cum quisque illam, quam amplectitur, dicat se credere institutam esse à Deo, qui errare non potest, nihil ex consequenti credit in eâ posse novari, quod non sit malum: sed circa Philosophiam, quam ultrò fatentur omnes nondum ab hominibus satis sciri, ac multis egregiis inventis augeri posse, nihil laudabilius est, quam esse Novatorem.* Cæterum acrius rursus instabunt alii, criminantes Philosophum ipsum talem esse novatorem, qui orthodoxæ Theologiæ contraria, Scholarum pacem perturbantia, & hæreses pestiferas foventia procudit & docet dogmata. Hæ enim sunt criminationes jam à primâ nascentis hujus Philosophiæ horâ Philosopho objectæ, & quæ, vel centies refutatæ, denuò subinde ingeminantur, nempe coccygum fœtus cantu æmulantur parentes. Sed quod hujus generis sugillatoribus olim repositum est à Philosopho, & nos iis reponamus, adeoque Philosophum sibi ipsi patrocinantem adducamus. *Quantum ad Theologiam*, inquit, *cum una veritas alteri adversari nunquam possit, esset impietas timere, ne veritates in Philosophiâ inventæ iis quæ sunt de fide adversentur; Atque omninò profiteor nihil ad religionem pertinere, quod non æquè, ac etiam magis facile explicet, quam per ea quæ vulgo recepta sunt: Jamque hujus rei mihi videor specimen dedisse satis luculentum, in fine meæ responsionis ad quartas Objectiones, circa quæstionem in quâ omnium diffi-*

difficillimè Philosophia cum Theologiâ solet conciliari: Et idem in aliis quibuslibet, si opus sit, præstare sum paratus; Ac etiam ostendere multa è contra esse in vulgari Philosophiâ, quæ reverà pugnant cum iis quæ in Theologia sunt certa, etsi id vulgò à Philosophis dissimuletur, vel ob longam iis credendi consuetudinem non advertatur; &c. Non etiam metuendum est, ne Scholarum pacem perturbent: sed contra cum omnes Philosophi tot controversiis se mutuò vexent, ut nunquam majori in bello esse possint, quam jam sunt, nulla melior ratio est ad pacem inter illos conciliandam, Hæresesque etiam quæ quotidie ex istis controversiis repullulant minuendas, quam si veræ opiniones, quales meas esse jam probavi, recipiantur: Earum enim clara perceptio omnem dubitandi ac disputandi materiam tollet. Atque ex his patet, nullam revera esse rationem, ob quam nonnulli tanto studio reliquos homines ab iis cognoscendis velint avertere; nisi quod nimis evidentes & certas eas esse existimantes, vereantur ne obsint famæ doctrinæ, quam ipsi ex aliarum minus probabilium cognitione quæsiverunt. Adeò ut hæc ipsa illorum invidia non exiguum sit veritatis meæ Philosophiæ argumentum.

Novi quam avidè arrepturi sunt hujus responsionis verba antagonistæ; regerent enim: Imo ex hoc ipso specimine, quod citavimus ex Respp. ad Quartas Objectiones, satis manifestum esse eum Reformatæ Theologiæ contraria, Pontificiam verò stabilientia docuisse Principia, ex iisdem enim eum Transsubstantionem, palmarium Papismi dogma, acriter eo loco defendere. Ut autem videamus & liquidò appareat, quam felix patrocinium præbuerit Transsubstantiationi, & an revera illud ex animo defenderit, asscribamus & examinemus ipsa, licet prolixiora, Philosophi verba, & ex iisdem Philosophi mentem eliciamus. Verba sic se habent: *Sed cum fortè*, inquit, *primi Theologi; qui hanc quæstionem Philosophico more explicare conati sunt, tam firmiter sibi persuaderent* 1. Respp. Quart. circa fin. *accidentia illa quæ sensus movent esse quid reale à substantiâ diversum, ut ne adverterent quidem ea de re posse unquam dubitari: sine ullo examine ac sine justâ ratione supposuerunt spe-*

cies

cies panis esse accidentia ejusmodi realia: totique deinde in eo fuerunt ut explicarent, quomodo ipsa sine subjecto esse possint. Quâ in re tot difficultates invenerunt, ut vel ex hoc uno (quemadmodum viatores cum forte ad salebras & loca nullo modo pervia devenerunt) se à vero itinere deflexisse judicare debuissent.
2. *sent. Inprimis enim non videntur sibi constare, saltem ii qui omnem sensuum perceptionem per contactum fieri concedunt, cum objectis aliquid aliud, quam ipsorum superficies variè dispositas, ad movendos sensus requiri supponunt: quia per se notum est, ad contactum solam superficiem sufficere: si qui verò id non concedant, nihil eâ de re afferre possunt quod ullam*
3. *habeat speciem veritatis. Deinde non potest humana mens cogitare accidentia panis esse realia & tamen absque ejus substantiâ existere, quin simul illa per modum substantiæ concipiat: Adeò ut implicare videatur, ut tota panis substantia mutetur, quemadmodum credit Ecclesia; & interim ut aliquid reale, quod prius erat in pane, remaneat: quia nihil reale potest intelligi remanere, nisi quod subsistat, & quamvis verbo vocetur accidens, concipiatur tamen ut substantia. Ideoque in re idem est ac si diceretur totam quidem panis substantiam mutari, sed tamen illam ejus substantiæ partem, quæ vocatur accidens reale remanere: quod si non in verbis,*
4. *certè in conceptu contradictionem involvit. Atque hæc præcipua ratio esse videtur ob quam nonnulli hâc in parte ab Ec-*
5. *clesiâ Romanâ dissenserunt. Quis autem neget, ubi liberum est, & nulla ratio, nec Theologica, nec quidem Philosophica, cogit nos ad aliquas opiniones amplectendas, quin illæ potissimum sint amplectendæ, quæ nullam aliis occasionem nec prætextum dare possint à veritate fidei deflectendi? Quod*
6. *autem opinio quæ realia ponit accidentia, cum Theologicis rationibus non conveniat, puto hic satis perspicuè ostendi: quodque Philosophicis planè adversetur, spero me in summâ Philosophiæ, quam jam habeo in manibus, clarè esse Demonstraturum; ibique quo pacto color, sapor, gravitas, & reliqua omnia quæ sensus movent, à solâ extima corporum superficie dependeant ostendam. Denique non possunt accidentia*

realia

realia ſupponi, quin miraculo tranſſubſtantiationis, quod ſolum ex verbis conſecrationis concludi poteſt, aliud novum, & quidem incomprehenſibile, gratis addatur, per quod accidentia iſta realia, abſque panis ſubſtantia ita exiſtant, ut ipſa interim non fiant ſubſtantiæ: quod non modo pugnat contra humanam rationem, ſed etiam contra axioma Theologorum, qui dicunt verba iſta conſecrationis nihil efficere niſi ſuum ſignificatum; & quæ per rationem naturalem poſſunt explicari miraculo nolunt aſſcribi. Quæ omnes difficultates per meam hujus 7.
rei explicationem planè tolluntur: nam tantum abeſt, ut juxta 8.
ipſam opus ſit aliquo miraculo ad conſervanda accidentia poſt ſublatam ſubſtantiam; quin potius ſine novo miraculo (per quod ſcilicet dimenſiones mutentur) tolli non poſſunt. Hocque aliquando contigiſſe memoria proditum eſt, cum loco panis conſecrati caro vel puer in manibus ſacerdotis apparuit: Non enim id unquam per miraculi ceſſationem, ſed omninò per novum miraculum accidiſſe creditum eſt. Præterea nihil 9.
eſt incomprehenſibile aut difficile in eo quod Deus creator omnium unam ſubſtantiam in alium mutare poſſit, quodque hæc poſterior ſubſtantia ſub eadem planè ſuperficie remaneat ſub qua prior continebatur. Nec etiam quicquam rationi magis 10.
conſentaneum dici poteſt, nec vulgò apud Philoſophos magis receptum, quam non modò omnem ſenſum, ſed generaliter omnem corporis in corpus actionem fieri per contactum, huncque contactum in ſolâ ſuperficie eſſe poſſe: unde ſequitur evidenter eandem ſuperficiem, quantumvis ſubſtantia quæ ſub eâ eſt mutetur, eodem ſemper modo agere ac pati debere. Inquirendo autem penitius conſideremus, quæ in hoc diſcurſu proponat Philoſophus, & in hunc finem eundem quaſi in capita digeramus: Primò carpit eos Theologos, qui primi aggreſſi fuére dogma Tranſſubſtantiationis Philoſophico more explicare, propterea quod adeò firmiter ſibi perſuaſiſſent accidentia illa, quæ ſenſus movent, eſſe quid reale à ſubſtantiâ diverſum, ut exiſtimarent illud omni prorſus carere dubio. Et propter hanc ipſorum imprudentiam & ſtupiditatem, primùm ſuppoſuerunt ſine ullo examine & juſtâ

ratione ſpecies panis eſſe accidentia ejuſmodi realia ſine pane ut ſubjecto, cui inſint, ſubſiſtentia; & deinde illud ita ſupponentes in eo toti fuerunt, ut explicarent quomodo ipſa ſine ſubjecto eſſe poſſint. Detexit autem ipſam eorum ſtupidam imprudentiam, quod cum jam in eo allaborarent ut hoc explicarent, innumeras difficultates deprehenderint, ex quibus niſi prorſus ſtupidi fuiſſent, facile agnoſcere potuiſſent ſe à veritate naufragium feciſſe, ut norunt viatores ſe à verô itinere deflexiſſe ubi in ſalebras & loca impervia pervenerunt. Primò itaque heic ridet eos, qui accidentia panis ſine pane ut ſubjecto, cui inſint, ſubſiſtere poſſe ſtatuerunt. Secundò redarguit & inconſtantiæ convincit eos, qui rectè quidem ſtatuunt omnem ſenſuum perceptionem fieri, per contactum, & tamen perperam accidentia realia admittunt, ut faciunt quidam ex Peripateticis & Tranſſubſtantiationis Patronis: nam hi in objectis, ut ait, aliud, quam ipſorum ſuperficies variè diſpoſitas, ad movendos ſenſus requiri ſupponunt; cum lumine naturali notum eſt ad contactum ſolam ſuperficiem ſufficere; & porrò, qui ad contactum ſolam ſuperficiem ſufficere negant, nullo modo cum quâdam veritatis ſpecie explicare poſſunt, quomodo fiat contactus. Tertiò ex profeſſo refutat accidentia realia: Docet enim fieri non poſſe, ut mens humana cogitet accidentia panis eſſe realia & abſque panis ſubſtantiâ exiſtentia, dum interim ea non concipiat ut veras ſubſtantias per ſe ſubſiſtentes. Quod poſterius tamen, nempe quod accidentia illa realia ſint ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentes repugnare dicit fidei Eccleſiæ Romanæ; nam illa credit, totam ſubſtantiam panis mutari; & contra, illi qui docent aliquid reale ſive accidentia realia, quæ prius erant in pane, remanere, revera docent aliquid quod per ſe ſubſiſtat ſive ſubſtantiam remanere; nam licet voce illud quod remanet in pane nuncupent accidens concipiunt tamen ut ſubſtantiam; reipſâ igitur repugnantia & contradictionem involventia docent, nempe totam quidem panis ſubſtantiam mutari, ſed tamen partem ſubſtantiæ remanere. Et porrò quartò oſtendit propter illam de accidentibus realibus doctrinam repugnantem

tem

tem ipſi doctrinæ fidei in Eccleſiâ Romanâ de Tranſſubſtantiatione, multos receſſiſſe ab illâ Eccleſiâ: Cum enim viderent accidentia realia acriter à Doctoribus Pontificiis propugnari nec unquam in dubium trahi, & ſimul ab iiſdem doceri dogma Tranſſubſtantiationis per hæc ſola accidentia poſſe defendi, jure meritò ab Eccleſiâ Romanâ ſeceſſum fecerunt Reformati. Quintò in genere affirmat, (provocando ad omnes, qui ſanæ mentis ſunt,) illas opiniones præ cæteris eſſe amplectandas, quæ non præbent occaſionem nec prætextum recedendi à veritate fidei, uti facit opinio de accidentibus realibus, quæ proinde meritò eſt exploſa; quià nec cum ſanâ Theologiâ, nec Philoſophiâ convenit. Sextò autem oſtendit non modò rationibus Philoſophicis & Theologicis, ſed & ipſi Tranſſubſtantiationis myſterio & placitis Theologorum Pontificiorum contrariari doctrinam de accidentibus realibus: nam ſi illa opinio admittitur duplex miraculum ſtatuendum erit in Tranſſubſtantiatione: primum, totalis tranſmutatio ſubſtantiæ panis; alterum, quod accidentia panis ſine pane ſubſiſtant, ut interim non ſint ipſæ ſubſtantiæ. Prius miraculum ſolummodò admittere Pontificios Theologos ſcribit; poſterius autem non tantum cum Theologorum eorundem ſententiâ; qui dicunt verba conſecràtionis, *Hoc enim eſt corpus meum*, nihil efficere niſi ſuum ſignificatùm; ſed etiam cum humanâ ratione pugnare aſſerit. Nulla igitur hactenus approbatio iſtius dogmatis Pontificii; ſaltem aſſertio quod cum accidentiùm realium opinione pugnet; quod, uti explicuit Philoſophus, neminem Reformatorum jure offendet, ſed gratâ mente illud amplectentur, quod Philoſophus oſtenderit Pontificios ſanæ non tanum philoſophiæ, ſed & propriam Religionem & fidem evertentia docere dogmata, quale illud de accidentibus realibus, ob quod Reformati jure receſſerunt ab Eccleſiâ Romanâ. Sed & hoc probè notandum, Philoſophum aſſerere; quod ſolum ex verbis conſecrationis dogma Tranſſubſtantiationis poſſit concludi, unde, patet ipſum omnia reliqua Pontificiorum argumenta, quæ pro illo dogmate ſolent af-

ferri rejicere & pro nihilo ducere, & interim an secus ex consecrationis verbis illud dogma concludatur non exprimit, multò minus igitur affirmat. Septimò dicit antecedentes illas difficultates, quibus per sententiam de accidentibus realibus premitur dogma Transsubstantiationis, per suam de accidentium naturâ explicationem planè tolli. Nec mirum; nam Philosophi sententia cum prorsus contraria sit alteri de accidentibus realibus non potest eisdem difficultatibus premere illud dogma; sed interim non dicit hanc suam opinionem nullas habere difficultates adversus illud Pontificium placitum. Cæterum videamus octavò quomodo suam sententiam difficultates tollere ostendat & quâ ratione se hâc in parte explicet. Dicit autem secundum suam sententiam novo non opus esse miraculo ad conservanda accidentia post sublatam substantiam priorem; sed contra accidentia illa non posse tolli nisi novo miraculo à substantiâ illâ posteriore, in quam prior transmutata est; nempe novâ rursus transmutatione opus esse, per quam dimensiones posterioris substantiæ, cui accidentia illa inhærent, denuò mutentur: quam novam transmutationem sive Transsubstantiationem in mysterio illo missatico contigisse à Pontificiis scriptoribus memoriæ proditum esse ait, cum nempe caro vel puer loco panis in manu sacerdotis apparuit. Rectè dicit ad accidentia tollenda dimensionum substantiæ mutationem per miraculum debere fieri; sed non dicit se credere in missâ Transsubstantiationem aut unicam aut duplicem unquam fieri; nec dicit per suam de accidentibus doctrinam ullo modo Transsubstantiationem defendi aut stabiliri, passim enim in suis scriptis inculcat res fidei rationibus è naturâ petitis demonstrari non posse. Nonò porrò inquit, facilè concipi posse, Deum Creatorem omnium unam substantiam in aliam posse mutare, adeò ut posterior substantia sub eâdem planè superficie remaneat, sub quâ prior continebatur. Quod, ut suspicor, nemo Reformatorum negabit; præsertim cum per superficiem (uti decimò asserit se eam vocem sumere) nihil nisi terminus dimensionum ejus corporis, quod sentitur, intel-

intelligitur, uti ipse seipsum explicat & se juxtà cum aliis Philosophis sentire asserit. Et sanè quis Reformatorum est, qui non libentissimè concedit & omninò asserit Deum per omnipotentiam suam corpus unum in aliud transmutare posse, adeò ut posterior substantia sub eodem dimensionis termino conservetur, id est exactè æqualis sit longitudinis, latitudinis & crassities, quam fuit prior, imò ut contactu visu cæterisque sensibus externis posterius corpus à priori non possit secerni. Sed interim illud in missâ fieri non asserit Philosophus, simpliciter enim dicit Deum corpus unum in aliud posse transmutare: Et positô quod fieret, certissimum tamen est hoc corpus ità transmutatum ex alio corpore. ex. gr. ex pane missatico, non esse corpus Christi, nec ejus figuram referre; cum enim corpus Christi alterius sit figuræ quam panis missaticus, certissimum est corpus ipsum, etsi ex pane fieret, non esse corpus Christi, nisi hic rursus novum incomprehensibile effingatur miraculum, nempe ut corpus Christi sub aliâ dimensione creetur, quam revera fuit in terris aut est in cælis; ut prætercam alias rationes propter quas id fieri prorsus nequit. Adeò ut accuratè consideranti satis apparere existimem Philosophum, cum Pontificium Transsubstantiationis dogma quasi explicandum & defendendum suscipit, revera illud penitus evertere & ludibrio exponere. Nam sanè Philosophus accidentia realia, quibus universum dogma Transsubstantiationis innititur, & quibus sublatis illud dogma corruere ipsi Doctores Pontificii statuunt, penitus evertit. Et prætereà disertè ait corpus Christi *non adesse proprie sub panis superficie, tanquam in loco, sed sacramentaliter* id est sensu spirituali & mystico sacramentorum naturæ conveniente, *&* *eâ*, uti pergit, *existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ assequi possumus, & constantissimè credere debemus.* Quæ sana verba sano sensu intellecta nemo Reformatorum non lubenti animo amplectitur; adeò ut omninò Reformatorum causam hîc agat Philosophus contra

Pontificios, quod etiam magis perspicaces observantes Pontificii rotundo ore confessi sunt, neminem qui revera Pontificius esset, Cartesianum esse posse, id est, principia Philosophiæ Cartesianæ admittere posse. Quod siquis tamen contendat Cartesium ex animo defendisse μετεσίας Pontificiæ dogma & heic ἑτεροδοξίας Ecclesiæ Romanensium patronum egisse, quod factum ab eo fuisse nimio istius religionis zelo, utpote cui ab ineunte ætate innutritus erat, non negavero, præsertim cum ipse non semel ad hanc istius dogmatis defensionem provocet; illi respondeo infelix admodum esse illud patrocinium quod illi præstitit opinioni, & quod neutiquam cum propriis principiis convenit; nam in ipsis verbis modò allegatis acriter impugnans accidentia realia, dum tamen ipse conatur inducere superficiem, quæ non sit pars ullius corporis, sed modò terminus inter corpora, & particulas corporis intermedius, quique nullam habeat entitatem nisi modalem, in quo contactum fieri existimat, ejusdem erroris, quem tantopere & meritò impugnat, se reum facit. Dum enim talem superficiem fingit, quæ non nisi modus sit, quem intercedere dicit inter corpora ambientia & particulas alicujus corporis, & in quo contactum fieri asserit sine corpore subjecto, revera fingit modum qui non insit corpori, sed per se subsistat, adeoque qui substantia sit, & quidem adeò crassa, ut per se sit palpabilis; quæ asserta directè contradicunt propriæ ipsius Philosophiæ; *Art.* LXIV. *par.* I. disertè enim ait, *quod si modos velimus concipere sine substantiis, quibus insunt, hoc ipso nos illos, ut res subsistentes esse spectaturos, atque ita ideas modi & substantiæ esse confusuros*; *Art.* LXI. atque ita asseruerat quoque *modum nullum sine substantiâ, cui insit, posse cognosci.* Et proinde quoque de loco agens externo, quem superficiem corporis ambientis definit Aristoteles, ipse quidem explicat, inquiens, *per superficiem heic non intelligi ullum corporis ambientis partem, sed solum terminum, qui medius est inter ipsum corpus ambiens, & id quod ambitur; quique nihil aliud est quam modus:* sed cum satis videret hanc superficiei

cici significationem à se propositam rei explicandæ non satisfacere, cum revera talis superficies, quæ non sit in se pars corporis, ambire aliud corpus non possit; hinc mox emendat seipsum, & agnoscit superficiem revera partem corporis esse: *vel certè*, inquit, *intelligi superficiem in communi, quæ non sit pars unius corporis magis quam alterius, &c.* Fatemur itaque Philosophum hâc in parte humani quid fuisse passum id est errâsse; nos autem veritatem amamus, sectamur illiusque patrocinium suscipimus, errores neutiquam adoramus; neque adeò deliri sumus, uti quidam ex Aristoteleis, qui imprudenter & impudenter professi fuerunt *se cum Aristotele errare, quam contrà Aristotelem cum aliis benè sentire malle.*

Nequis verò suspicetur nos per mendacium hæc objicere Aristoteleis, audiant velim testem, cujus fidei ipsi multum tribuunt, Gassendum inquam, qui acriter satis increpat hanc ipsorum nimiam in Aristotele confidentiam & securitatem: *Cogitanti mihi*, inquit, *sæpenumerò ex quo fonte derivari ac fluere jam tamdiu potuisset corrupta hæc ratio Philosophandi* (Aristotelea) *quæ scholas implevit: nihil aliud subire potuit, quod quidem satisfaceret, præter effæminatam illam, ignavamque diffidentiam, quâ Philosophi Aristotelei, veritatem olim occupatam ab Aristotele plus nimio securi, illius seriò inquirendæ non fuere amplius solliciti. Sic enim cum suspicerent antecessorem Aristotelem, ut Deum quendam è cælo delapsum, à quo fuiset veritas occupata, non sunt ausi vel latum unguem ab ipso deflectere: sicque diffisi viribus suis, rerum ipsarum abjecére studium, & inanem solum garritum circa Aristotelis verba retinuerunt. Nihil impono, id norûnt omnes, quotquot ipsorum vel scripta, vel disputationes, & Scholas trivêre. Quotusquisque enim ille est, qui jactare sæpius illos non audierit*, malle se errare cum Aristotele, quam benè sentire cum aliis? *Novi certè celebrem Philosophiæ simul ac Theologiæ Professorem, qui asseruerit se existimare magnum iri Deo præstitum obsequium, si proprio sanguine obsignâßet,* Exerc. 2. adv. Arist.

con-

confirmâssetque verissima esse quæcunque Aristotelis operibus continentur. &c.

Denique nihil magis ægrè ferunt & in quod majori impetu insurgunt, quàm in Dubitationem, quam omnis hæreseos fomitem & impietatis sentinam esse vociferantur. Sed de eâ heic nihil attinet dicere, utpote quam passim in hoc opusculo satis, ut quidem existimo, ab ipsorum obtrectationibus vindicaturi sumus.



EPI-



EPIGRAPHE.

MEDITATIONES

De Primâ

PHILOSOPHIA;

In quibus

Dei existentia & animæ à corpore distinctio demonstrantur.

Ad Inscriptionem Nota.



Editationes] Hoc nomine opus suum mole quidem exiguum, at rerum pondere sat grande inscripsit Philosophus, non saltem propterea quod integra Philosophia studiosa & attenta consideratio & meditatio sit, agnoscente id ipsum Clemente Alexandrino, dum scribit: Ἔστι γὰρ μὲν ἡ φιλοσοφία ἐπιτήδευσις, quâ mentem à corpore & rebus sensibilibus abducentes eandem ad Divina & intelligibilia convertimus. Unde Plato in Phædone Philosophiam *meditationem mortis* nuncupavit, ipsamque Philosophorum meditationem dixit esse, *animam à corpore abducere & separare.* Quo respiciens & Platonis mentem interpretans Alcinous Philosophiam definiit, λύσιν καὶ περιαγωγὴν ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἐπὶ τὰ νοητὰ ἡμῶν τρεπομένων, καὶ τὰ κατ' ἀλήθειαν ὄντα. *Esse*, inquit, *solutionem animæ à corpore & conversionem quandam*

1. Strom.

dam ad intelligibilia & ea quæ verè sunt. Sed præcipuè quidem has attentas circa Principia Cognitionis Contemplationes *Meditationum* nomine nuncupavit, ut mox in limine Lectori aurem vellicaret, ut hæc sacra intacta relinqueret, nisi seriò meditando secum philosophari propositum haberet. Non autem Disputationes, Dissertationes sive Exercitationes, in quibus Scholasticorum more in utramque partem disseri solet, quod ad veritatem eruendam sæpe plus obest, quam prodest: Non Problemata, sive Quæstiones dubias; Non Theoremata, sive Propositiones, quarum veritas adhuc demonstranda est; sed Meditationes appellavit, quoniam profundâ & attentissimâ meditatione demonstratas in se continent veritates, de quibus dubitare amplius fas non est, quin in Scepticismum & Atheismum inevitabiliter præcipites ruituri simus. *Sex* autem illæ sunt, sive quod materiæ natura hunc numerum exegerit, sive quoque quod juxta numerum sex dierum, quos placuit Deo primæ rerum γενέσει impendere, hanc Operis sui partitionem fecerit, quoniam heic prima fundamenta Cognitionis humanæ, tum respectu Dei ipsius, tum omnium operum ab illo creatorum à Philosopho jacta reperiuntur; juxta eum certè sex dierum Creationis numerum alios eruditos viros Commentarios suos de Operibus Dei creatis Ἑξαημέρου vel Ἑπταημέρου titulo inscripsisse lectitamus.

Respp. ad secund. Object. p. 83.

Respp. ad Object. 2. circa initium.

De primâ Philosophiâ] *Philosophiæ* natura satis superque ab aliis descripta est, ut huic explicandæ immorari non sit opus; unum tamen monendum videtur, nempe observandum esse discrimen inter Philosophiam & Σοφίαν sive sapientiam, in quibus ab ipsis antiquis Philosophiæ antesignanis confusio nonnunquam facta fuit: Stagirita sanè errat hunc errorem definiens ἐπιστήμην τῆς ἀληθείας. & ante eum Plato, inquiens: Ἡ δέ γε φιλοσοφία κτῆσις ἐπιστήμης. Nec desunt hodiè qui cum antiquis in eodem luto hærent, definientes Philosophiam, quod sit *sapientia sive cognitio rerum humanarum & divinarum.* Cæterum non ἀκριβῶς; nam Philosophia non est ipsa veritatis cognitio sive scientia, nec possessio vel acquisitio sapientiæ, sed studium,

2. Metaphys. c. 1.

In Euthydemo.

amor

amor & affectatio illius. Unde alii animadverso hoc errore confusionem illam evitantes Philosophiam & Sapientiam à se invicem distinxerunt. Clemens Alexandrinus loco mox citato, Ἔστι γὰρ ἡ μὲν φιλοσοφία, ἐπιτήδευσις· ἡ σοφία δὲ, ἐπιστήμη θείων καὶ ἀνθρωπίνων, καὶ τῶν τούτων αἰτίων. *Est enim Philosophia, studium & meditatio; sapientia autem, scientia divinarum humanarumque rerum, & quæ earum sunt causæ.* Eadem penè habet Cicero, scribens: *Nec quidquam aliud est Philosophia præter studium Sapientiæ. Sapientia autem cognitio & scientia rerum Divinarum & humanarum, caussarumque quibus hæ res continentur.* Et hanc, uti in cæteris, ἀκρίβειαν noster quoque observavit, asserens *Philosophiæ voce sapientiæ studium denotari, & per sapientiam non solum prudentiam in rebus agendis intelligi; verum etiam perfectam omnium earum rerum quas homo novisse potest scientiam, quæ & vitæ ipsius regula sit, & valetudini conservandæ, artibusque omnibus inveniendis inserviat; utque hæc scientia talia præstet, necessarium esse ut ex primis causis deducatur, ità ut ei, qui hanc acquirere studet (quod propriè Philosophari vocatur) inchoandum sit ab investigatione primarum istarum causarum, quæ Principia vocantur.* Et non longè abhinc, homines ad Sapientiæ studium exhortans, Sapientiam disertè quoque à Philosophiâ distinguit, dum ait, *Cognitio veritatis per primas suas causas est sapientia; cujus studium Philosophia est.* Quinimò homines absolutè *Sapientes* dici non posse, sed saltem relatè ad se invicem, affirmat his verbis: *Solus Sanè Deus perfectè sapiens est, perfectâ omnium rerum notitiâ præditus; sed tamen homines magis aut minus sapientes dici possunt, prout de rebus maximè momentosis plures paucioresve veritates cognoscunt.* Hujus autem modestiæ ex antiquis Pythagoram ferunt fuisse primum, qui cum cæteri ante ipsum & cum ipso Philosophi se jactitarent σοφοὺς, *sapientes*, ille se *sapientem* dici recusavit; *Philosophum* dici voluit: ex eo quod nemo mortalium consummatam adipisci valeat Sapientiam, unde & in Sacris Deus *solus sapiens* dicitur.

2. De Officiis & 4. Tusc.

In Epist. præfix. Principiis. p. 1. & 2.

p. 3.

p. 2.

Hæc ὡς ἐν παρόδῳ, ut minimè tamen ἀπροσδιόνυσα, annotâsse operæ pretium visum fuit, quanquam non hic de Philosophiâ in genere, sed *de primâ Philosophiâ* in specie sermo sit. Hæc autem *prima* dicitur respectu latitudinis objecti, quoniam prima & universalissima cognitionis humanæ principia exhibet, & ordine Philosophari docet. *Prima* quoque dicitur respectu dignitatis & eminentiæ, quoniam Usu, Evidentiâ, Certitudine & Præstantiâ super omnes alias scientias primas tenet, & cæteris Philosophiæ partibus, & inprimis Physicæ, sua objecta & principia suppeditat, eædemque suam certitudinem & evidentiam, quâ nituntur, hinc trahunt; unde quodammodo hæc scientia in cæteras imperium obtinet, cæteræque ab hâc dependent, unde etiam non imme-
6. *Metaph. c. 2.* ritò καθολικωτάτη καὶ ἀρχιτεκτονικωτάτη à Stagiritâ nuncupatur. Dicitur porrò *prima* respectu ordinis, qui in Philosophando observandus, quoniam seriò philosophaturus ab hâc initium capere debet. Circumferuntur quidem varia alia hujus Scientiæ nomina, sed nulla adeò apta, quam primæ Philosophiæ. Modò enim Ὀντοσοφία, sive Ὀντολογία audit, modò τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ, unde *Metaphysica* appellatio efficta est; ex omnibus autem illis, & cæteris ejusdem farinæ, satis apparet, omnium Scholasticorum hâc in parte doctrinam mutilam, mancam & erroneam esse, quippe nomina hæc vel nimis angusta vel falsa sunt. Angusta sunt nimis Ὀντοσοφίας & Ὀντολογίας vocabula; nam non saltem de Ente in genere ejusque affectionibus, sed de omnibus cognitionis humanæ principiis, sive de primis initiis & fundamentis omnis nostræ Scientiæ, quam ex naturæ lumine possumus haurire, hæc prima Philosophia agit; & præterea voces illæ abominandum illum Scholasticorum errorem, de Univoco Entis quoad Deum & creaturas conceptu, videntur involvere. Τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ appellat Aristoteles, unde barbari ipsius asseclæ barbarâ voce *Metaphysicam* procuderunt: Sed & hæc nomenclatura satis arguit defectum; nam licet verum sit, quod circa nobilius & eminentius versetur objectum, quam Physica, falsum tamen est, quod post illam,

ut

ut illi contendunt, discenda sit; an inventa quoque, maxima dubitandi ratio est: de Aristotele quidem credo, quippe ille *mordicus sensibilibus rebus inhærens* ægrè ad Divina & intelligibilia mentis oculos sustulit. Sed nec hoc prætereundum hanc scientiam ab Aristotele θεολογικὴν appellari, quoniam in hâc omnem (uti gentiles in suâ Philosophiâ facere assueverant) suam de Deo doctrinam congessit, ex hâc distinctissimâ ab aliis disciplinis Scientiâ farraginem plurium Scientiarum conficiens, uti & omnes cum eo Scholastici.

In quibus Dei existentia & animæ à corpore distinctio demonstrantur.] Non quod aliæ veritates in his Meditationibus non sint demonstratæ, plurimæ enim sunt, ut in processu patebit; sed quià omnes illæ cæteræ ad hunc scopum collineabant, ut Dei existentiam & animæ realem à corpore distinctionem demonstrarent, utpote quæ duo longè præcipua harum Meditationum erant argumenta, quorum gratiâ cæteræ omnes, quæ eruuntur & deteguntur veritates, tanquam ex occasione videntur tractatæ. Quæ diximus variis in locis inculcat & docet Philosophus; quædam delibemus: *Semper existimavi*, inquit, *duas quæstiones de Deo & de Animâ, præcipuas esse ex iis, quæ Philosophiæ potius, quam Theologiæ ope sunt demonstrandæ.* Et posteà rursus: *Quoniam scio plerosque impios non aliam ob causam velle credere Deum esse, mentemque humanam à corpore distingui, quam quia dicunt hæc quoque à nemine hactenus potuisse demonstrari: Etsi nullo modo iis assentior, sed contrà rationes fere omnes, quæ pro his quæstionibus à magnis viris allatæ sunt, cum satis intelliguntur, vim demonstrationis habere putem, vixque ullas dari posse mihi persuadeam, quæ non prius ab aliquibus aliis fuerint inventæ: Nihil tamen utilius in Philosophiâ præstari posse existimo, quam si semel omnium omnium optimæ studiosè quærantur, tamque accuratè & perspicuè exponantur, ut apud omnes constet imposterum eas esse demonstrationes.* Adeo ut hic ipsius fuerit finis & scopus primarius ac quasi unicus, ut posset efficere, *ut nemo amplius esset in mundo, qui vel Dei existentiam, vel rea-*


In Epist. Dedic. Meditationum p. 1. & 2.

Ibidem Pag. ultim.

realem humanæ animæ à corpore distinctionem ausit in dubium revocare. Unde & alibi disertè quoque affirmat sibi non adeò menti sedisse materialium rerum existentiam demonstrare, quam ostendere rationes pro istarum veritate adductas non tantæ evidentiæ & roboris esse, quantæ sunt illæ per quas in Mentis nostræ & Dei cognitionem pervenimus; audiamus profitentem hæc ipsum disertis verbis:

In Synops. Medit. VI. *Rationes omnes, ex quibus, rerum materialium existentia possit concludi, afferuntur, non quod eas valdè utiles esse putarim ad probandum id ipsum quod probant, nempe revera esse aliquem mundum, & homines habere corpora & similia, de quibus nemo unquam sanæ mentis seriò dubitavit; sed quia illas considerando agnoscitur non esse tam firmas, nec tam perspicuas, quam sunt ea per quas in Mentis nostræ & Dei cognitionem devenimus, adeò ut hæ sint omnium certissimæ & evidentissimæ quæ ab humano ingenio sciri possint. Cujus unius rei probationem in his Meditationibus mihi pro scopo proposui. Nec idcirco hic recenseo varias alias quæstiones de quibus etiam in ipsis ex occasione tractatur.* Jam ut existimo sole meridiano clarius est & neminem fugere potest, quare Philosophus Meditationes hasce suas saltem circa Dei Existentiam & Animæ humanæ à corpore distinctionem occupari scripserit in hâc suâ ἐπιγραφῇ. Accedat jam quilibet qui odii & iræ causas procul habet, & judicet, anne atrocissima sit calumnia quorundam sugillatorum Atheismi & Scepticismi authorem insimulantium. Quid? Anne ille, qui in Operis sui titulo se Dei Existentiam & realem Animæ à corpore distinctionem demonstrare profitetur? Anne ille, qui omnium certissimas & evidentissimas rationes, quæ ab humano ingenio sciri possint, in eum finem studiosè conquisivit? Anne ille, cujus votum est ut nemo amplius mortalium sit in mundo, qui vel Existentiam Dei vel realem humanæ animæ à corpore Distinctionem ausit in dubium revocare? Anne ille, cujus primarius & quasi unicus scopus est dictas veritates firmissimè stabilire? Anne ille, qui profitetur se totum hoc Meditationum cor-

corpus ad gloriam Dei exarâsse? Anne ille, qui laudes Dei passim in suis operibus deprædicat? Qui in eisdem Religionis Christianæ professionem non semel publicè agit? an, inquam, ille Atheismi vel Scepticismi sine manifestissimâ injuriâ reus agi potest? Sanè nisi omnis omnium scriptorum fides vacillet, imò vana sit: nisi publica omnium & singulorum hominum suspecta sit veracitas: nisi omnis à quocunque homine facta de Religione sua professio dubia sit: nisi denique de hominum mente & conscientiâ ex dictis & factis judicandum non sit; ingenuè fateor me non videre quâ fronte hunc virum Atheismi & Scepticismi reum perstringere audiant. Sed de his, Deo volente, passim fusius.




EXEGESIS

In

MEDITATIONEM

PRIMAM.



Nimadverti] Longè abfuit Philofophus, quem, favente Numine, explicandum aggredimur, à barbarâ illâ Scholafticorum veſaniâ, quâ Philoſophiam Latini ſermonis puritate contaminari autumant; quippe dubium ſæpe an rerum an verborum pondere gravior ſit, in hoc imitatus ſummos Reip. Græcæ pariter & Romanæ Philoſophos & eloquentiæ antiſtites, Platonem, Ariſtotelem, Tullium, Senecam alioſque, qui ſæpe haud minus de vocum puritate, quam de rerum veritate ſolliciti fuerunt. *Animadverti*, inquit, voce admodum emphaticâ utens, ac ſi diceret, animum meum ſeu mentem attento ſtudio in ſeipſam convertens & mecum meditans, ac plura animo congerens, atque quæ reipſâ didiciſſem perpendens & cogitans obſervavi & expertus ſum, quam multa falſa pro veris admiſerim. Nam ſanè mens humana in ſeipſam quaſi congeſta, nullis aſcititiis aut aliunde acceſitis viribus, ut oblita omnium externarum vacet ſibi, & ita collecta ac inſpirata Deo, rerum veritatem clariſſimè percipit illâ ſui Divinâ congeſtione. Atque ità in ipſo Philoſophiæ ſuæ limine inculcat, licet tectius, quænam vera Philoſophandi cauſa & & ratio ſit, nimirum ut mens ſibi vacans res rerumque naturas attentiſſimè contempletur.

Jam ante aliquot annos] Quamprimum maturioris judicii vis acceſſit, poſt decurſum, ut fieri ſolet, inScholis ſtudiorum

diorum curriculum cum in longâ novem annorum peregrinatione vastum mundi librum animo attento pervolveret, & posteà intentâ meditatione in secessu rerum veritatem assiduò indagaret, uti prolixè in Dissertatione de Methodo legere est; pauca exinde seligamus & nonnulla ex probatæ fidei Scriptoribus adjiciamus. Natus autem erat Renatus Cartesius Hagæ Turonum, in urbe populosâ, ex antiquâ & nobili Pictonum prosapiâ, anno παρθενοτοκίας CIↃ IↃ XCVI. Parens ejus fuit Nobilis Picto, Perronii Dominus &c. qui postquam aliquamdiu Limoni, in urbe magnificâ & magnitudine Lutetiæ Parisiorum secundâ, privatus egerat, à Rege suo evocatus est in conventum Juridicum (Galli Parlementum vocant) Redonensem in Britanniâ, in quo Præsidem egit, quamdiu fato functus est. Hic in filio ingenium animadvertens ad politiores Musas aptum, ipsum maturâ jam ætate Patribus Societatis Jesu Regii Collegii *de la Fleche*, à Christianissimo Galliarum Rege Henrico IV. fundati, erudiendum tradidit. Horum disciplinæ commissus Renatus nihil prius habuit, nihil antiquius, quam ut exspectationi Parentis de se conceptæ omninò similis evaderet. Itaque incredibili discendi desiderio flagrans, & Præceptoribus docentibus assiduam operam navans, brevi illud studiorum curriculum absolvit, quo decurso mos est in eruditorum numerum cooptari. Omnibus iis, quibus alii ibidem imbuebantur tinctus erat; aliorùm de se judicia audiebat, nec videbat se quoquam discipulorum inferiorem æstimari, quamvis jam ex eorum numero nonnulli ad Præceptorum spartas exornandas destinarentur. At omnes discendi conatus nihil aliud sibi profuisse videbat, quam quod Socraticum illud, *Nihil sciri, præterquam illud, quod nihil scias*, verissimum esse tandem expertus sibi videretur. Quapropter relicto illo Collegio, ubi primum per ætatem licuit, è præceptorum custodiâ exiit, literarum studia prorsus reliquit, consiliumque cepit, nullam in posterum quærendi scientiam, nisi quam vel in seipso vel in vasto mundi volumine reperiret; atque ita ad pere-

grinandum animum adjecit, ſequentes annos variis peregrinationibus, per Gallias, Belgium, Daniam, Germaniam, Italiam impendens. Atque intereà temporis exercitus, urbes, aulaſque exterorum principum inviſendo, cum hominibus diverſorum morum & ordinis converſando, varia hinc inde experimenta colligendo, & ſeipſum in diverſis fortunæ caſibus probando, ſic ad omnia quæ in vitâ occurrebant attendebat, ut nihil ex quo eruditior fieret, omitteret. Agebat autem, cum Gallias primum relinqueret, vigeſimum primum ætatis annum, & toto inſequentium novem annorum peregrinationis tempore ſemper ſcientiam verum à falſo accuratè dignoſcendi ſummo ſtudio quærebat, ut rectum iter vitæ clariùs videret, & majori cum ſecuritate perſequeretur. Et peractis tandem longis illis peregrinationibus in animum induxit ſeipſum quoque ſeriò examinare, & omni ingenii vi quidnam omnium à ſe optimum fieri poſſet inquirere. Atque ita errores priſtinos magis magiſque detexit, & ad veritatem percipiendam animum indies aptiorem reddidit.

Quam multa ab ineunte ætate falſa pro veris admiſerim] Non commiſſos in vita civili errores, non patrata adverſus Dei præcepta quoad fidem & morum doctrinam peccata, ſed deviantes à verô in contemplatione rerum Philoſophicarum opiniones indigitat. Et ſanè multi, imò infiniti à præjudiciis admiſſi errores, & quidem præcipuè ac primò circa res ſenſibiles: de rebus enim Phyſicis, de terrâ, cui potiſſimum mente & cogitationibus adhæreſcimus, de cælo, ſole, ſtellis, aëre, aquâ & igne; de brutis, plantis, metallis, de coloribus, ſonis, ſaporibus, odoribus, doloribus, varia ab ineunte ætate erronea tulimus judicia & anticipatas opiniones hauſimus, quia ad vitæ quam ingreſſi eramus conſervationem omnia referentes, hæc modò recenſita ad eandem maximè facere obſervabamus, quinimò omnia illa à Deo ſolis vitæ commodis condita eſſe ac creata exiſtimabamus. Audiamus Philoſophum: *Mens noſtra omnia tantum referens ad utilitatem corporis, cui erat immer-*

mersa, eo plus aut minus rei eße putabat in unoquoque objecto à quo afficiebatur, prout plus aut minus ab ipso afficiebatur. Unde factum est, ut multò plus substantiæ seu corporeitatis eße putaret in saxis aut metallis, quam in aquâ vel aëre, quià plus duritiëi & ponderositatis in iis sentiebat. Quin & aërem quamdiu nullum in eo ventum, aut frigus, aut calorem experiebatur, pro nihilo prorsus ducebat. Et quià non plus luminis à stellis, quam ab exiguis flammis lucernarum ipsi affulgebat, idcirco nullas stellas flammis istis majores sibi repræsentabat. Et quia nec terram in gyrum verti, nec ejus superficiem in globum curvatam esse notabat, ideò proclivior erat ad putandum, & eam immobilem, & ejus superficiem planam esse, &c. Cum verò putamus nos percipere colores in objectis, etsi revera nesciamus quidnam sit, quod tunc nomine coloris appellamus, nec ullam similitudinem intelligere possimus, inter colorem quem supponimus esse in objectis, & illum quem experimur eße in sensu, quià tamen hoc ipsum non advertimus, & multa alia sunt, ut magnitudo, figura, numerus, quæ clarè percipimus, non aliter à nobis sentiri vel intelligi, quam ut sunt, aut saltem esse poßunt in objectis, facile in eum errorem delabimur, ut judicemus, id quod in objectis vocamus colorem, esse quid omninò simile colori quem sentimus, atque ità ut id, quod nullo modò percipimus, à nobis clarè percipi arbritremur. Atque hoc modo judicia nostra de sapore, odore, sono, calore, frigore, lumine & similibus contingebat eße falsa. Hicque primam & præcipuam errorum omnium causam licet agnoscere. Et quandoquidem mens nostra dicto modo omnia ad utilitatem corporis referebat, & in infantili ætate organis corporeis malè utebatur, iisdem tenacius affixa erat, adeò ut nunquam se ab illis abduceret, & purô intellectu quid cogitaret; sed semper cogitationi imaginationem admisceret, hinc intellectum purum & imaginationem à se invicem non distinguebat, sed pro uno eodemque habebat, atque ita omnes ideas & notiones rerum intellectualium in mente, cum corporeis imaginibus confundebat &

PP. *p.* I. *art.* LXXI.

Art. LXX.

permiſcebat, putabatque omne ens corporeum eſſe, ipſumque Deum ſub corporeâ figurâ inſtar venerandi ſenis, luciſve fulgentis vel alterius corporis ſubtilis & tenuis; angelum inſtar juvenis formoſi alati, animam inſtar venti, ignis vel ætheris ſibi repræſentabat. Sed libet iterum verba

In Reſpp. Sextis num. X. Philoſophi addere: *Cum mens*, inquit, *illâ ætate*, (in infantiâ) *minus rectè organis corporeis uteretur, iiſque firmius affixa, nihil abſque illis cogitaret, res tantum confuſas advertebat; & quamvis propriæ ſuæ naturæ ſibi conſcia eſſet, nec minus apud ſe ideam cogitationis, quam extenſionis haberet, quia tamen nihil intelligebat quin ſimul aliquid imaginaretur, utrumque pro uno & eodem ſumebat, notioneſque omnes, quas de rebus intellectualibus habebat, ad corpus referebat.*

Et quam dubia ſint quæ iſtis poſteà ſuperextruxi] Veluti autem unda undam premit, ita error errorum fœcunda parens eſt; ——

— *Primus mox cauſa ſequentis Principiumque novi.*

Et velut debili ac inſtabili fundamento vacillans & ruinoſa ſuperextruitur moles, ita ex falſis principiis non niſi dubiarum & fluctuantium opinionum ilias enata eſt. Quum enim recenſitis modis & mille aliis ejuſmodi erroribus & præjudiciis, à primâ infantiâ mens imbuta, deinde in pueritiâ non obſervaret à ſe ſine ſufficienti examine fuiſſe recepta, ſed tanquam ſenſu cognita, vel à naturâ ſibi indita, pro veriſſimis evidentiſſimiſque ea admiſit. Provectiori porrò ætate præjudiciorum iſtorum memoriam, cognitâ etiam melius veritate, deponere non potuit; ſed delaſſata mens meditando res à ſenſibus & imaginatione ſejunctas, relabitur ſemper ad ideas rerum ſenſibilium & per eas ad judicia ex præconceptâ opinione in anteceſſum lata. Hæc

Pr. p. I. *art.* LXXII. LXXIII. quoque fuſiùs exponentem audiamus Carteſium: *Et quamvis*, inquit, *jam maturis annis, cum mens non amplius tota corpori ſervit, nec omnia ad illud refert; ſed etiam de rerum, in ſeipſis ſpectatarum, veritate inquirit, permulta ex iis, quæ ſic antea judicavit, falſa eſſe deprehendat; non*

tamen

tamen ideò facile ipsa ex memoriâ suä expungit, & quamdiu in eâ hærent, variorum errrorum causæ esse possunt. Ita exempli causâ, quoniam à primâ ætate stellas imaginati sumus perexiguas, etsi jam rationes Astronomicæ perspicuè nobis ostendant, ipsas esse quam maximas, tantum tamen præjudicata opinio adhuc valet, ut nobis perdifficile sit, ipsas aliter quam prius imaginari.

Præterea mens nostra, non sine aliquâ difficultate ac defatigatione, potest ad ullas res attendere; omniumque difficillimè ad illa attendit, quæ nec sensibus, nec quidem imaginationi præsentia sunt; sive quià talem ex eo quod corpori conjuncta sit, habet naturam; sive quià in primis annis, cum tantum circa sensus & imaginationes occuparetur, majorem de ipsis quam de cæteris rebus cogitandi usum & facilitatem acquisivit. Hinc autem fit ut jam multi nullam substantiam intelligant, nisi imaginabilem, & corpoream, & etiam sensibilem. Neque enim norunt ea sola esse imaginabilia, quæ in extensione, motu & figurä consistunt, etsi alia multa intelligibilia sint; nec putant quidquam posse subsistere, quod non sit corpus, nec denique ullum corpus non sensibile. Et quià reverà nullam rem, qualis ipsa est, sensu solo percipimus, ut infrà clarè ostendetur, hinc accidit, ut plerique in totâ vitâ nihil nisi confusè percipiant.

Atque his recensitis errorum causis aliæ insuper accedebant, quæ eadem præjudicia & anticipatas opiniones magis quotidiè incrustabant & corroborabant, parentum quippe præceptorumque authoritas, imò & universæ hominum multitudinis voces, conceptibus exprimendis minus aptæ, & confusæ loquendi formulæ erroribus ab infantiâ contractis patrocinium præbent, & hinc judicia nostra quotquot sunt perversa & falsa ferè sunt, & ægrè quoque emendantur. *Quoniam enim infantes omnes ante fuimus, quam viri, & diu vel cupiditatum vel præceptorum consilia sequuti sumus, quæ ut plurimum inter se pugnabant, & fortè neutra quod optimum erat semper suadebant, jam fieri vix posse, ut ju-*

De Methodo pag. 8.

dicia nostra tam recta sint & firma, quam si ratio in nobis æquè matura atque nunc, ab ineunte ætate exstitisset, eique soli regendas nos tradidissemus. Et denique propter loquelæ usum conceptus omnes nostros verbis, quibus eos exprimimus, alligamus, nec eos nisi simul cum istis verbis memoriæ mandamus; cumque facilius postea verborum quam rerum recordemur, vix unquam ullius rei conceptum habemus tam distinctum, ut illum ab omni verborum conceptu separemus; cogitationesque hominum ferè omnium, circa verba magis, quam circa res versantur; adeò ut persæpe vocibus non intellectis assensum præbeant, quià putant se illas olim intellexisse, vel ab aliis qui eas rectè intelligebant accepisse. Atque ita facile liquet quo modo universa Philosophia quasi mera præjudiciorum & temere concumulatarum opinionum sit congeries. Vidit ex hâc opinionum anticipatarum præjudiciorumque colluvie jam suo tempore conflatam esse Philosophiam, lumenque naturæ obrui & restingui, & conquestus est Tullius: adeò ut nequaquam Philosopho objectandum sit, quod temerè has querelas de corruptâ Philosophiâ instituerit. Ascribere libet verba summi Oratoris magnique Philosophi: *Parvulos nobis* (natura) *dedit igniculos, quos celeriter malis moribus; opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum: quæ si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem simul atque editi in lucem, & suscepti sumus in omni continuò pravitate, & in summâ opinionum perversitate versamur: ut penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum verò parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam poëtæ: qui cum magnam speciem doctrinæ sapientiæque præ se tulerunt, audiuntur, leguntur, & inhærescunt penitus in mentibus. Cum verò accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus, atque omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum planè inficimur opinionum*

Princip. loc. cit. art. LXXIV.

Tuscul. Quæst. lib. III.

præ-

pravitate, à naturâque ipsâ desciscimus. Vidit, inquam, Tullius, & conquestus est de Philosophiæ omnimodâ corruptione, sed quâ ratione succurreret & medelam adhiberet, non vidit.

Cæterum dicat hic quispiam, uti Gassendus olim: Non opus est tam operoso molimine errores eorumque causas conquirere, sufficit humanæ mentis caliginem, solamve naturæ imbecillitatem caussari. Sed noverit ille id hoc loco minimè sufficere, illud enim nihil prodest ad errores nostros emendandos quod dicatur nos errare, quià mens nostra caligat, vel natura est imbecilla, idem enim est ac si tantum diceretur nos errare, quià sumus erroribus obnoxii; & manifestè utilius est attendere, ut fecimus, ad omnia in quibus potest contingere ut erremus, ne ipsis temere assentiamur.

Vide Respp. Quintas ad ea quæ in primam Medit. objecta sunt.

Sed quæ igitur tandem medela adhibenda, quæ via seligenda est, ut veritatis compotes olim evadamus? Sanè in hâc densâ errorum caligine in compitum amplissimum incidimus, ubi multarum quidem viarum capita, nullius exitum videmus; in tantâ difficultate, cum, quam pergere debeat, sciat nemo; vix tamen ullus est, qui se doctorem & magistrum viæ apud cæteros profiteri non audeat. Clamat hic ad dexteram, ille ad lævam, hic per montes, ille per campos, omnes æquè ferè certi, incertique viæ; quo fit ut plerique post multos anfractus, quo plus in itinere, eo se longius à rectâ abreptos tandem sentiant. At enim cui mirum, quod cæci aut ducibus cæcis extra viam ferantur? Nulli igitur credulas adhibeamus aures, nullius consilia sequamur, cum ubivis tanta sit confusio, tanta falsarum opinionum moles ab ineunte ætate concumulata, & tot tantisque dubiis in progressu ætatis incrustata. Quis non videt?

Proinde funditus omnia semel in vita esse evertenda] sive, ad seriò Philosophandum veritatemque omnium rerum cognosibilium indagandam primò omnià præjudicia esse deponenda: sivè accuratè esse cavendum, ne ullis ex opinionibus

nibus olim à nobis receptis fidem habeamus, nisi prius, iis ad novum examen revocatis, veras esse comperiamus. Veluti enim dominus qui ædes præ vetustate jam fatiscentes habet, quæque infirmis fundamentis superstructæ ruinam minantur, easdem ipsis eversis fundamentis diruit. Haud aliter oportet eum, qui ad philosophandum se accingit, opiniones veteres, quas in eum usque diem amplexus est, omnes simul & semel è mente excutere, ut deinde vel alias meliores vel certè easdem, sed postquam maturæ rationis examen subierint, admittat; hac ratione enim longè melius ād veritatem perveniet, quam si iis principiis tantum innitatur, quibus olim juvenilis ætas, nullo unquam examine adhibito, an veritati congruerent, credulitatem suam adduxit. Ut siquis fortè haberet, corbem pomis plenam, & vereretur, ne aliqua ex pomis istis essent putrida, velletque ipsa auferre, ne reliqua corrumperent; quo pacto id faceret? Annon in primis omnia omnino ex corbe rejiceret; ac deinde singula ordine perlustrans, ea sola quæ agnosceret non esse corrupta, resumeret, atque in corbem reponeret, aliis relictis? Eadem ergò ratione ii qui nunquam rectè philosophati sunt varias habent in mente suâ opiniones, quas cum à pueritiâ coacervare cæperint, meritò timent ne pleræque ex iis non sint veræ, ipsasque ab aliis separare conantur, ne ob earum misturam reddantur omnes incertæ. Hocque nullâ meliore viâ facere possunt, quam si omnes simul & semel, tanquam incertas falsasve rejiciant; ac deinde singulas ordine perlustrantes eas solas resumant, quas veras & indubitatas esse cognoscant.

Object. & Respp. Sept. pag. 95. Lit. Z.

Multiplex autem & varia est utilitas & necessitas hujus universalis omnium veterum opinionum eversionis sive abdicationis, quæ fit per dubitationem de omnibus, illâ enim corrupta ratio quasi repurgatur. Mens enim nostra ab omnibus præjudiciis liberatur, ità ut omnem in judicando præcipitantiam & anticipationem sollicitè evitet. Deinde per eandem via facillima sternitur ad mentem à sensibus abducendam, quod tam ad rerum materialium ac sensibilium, quam

quam ad Mentis ac Dei cognitionem, & in universum ad omnem rerum scientiam necessarium est, quoniam evidentia & certitudo in scientiis non tam à sensu quam àb intellectu pendet. Insuper quoque efficit illa universalis Dubitatio, ut ordine philosophari possimus: quod aliter nunquam fieri posset, quæcunque tandem adhibeatur diligentia & attentio; nam nec unde initium esset capiendum, nec ubi esset subsistendum appareret. Nam etsi fortassis aliquas veras opiniones, antequam seriò philosophamur, habeamus, eæ tamen multis aliis, vel falsis, vel saltem dubiis ita permistæ sunt, ut, quæ veræ, quæ falsæ sint, secerni non possit, nisi initio omnes rejiciantur, & omnes omninò abdicentur, ut posteà commodo & decenti ordine, quæ veræ fuerunt agnosci, vel novæ inveniri, ac solæ veræ admitti possint. Ac denique præstat, ut de iis, quæ ità vera esse comperimus, posteà non amplius dubitare possimus. Atque ita dubitatio ab initio facta remedium est ne dubitatio in infinitum progrediatur, sed ut aliquando finiatur, ubi prima veritas se dubitando manifestaverit.

Et quoniam ob hanc dubitandi, quam urget Philosophus, necessitatem & utilitatem multi adversus eundem insurrexerunt, & Atheismi ac Scepticismi reum perstrinxerunt paulò latius de eâ agendum nobis erit, Inprimis autem observent illi, qui tanti criminis insimulant authorem, quanta inter Dubitationem Pyrrhoniorum & hanc à Philosopho præscriptam intercedat differentia. Est dubitatio quædam ex animi temerarii impetu & feritate, ex cæcâ ignorantiâ & malevolentiâ profecta, vel etiam ex phantasticâ quâdam imaginatione ob id tantum, quia volumus dubitare, & ut semper dubitemus, in assuetudinem adducta. Alia autem est Dubitatio ex prudentiâ ex circumspectâ diffidentiâ, ex sapientiâ & perspicaciâ mentis admissa, in eum finem ut ex dubitatione certa scientia oriatur. Priori modo Sceptici & Athei dubitant: posteriori modo Philosophi & genuini sapientiæ affectatores. Prior dubitatio est dubitatio tenebrarum & ignorantiæ, non ad lucem addu-

cens, sed ab illâ abducens perpetuò illos, qui eâ utuntur. Posterior dubitatio è luce quâdam rationis exorta ad eandem magis excitandam conducit. Hoc discrimen cum inter dubitationem ignorarent quidam, omnem dubitationem noxiam esse putârunt, & Cartesium proinde Atheismi & Scepticismi insimulârunt, cum tamen ipse passim inculcet, se non dubitare cum Scepticis & Atheis, ut dubitet, sed ut firmissimam veritatem, per & post dubitationem se intellectui offerentem, detegat & amplectatur, & exinde catenam solidissimarum demonstrationum & veritatum connectat. Academici verò & Sceptici in utramque partem de unaquâque re disserebant, ut cohiberent assensum, neque unquam aliquid certi statuerent. Græci ἀοριστίαν vocant, quod scribit Galenus lib. de optimo genere dicendi: περὶ μηδενὸς ὁρίσασθαι, μηδὲ ἀποφαίνεσθαι βεβαίως.

Respp. ad 2das Object. pag. 69.

Cæterum non pauca sunt quæ adversarii contra objiciunt. Ajunt primò de rebus omnibus dubitandum esse Academici & Sceptici integris voluminibus scriptum reliquerunt. Fateor, & dudum eosdem libros & quidem complures viderat & evolverat Philosophus, istamque cramben non sine fastidio recoxerat; necessitas tamen exigebat, ut integra illis Meditatio daretur, tum ut illa quæ admodum confusè & latè in ipsorum scriptis permixta & sparsa erant, in commodum lectoris contraheret, & ut unà Methodo suo satisfaceret. Et magni sanè momenti est ea probè pernoscere, unde petit Philosophus, ut non saltem lectores breve illud tempus quod ad ipsam evolvendam requiritur, sed menses aliquot vel saltem hebdomadas in iis de quibus tractat considerandis impenderent, antequam ad reliqua progrederentur; ita enim haud dubiè ex ipsis longè majorem fructum capere possent. Interim & hoc omninò tenendum est contrarium planè finem propositum habere Philosophum, quam Scepticos; hi enim ut perpetuò dubitare doceant, ille ut dubitationes refutet & tollat de eis scripsit. Porro objectant; Rem impossibilem postulat Philosophus cum omnia præjudicia exui vult. Si præjudicii vox contra genuinum suum

usum

usum extendatur ad omnes animæ notiones, lubentes agnoscimus fieri non posse, ut universas deponamus: Sed si præjudicia appellentur omnes illæ opiniones, quas judicia ante rectum rationis usum facta animo impresserunt; has exuere possumus: nam cum judicare vel non judicare sit voluntatis actio, eam in nostrâ potestate sitam esse liquet. Ut enim omnia quis præjudicia exuat, nihil aliud requiritur, nisi ut apud se statuat nihil eorum quæ antea affirmavit vel negavit, antequam id rursus ad examen revocârit, affirmare vel negare, etiamsi interea omnes notiones animo retineat. Nonnihil tamen difficultatis est, in sic excutiendis ex animo nostro iis quæ ante ab ipso assumta & approbata fuerant; partim quià dubitandi aliquam rationem habere oportet antequam dubitare velis, ideoque in primâ meditatione præcipuæ, quæ horsum facere possent, expositæ sunt rationes: partim quià, etsi statuerimus nihil affirmare, decreti tamen istius facilè obliviscimur, nisi profundè memoriæ infixum sit; ideóque de hoc negotio attentè subinde cogitandum est.

In Respp. ad Object. 5tas pag. 142. & 143.

Insuper instant; Præjudicia non possunt à quoquam exui, quin alia magis noxia induat. Sed hæc manifestè falsa est hypothesis. Etiamsi enim annitendum est, ut ea negentur, quæ antea nimiâ cum fiduciâ affirmata fuerunt, hoc tamen cum illâ limitatione intelligendum est, quod nempe illo tempore saltem fieri debeat, quo in aliquid certius quam id quod ita negatur, investigando occupamur; eo autem tempore nullum noxium præjudicium indui posse manifestum est.

Præterea inquiunt; Methodum de omnibus dubitandi nulli veritati utilem esse. Sed est mera cavillatio. Nam licet dubitatio sola in se spectata ad veritatem aliquam stabiliendam non sufficiat, ad isthuc tamen præparandum animum utilis est; & in hunc finem tantum adhibetur.

Has & alias ejusdem farinæ adversus dubitationem seu eversionem præjudiciorum efformant objectiones, quas porrò in progressu diluemus. Summoperè autem miror hos

homines adeò importunè in Philosophum nostrum invehi, propterea quod de omnibus dubitandum esse in limine philosophiæ suæ præscripserit; nisi vel ex malevolentiâ vel ex ignorantiâ eorum, quæ de hâc re ipse Aristoteles ejusque sequaces præceperint, id ab illis factum fuerit. Quippe ipsorum Magister Stagirita ad veritatem inveniendam dubitationem utilem esse & de quibus sit dubitandum docet in initio Metaphysicorum Lib. II. cujus caput primum hoc modo inscribitur. Ἀπορίας χρῆσις, καὶ περὶ ὧν ἀπορῆσαι δεῖ πρῶτον. Inter cæteras autem quas afferunt rationes de necessitate dubitandi in Metahysicis & hæc à Thomâ assignatur, quià cum prima Philosophia in universali rerum veritate versatur, conveniebat ante hujus universalis veritatis determinationem universè proponi quidquid dubii in eâ se offerebat, & veritatis cognitionem impedire poterat. Et sanè si Thomæ & ejus Præceptori Alexandro Alensi, cum quo & ex quo hæc asserit Thomas, inspicere licuisset & legere Meditationes Cartesii, nonne omninò in Philosopho probâssent & laudâssent, quod tam sedulò & tam artificiosè conquisiisset & digessisset omnes Dubitationes, quæ ante primam veritatem agnitam se offerunt, eandemque maximoperè impediunt. Sed operæ pretium erit, ut ipsos antagonistas magis confundamus, ipsius Stagiritæ verba ascribere: Ἀνάγκη πρὸς τὴν ἐπιζητουμένην ἐπιστήμην ἐπελθεῖν ἡμᾶς πρῶτον, περὶ ὧν ἀπορῆσαι δεῖ πρῶτον. ταῦτα δέ ἐστιν ὅσα περὶ αὐτῶν ἄλλως ὑπειλήφασί τινες κἂν εἴ τι χωρὶς τούτων τυγχάνοι πρῶτον παρεωραμένον. Ἔστι δὲ τοῖς εὐπορῆσαι βουλομένοις προὔργου τὸ διαπορῆσαι καλῶς· ἡ γὰρ ὕστερον εὐπορία λύσις τῶν πρότερον ἀπορουμένων ἐστί. λύειν δ' οὐκ ἔστιν ἀγνοοῦντα τὸν δεσμόν· ἀλλ' ἡ τῆς διανοίας ἀπορία δηλοῖ τοῦτο περὶ τοῦ πράγματος· ᾗ γὰρ ἀπορεῖ, ταύτῃ παραπλήσιον πέπονθε τοῖς δεδεμένοις. ἀδύνατον γὰρ ἀμφοτέρως προελθεῖν εἰς τὸ ἔμπροσθεν. Διὸ δεῖ τὰς δυσχερείας τεθεωρηκέναι πάσας πρότερον, τούτων τε χάριν καὶ διὰ τὸ τοὺς ζητοῦντας ἄνευ τοῦ διαπορῆσαι πρῶτον, ὁμοίους εἶναι τοῖς ποῖ δεῖ βαδίζειν ἀγνοοῦσι. Καὶ πρὸς τούτοις, οὐδ' εἴ ποτε τὸ ζητούμενον εὕρηκεν ἢ μή, γινώσκειν. τὸ γὰρ τέλος τούτῳ μὲν οὐ δῆλον. ἔτι δὲ βέλτιον ἀνάγκη πρὸς τὸ κρῖναι, τὸν ὥσπερ ἀντιδίκων

δίκων καὶ τῶν ἀμφισβητούντων λόγων ἀκηκοότα πάντων. id est; *Ad illam, quæ quæritur, scientiam necesse est in primis nos percurrere, de quibus primò dubitandum est. Hæc autem sunt & quæcunque de eis aliter quidam existimârunt, & siquid ultra hæc prætermissum sit. Est autem operæ pretium eis qui certam & indubitatam scientiam adipisci volunt in antecessum benè dubitare. Nam firma quæ deinde acquiritur scientia solutio eorum est, de quibus antea dubitatio fuit instituta: Solvere autem non potest is, qui nodum ignorat: sed intellectus dubitatio manifestum hoc de re facit. Quatenus enim dubitat, eatenus simile quid ligatis patitur. Neutro enim modo fieri potest ut ad ulteriora procedatur. Quapropter omnes difficultates primò speculari oportet, tum propter illas ipsas, tum propterea quod illi, qui quærunt, nisi prius dubitent, similes illis sunt, qui quonam eundum sit, ignorant. Et præterea, utrum invenerint nec ne, quod quærunt, cognoscere non possunt. Finis etenim huic quidem non est manifestus, illi verò, qui anteà dubitaverit, cognitus est. Insuper necesse est, ut melius se habeat ad judicandum, qui tanquam adversarios omnes, utrinque rationes oppositas audierit.* Ex modò allegatis, etsi non omnimodum, magnum tamen inter utrumque Philosophum circa dubitationem advertere licet consensum, qui ex sequentibus articulis ex antecedenti discursu deductis palàm fit: 1. Oportet eum, qui certam adipisci cupit scientiam, in antecessum dubitare. 2. Scientia autem illa, quæ per dubitationem acquiritur, solvit omnes difficultates, de quibus anteà dubitatum est; estque firmissima 3. Quamdiu autem quis non dubitavit difficultates solvere non potest, quoniam easdem ignorat; sed intellectus dubitans illas manifestas facit. 4. Quamdiu dubitatum non est in veritatis cognitione progredi non possumus. 5. Ignoramus enim legitimam methodum & ordinem, quo progrediendum est. 6. Qui non dubitârunt, ignorant, an veritatem, quam quærunt, invenerint nec ne. 7. Qui dubitat judicium suum aptius reddit, ut legitimè de rebus judicet. Ex his jam luce meridianâ clarius est Aristotelem & Cartesium utilitatem & necessitatem dubitandi

ob

ob easdem rationes commendare & defendere. Agnoscant igitur hæc & desinant Cartesium traducere Peripatetici, nisi præceptori suo & ipsi veritati in os contradicere susque deque habeant. Cæterum si hoc adeò luculentum de usu & necessitate dubitandi testimonium nondum sufficere existiment, audiant alium ex Priscis disertis verbis profitentem: ὡς εὐπορίας γνωστικῆς μήτηρ ἡ ζητητικὴ ἀπορία. *Quod omnis firmæ cognitionis contemplatricis mater sit inquisitrix dubitatio.* Quod si necdum acquiescant, legant & Platonem de utilitate dubitationis disserentem: Soc. *Advertis iterum ô Meno, quo sit reminiscendo jam progressus. Nam ab ipso principio disputandi nequaquam noverat quæ sit octo pedum spatii linea, quemadmodum nec in præsentiâ novit: verum tunc se nosse illam arbitrabatur, & audacter nimium, quasi sciens respondebat, nec deesse sibi quicquam putabat: nunc autem egere se jam existimat, & ut ignoraret, sic se ignorare fatetur.* Men. *Vera dicis.* Soc. *Nonne rectius nunc ad id quod ignorat affectus est?* Men. *Hoc quoque arbitror.* Soc. *Cum ergo dubitare ipsum compulerim, & piscis illius more stupidum fecerim, num aliquid obfuit?* Men. *Non ut mihi videtur.* Soc. *Operæ pretium itaque fecimus ad veritatem inveniendam: nunc enim utpote ignorantiæ suæ conscius libenter & sponte perquirere: at tunc sine controversiâ, & sæpe, & adversus quam plurimos rectè se loqui arbitrabatur.* Men. *Videtur.* Soc. *Num censes ipsum studuisse unquam, ut id vel inveniret vel disceret, quod cum ignoraret nosse rebatur; priusquam in hanc dubitationem incideret, quô & suam ignorantiam re deprehendit, & scientiam appetere cœpit?* Men. *Non videtur ô Socrates.* Soc. *Profuit igitur ipsi stupor ejusmodi?* Men. *Videtur.* Ex quo discursu Platonis patet hoc ipsius de dubitatione judicium esse, quod ad veritatem inveniendam utilis sit, ignorantiam detegat & scientiam appetere doceat. Atque ita primum illud consectarium, quod ex pristinâ nostrâ ignorantiâ deduxit Philosophus, nempe *Omnia semel funditus esse evertenda* id est omnia vetera præjudicia & anticipatas opiniones simul esse abdicandas, satis demonstratum,

Eustath. in Homer. A.

In Menone

tum, ejusque utilitatem & necessitatem dilucide ostensas esse existimo, nisi quis datâ operâ cæcutire velit. Addit porro:

Atque à primis fundamentis denuò inchoandum] Quandoquidem enim fundamenta sive principia veteris ædificii Philosophici infirma, caduca, ruinosa & fallacia sunt, quibus nihil stabile inædificari potest, planum est illa esse diruenda & nova in horum locum esse substituenda & jacienda. Nullæ enim conclusiones certæ ex Principiis incertis deduci possunt, etiamsi evidentissimè inde deducantur. Unde liquidò patet nulla ratiocinia veteribus Principiis innixa quemquam vel ad unius rei certam notitiam perducere. Cæterum nemo nobis felicius expediet, in quo consistat omnis ea hactenus acquisita scientia, & ad quem usque sapientiæ gradum perventum sit, quam ipse noster Philosophus, qui quatuor Sapientiæ hactenus obtentæ gradus facit. *Primus*, inquit, *non nisi notiones continet, adeò luce propriâ claras ut absque meditatione acquiri possint. Secundus complectitur illud omne quod sensuum experientia nobis dictat. Tertius illud quod consuetudo cum aliis hominibus nos docet. Cui quarto loco addi potest lectio librorum non quidem omnium, sed eorum speciatim qui conscripti sunt ab hominibus, qui nos bonis moribus imbuere possunt. Hac enim est instar consuetudinis quam cum illorum auctoribus habemus. Omnisque Sapientia quæ haberi solet, solis quatuor hisce mediis acquisita mihi videtur: Revelatio namque Divina iis à me non accensetur, cum non gradatim, sed simul & semel ad fidem infallibilem nos evehat. Fuerunt quidem omnibus seculis viri magni, qui quintum ad sapientiam gradum quatuor illis longè sublimiorem acquirere sunt conati; hoc unum videlicet agentes ut primas causas veraque principia investigarent, ex quibus rationes eorum omnium quæ sciri possunt deducerentur; Et qui in hoc operam collocârunt, Philosophi speciatim vocati sunt. Nulli tamen hactenus quod sciam, propositum illud feliciter successit. Primi & præcipui quorum habemus scripta, sunt Plato & Aristoteles; inter quos non alia fuit differentia, nisi quod primus præceptoris sui Socra-*

tis

tis vestigia secutus ingenuè confessus sit, se nihil adhuc certi invenire potuisse, & quæ probabilia ipsi videbantur, scribere sit conatus; hunc in finem principia quædam fingens per quæ aliarum rerum rationes reddere conabatur. Aristoteles verò minori ingenuitate usus, quamvis per viginti annos Platonis discipulus fuisset, nec alia quam illius Principia habuisset, modum ea proponendi prorsus immutavit, & ut vera ac recta ea obtrusit, quæ verisimile est, ipsum nunquam pro talibus habuisse. Viris autem his duobus bona mentis & sapientiæ quatuor præcedentibus mediis acquisita satis erat; atque exinde magnam auctoritatem nacti sunt, ita ut posteri opinionibus eorum acquiescere, quam meliores quærere maluerint. Præcipua autem quæ inter illorum discipulos viguit disputatio, hæc inprimis fuit, Utrum de omnibus dubitandum, an verò aliqua pro certis habenda essent? Atque hoc ipsum utrosque in enormes errores præcipitavit. Quidam enim eorum qui pro dubitatione stabant, eandem etiam ad actiones vitæ extendebant, ita ut prudentiâ ad vitæ regimen necessariâ uti negligerent; alii verò qui certitudinem defendebant, à sensibus eam dependere supponentes iis fidem prorsus habuerunt; adeò ut dicant, Epicurum contra omnes Astronomorum rationes ausum fuisse asseverare, Solem non majorem esse, quam apparet. Hæc ille. Cum itaque Platonis Schola à morte ipsius in duas hæreses secta fuit, in *Academicam* nempe & *Peripateticam*, illa docuit *sensus esse fallaces, judicia infirma, res ipsas inexplicabilibus obductas difficultatibus, ita ut nihil sit verum, aut siquid est, id certè à nobis animo cerni & comprehendi non posse; atque ita de omnibus dubitabatur & omnimoda ἀκαταληψία inducebatur.* Sed hæc secta, uti & Scepticorum huic affinis, non admodum diu viguit, sed ab hominibus sanæ mentis meritò explosa est. *Peripatetica* autem secta ab Aristotele condita *sensus certos & infallibiles ad veritatem ejusque cognitionem magistros & duces esse statuebat, & judicia per sensus firma & certa esse pronunciabat.* Hæcque Philosophia in Academias & Scholas Christianorum introducta est. Sed quoniam nec hujus fundamenta & principia

vera

vera & indubitata sunt, quoniam sensus in plurimis nos fallere à viris eruditis dudum observatum fuit, non ab omnibus quoque illa Philosophia approbata fuit, quamvis defectu melioris, & quià plurimi illâ à juventute imbuti erant, publicè doceri non desierit; cum interim nunquam defuerint, qui firmiora principia quærenda esse judicaverint; sed ea tamen detegere ad tempora usque Philosophi nostri non potuerunt, aut saltem scriptis suis in publicum non edidére; nemo enim (quantum constat) post tempora Aristotelis ex professo docuit aut demonstravit, non sensibus, sed intellectui soli res distinctè percipienti certitudinem inesse, quod Philosophus noster dilucidè in progressu evincit.

Siquid aliquando firmum & mansurum cupiam in scientiis stabilire] Hic finis, hic scopus ob quem tantâ industriâ & tam attentâ sedulâque meditatione nova principia indagavit, nempe ut firmi & certi quid in scientiis stabiliat, omnem dubitationem tollat, certitudinem evidentem intellectus demonstret, cum antea omnis cognitio Philosophica dubiis & incertis innixa principiis fluctuaret, & revera nihil stabile in scientiis esset, quæ à Philosophiâ suâ principia mutuantur: quomodo enim aliquid valdè solidum & firmum instabilibus fundamentis superstrui posset? Atque hinc liquidò rursus apparet, quam iniqua sit criminatio in Philosophum, quâ ipsum cum Academicis & Scepticis facere, & ad Atheismum viam sternere impudenter asserunt: nam revera contra eosdem quam maximè philosophatur ostendens certi & firmi quid à mente nostrâ posse cognosci, & Dei existentiam lumine naturali evidentissimè posse demonstrari; adeò ut quam maximè Dogmaticis accensendus sit.

Sed ingens opus esse videbatur] Arduum, difficile & magnæ molis, ad quod perficiendum solers ingenii acumen, prompta judicii perspicacia, magna memoriæ felicitas & multæ immensi laboris lucubrationes requirebantur. Quippe in scriptis eruditorum virorum, præsertim si à rebus sensibilibus remotiora sint, mentem ipsorum assequi non levis negotii res est; errores autem eorundem emendare majoris

longè momenti: sed suopte ingenio veritatem latentem sine duce eruere operis longè maximi: & præcipuè quidem cum nulla quæ sequaris vestigia appareant, imò cum ne viam quidem, quâ eundum est, invenias, sed quam ipse facere debeas.

Hesiod. ἐν ἔργ.

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσει.
Ἐσθλὸς δ' αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.

Cic. pro Cluent.

Quæ Suada Romana excerpsisse & transtulisse videtur, inquiens: *Sapientissimum esse dicunt eum, cui quod opus sit, ipsi veniat in mentem: proxime accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet.* Quoniam verò veritas adhuc, saltem maximâ ex parte, in Democriti, ut ajunt, puteo latebat, & siqua forte appareret, ea perpetuis dissidiis & altercationibus dissentientium partium, ut primum exorta, mox rursus, si non extincta & suffocata, ad minimum suppressa fuit. In tantis itaque tenebris lucem adeò vividam excitare & accendere, ut falsitatem & caliginem dispellat, & adversus insultantium impetus sarta tecta persistat, næ opus ingens fuit. Et proinde non sine ratione subdit;

Eamque ætatem expectabam, quæ foret tam matura, ut capessendis disciplinis aptior nulla sequeretur: Quare tamdiu &c.] Infantia enim & pueritia imbecillis & ad res ratione regendas prorsus inepta est, ludicris plerumque transigitur; adolescentia & juventus effrænis & luxui dedita; virilis ætas cum & corporis & mentis vigor ad ἀκμὴν pervenit rebus agendis & veritatibus feliciter indagandis & eruendis sola ferè idonea: hanc itaque ætatem (quamvis jam à multis annis præter sortem communem humani generis sapientiâ polleret) expectandam sibi ratus est Philosophus; quantum enim ex ipsius scriptis & fide dignâ aliorum relatione colligere licet circa quadragesimum præter propter ætatis annum aureum hoc Meditationum opus orbi erudito exposuit. Vigesimum enim primum ætatis annum agens è præceptorum custodiâ egressus, novennium studiis militaribus & peregrinationibus impendit, quo peracto triennium Lutetiæ Parisiorum degit: inde in Belgium Fœderatum se contulit,

tulit, ubi cum octennium hæsisset Dissertationem de Methodo, Dioptricam, Meteorologica & Geometriam in lucem edidit anno hujus seculi septimo trigesimo, & non longo post Meditationes de primâ Philosophiâ; tandemque Philosophiæ Principia. Non exigit nec patitur instituti nostri ratio de singulis his scriptis prolixius dicere, ab aliis id jam actum, & nos alio tempore, ubi se, Deo volente, commoda magis occasio obtulerit, idem acturi sumus: id requirit commentationis nostræ filum, ut paulò penitius patefaciamus cur ad tam maturos ætatis usque annos moram trahere consultum duxerit. Ipse jam dixit ingens opus esse, hinc ætatem maturam, & adeo aptam capessendis disciplinis, ut aptior nulla sequeretur, fuisse exspectandam; ulteriores igitur moras nectere non potuit, si id unquam aggrederetur: nec tamen maturius scripta sua publici juris fecit, imò in perpetuâ ignorantiæ nocte latuissent, nisi viri eruditi & toto orbe doctrinæ famâ inclyti indesinenter ipsum precibus sollicitâssent. Nempe noverat ille Reip. Literariæ archegetes inficetorum hominum affanias & apinas intempestivo scripturiendi pruritu in lucem protrusas læto applausu passim excipi; reconditioris sapientiæ scripta è contra in parum æquos sæpè incidere rerum æstimatores & limis ut plurimum aspici oculis, quinimò omnigenis iniquorum insultibus & opprobriis esse exposita. Et præterea quum probè gnarus esset Philosophus, quam infirma esset natura humana, metuit ne inter suas opiniones (quanquam magno, ut ipse ait, studio semper curavit, ne ullis novis fidem adhiberet, quarum demonstrationes certissimas non haberet;) aliqua inveniretur, in quâ à vero aberrâsset; legitimas existimavit se habere rationes illas nunquam evulgandi. Ne tamen publico commodo deesset, credidit se eas occultas detinere non potuisse, absque gravi peccato adversus legem, jubentem, ut quantum in nobis est, generale omnium hominum bonum procuremus; atque ita consummatissimos suos fœtus prudenti diffidentiâ suppressos aliquamdiu, & in dies magis magisque *Methodo. p. VI.*

 accu-

accuratiori mentis limâ expolitos tandem orbi exposuit. Haud secus ut milites generosi dubiam fortunæ bellicæ aleam experti non temerario impetu se periculis involvunt, sed omnia prius consilio quam armis tentant. Scilicet,

Hic magnus sedet Æneas secumque volutat
Eventus belli varios.

Virg. Æneid. 1. Opportunè igitur hodiè mentem omnibus curis exsolvi, securum mihi otium procuravi, solus secedo.] Quoniam autem arduum illud opus sine ulteriori deliberatione propter maturitatem ætatis & opportunitatem temporis aggredeundum erat, omnibus remotis obstaculis & necessariis adminiculis ac mediis assumptis præparat se & strenuè accingit operi subeundo. *Opportunè*, inquit, *hodiè mentem curis omnibus exsolvi.* Curæ enim animum distrahunt, mentisque cogitationes in diversas partes rapiunt, nunc huc nunc illuc dividentes; turbida enim his affectibus mens fluctuantis Euripi instar —— *Cæco curarum volvitur æstu*; has igitur cæterosque affectus, uti sapientem decet, sepofuit & excussit: *haud facilè enim animus verum pervidet, ubi illi officiunt, ab his igitur qui de rebus dubiis consultant, vacuos esse decet.* Et insuper *securum otium sibi procuravit*, nempe literarium: vivere enim Philosophi cogitare est. Vitam itaque tranquillam à negotiis Reip. & forensibus litibus vacuam, intelligit, ut mens sibi soli id est cogitationibus suis vacet: nunquam enim sapientis animus magis negotiosus, quam cum otiosus esse vulgo videtur: quippe profundis contemplationibus & seriis expiscandæ veritati intentus meditationibus; utque id tanto felicius succederet sine ullis perturbationibus *solus secessit*, secessum solitarium elegit, interpellationes amicorum, commercia hominum & turbas populi, in quantum studiis noxia sunt, declinans & evitans. In hoc imitatus omnis ævi sapientes, qui in loca à vulgi turbis remotiora studiorum exercendorum causâ semper secessére; hanc enim ob causam Athenis & in Græciâ plurima fuére gymnasia: Academia, Lycéum, Prytanéum, Stoa, Cynosarges. In *Prytonéo* philosophatus fuit Socrates: in *Academia*

Sallust. Catil.

demia docuit Plato, unde aſſeclæ ipſius *Academici* audiunt: in *Lycéo* obambulans diſſeruit Ariſtoteles, unde à περιπα-τεῖν auditores ipſius *Peripatetici* dicti ſunt: In *Stoâ* id eſt *porticu* Zeno Cittieus ſapientiam profeſſus eſt, *Stoicorum* ſectæ conditor: in *Cynoſargi*, gymnaſio in Atticâ, à *cane albo* dicto, Antiſthenes diſcipulos exercuit, quos à loco *Cynicorum* nomen contraxiſſe quidam affirmant. Sileo alia ubivis terrarum ſacra muſis gymnaſia. Et ad horum exemplum Cicero villas & prædia ſua habuit otio & ſeceſſui deſtinata: in Tuſculano enim, hodiè *Grotta Ferrata*, in viâ ab Averno lacu Puteolos tendente, *Academiam*, unde Academicarum & Tuſculanarum Quæſtionum nomen quædam ex ipſius operibus præferre vides. In villas enim illas poſt forenſia negotia animi recreandi gratiâ ſe recipiebat; ubi aut cum doctis aliquibus, quos eò abduxerat, ſe declamando exercere, aut Philoſophica ſtudia intermiſſa revocare ſolebat. Tantorum igitur virorum veſtigia cum preſſerit incomparabilis noſter Philoſophus; faceſſant impiæ calumniæ adverſariorum, lucifugam ipſum facientium & obſcura latibula quærentem, ut ejus vitia eò magis in occulto deliteſcerent. Hæc enim objecta illi crimina ſatis manifeſtè produnt balathronum iſtorum virulentiam & Philoſophi è contrà innocentiam. Obturet os ipſorum ſapiens Romanus, qui de Otio aut Seceſſu Sapientis integrum conſcribens librum (cujus proh dolor parva hodiè ſuperſunt fragmenta!) nervoſè & diſertè ut ipſi mos eſt, ſeceſſus Philoſophici utilitates & laudes congeſſit, ex cæteris hæc ſelecta audiant: *Quo animo, inquit, ad otium ſapiens ſecedit? ut ſciat ſecum quoque acturum per quæ poſteris proſit. Nos certe ſumus, qui dicimus & Zenonem & Chryſippum majora egiſſe quam ſi duxiſſent exercitum, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non uni civitati, ſed toti humano generi tulerunt. Quid ergo eſt, quare tale otium non conveniat bono viro, per quod futura ſecula ordinet, nec apud paucos concionetur, ſed apud omnes omnium gentium homines, quique ſunt, quique erunt? Ad ſummam quæro, an ex præceptis ſuis*

vixerint Cleanthes, & Chrysippus & Zenon? non dubiè respondebis, sic illos vixisse, quemadmodum dixerant esse vivendum. Atqui nemo illorum remp. administravit. Non fuit illis, inquis, aut ea fortuna aut dignitas, quæ admitti ad publicarum rerum tractationem solet. Sed iidem nihilominus non segnem egere vitam. Invenerunt, quemadmodum plus quies illorum hominibus prodeßet, quam aliorum discursus & sudor. Ergo nihilominus hi multum egiße visi sunt, quamvis nihil publicè agerent. Illustria quoque Marci Tullii Ciceronis in hanc rem verba, Lib. v. de Fin. bon. & mal. *Itaque, ut quisque optimè natus institutusque est, eße omninò nolit in vitâ, si gerundis negotiis orbatus, possit paratissimis vesci voluptatibus. Nam aut privatum aliquid gerere malunt: aut, qui altiore animo sunt, capessunt remp. honoribus, imperiisque adipiscendis, aut totos se ad studia doctrinæ conferunt. quâ in vitâ tantum abest, ut voluptates consectentur; ut etiam curas, sollicitudines, vigilias perferant: optimâque parte hominis, quæ in nobis divina ducenda est, ingenii & mentis acie fruuntur, nec voluptates requirentes, nec fugientes laborem. Nec verò intermittunt aut admirationem earum rerum, quæ sunt ab antiquis repertæ, aut investigationem novarum: quo studio cum satiari non possunt, omnium cæterarum rerum obliti, nihil abjectum, nihil humile cogitant: tantaque est vis talibus in studiis, ut eos etiam, qui sibi alios proposuerunt fineis bonorum, quas utilitate, aut voluptate dirigunt, tamen in rebus quærendis, explicandisque naturis ætates conterere videamus.* In quibus depictus mihi videtur Philosophus; quippe qui optimè natus institutusque, non voluptates consectatus est, sed totum se ad studia doctrinæ contulit; curas, sollicitudines, vigilias creberrimas pertulit: optimâ sui parte, quæ divina est, ingenii & mentis acie sine intermissione usus est: res ab antiquis repertas non tantum admiratus est, sed earum cognitionem exhausit, & quod caput est, novarum rerum investigationem indefesso labore scrutatus est & feliciter eruit; quo studio saturari non potuit, sed omnium rerum oblitus, nihil

nihil abjectum, nihil humile cogitavit; sed in rebus quærendis explicandisque naturis ætatem contrivit. Legant hæc & perpendant sycophantæ, & maledicæ eos pœniteat linguæ. Sed & illud addere ex re videtur, ubi in secessu illo potissimum tempus transegerit, non enim in uno substitit loco, sed perpetuis fere votis & iteratis petitionibus Virorum doctrinæ famâ celebrium relictis Parisiis, relictis Parentibus, Fratribus & Sororibus, relictis denique charissimis Amicis, è Galliâ in Belgium concessit & aulæ delicias cum Otio Philosophico commutavit. Atque ità præcipuè in Bataviâ, nunc Egmondæ, mox Endegestæ, mox Amstelodami, mox Leovardiæ in Frisiâ hâc nostrâ, mox Daventriæ in Transisalaniâ, rursus propè Harlemum in villulâ, iterum Harderovici in Gelriâ, mox Ultrajecti, rursus Lugduni Batavorum, potissimum verò in villulis solitarius egit, & hoc pacto viginti circiter annorum spatio auso penè plusquam humano solidissimam Philosophiam condidit. Cæterum quæ ipsum causæ præter vota & desideria summi ingenii Virorum in Belgicas hasce regiones, tanquam in solitudinem Philosophicam, evocaverint, ipse exponat: *Ante octo annos impulsus, ut omnibus me avocationibus, quæ inter notos & familiares degentibus occurrunt, liberarem, secessi in hasce regiones* (Belgicas) *in quibus diuturni belli necessitas invexit militarem disciplinam tam bonam, ut magni in eâ exercitus non aliam ob causam ali videantur, quam ut omnibus pacis commodis securius incolæ frui possint: Et ubi in magna negotiosorum hominum turba, magis ad res proprias attendentium quam in alienis curiosorum, nec earum rerum usu carui, quæ in florentissimis & populosissimis urbibus tantum habentur; nec interim minus solus vixi & quietus, quam si fuissem in locis maximè desertis & incultis.* Ex his liquidò apparet, cur urbes frequenti multitudine hominum populosas desertis & incultis locis posthabuerit, & quare crebras familiarium visitationes & interpellationes evitaverit, ut scilicet in majori tranquillitate sapientiæ studio incumberet & Reip. literariæ uberes soli-

Methodo part. III circa finem.

ſolitariarum ſeceſſionum fructus communicaret. *Solitudine*
Cic.Epiſt. lib. v. 14. *enim nihil jucundius poteſt eſſe erudito, qui ſemper aliquid ex ſe promat, quod alios delectet, ſeipſum laudibus illuſtret.* Et has ob cauſas,

Seriò tandem & liberè, *inquit*, generali huic mearum opinionum everſioni vacabo.] Prudentiæ regula eſt; Priuſquam incipias conſulto, ubi conſulueris maturè facto opus eſt. Hinc architectus computat an ſumptibus ferendis ſit, antequam ædificare aggreditur. Hinc peritus rei militaris vires ſuas probè conſiderat priuſquam cum hoſte in arenam deſcendit. Haud ſecus & noſter antequam arduum illud generalis everſionis opus aggreditur, quid humeri ferre valerent, probè perpendit, omnibuſque ſe mediis ad tantum opus ſubeundum inſtruit, inſtructuſque maturè & alacriter operi ſe applicat, & non datariâ, nec velitariâ, ſed ſtatariâ pugnâ cum inveteratis hoſtibus manus conſerit; Magna enim profectò res eſt omnes opiniones longo uſu confirmatas abdicare & ex animo rejicere. Faciundum tamen ſiqua ſpes veri affulſura ſit: *Quemadmodum enim cum*
Cic. Tuſcul. IV. *ſanguis corruptus eſt: aut pituita redundat aut bilis in corpore, morbi ægrotationeſque naſcuntur: ſic pravarum opinionum conturbatio, & ipſarum inter ſe repugnantia, ſanitate animum ſpoliat morbiſque perturbat.* Accitis igitur omnibus animi viribus, remotis omnibus externis & internis impedimentis, liberum curarum & affectuum ſe univerſali opinionis omnium ſuarum veterum everſioni vacaturum eſſe profitetur. Nec ſine gravi ratione: Difficile enim eſt
Reſp. Quart. p. 126. quidquid firmiter nobis ab ineunte ætate perſuaſimus poſteà etſi falſum eſſe rationibus oſtendatur, ab opinione noſtrâ delere, niſi diu & frequenter ad rationes iſtas attendamus.

Ad hoc autem non erit neceſſe, ut omnes eſſe falſas oſtendam: quod nunquam fortaſſis aſſequi poſſem; ſed quia jam ratio perſuadet, &c.] Exſpectat jam procul dubio Lector prolixam omnium & ſingularum veterum opinionum recenſionem & refutationem; ſed inſtruit & melius edocet

au-

author lectorem, inquiens primò, adeò prolixâ & operosâ refutatione opus non esse, cujus hanc rationem assignat, *quià forsan, ubi singulas evolveret, quædam inter illas occurrerent, quæ revera falsitatis convinci non possent.* Sed meritò quis denuò regerat: Ergò nec illas jure potes rejicere. Respondet Philosophus *imò verò in præsens persuadet ratio, ut non minus accuratè ab iis, quæ non planè certa sunt atque indubitata, quàm ab apertè falsis assensionem esse cohibendam.* Quæ autem illa ratio? Philosophus quidem dicit sibi id ratione quâdam esse persuasum, sed quænam illa sit non aperit. Imo hoc loco non detegit, sed erudito lectori indagandam relinquit. Ne tamen putes Philosopho rationem defuisse, hæc est: Nempe author non saltem in præsens moralem, ut loquuntur Philosophi, inquirebat certitudinem, id est, istam quæ tanta est, ut nemo sanæ mentis de iis, quæ ita cognoscuntur, dubitare posse videatur; uti ex. gr. an habeat ipse corpus? an cælum, terra, aër &c. existant? quæ tamen à Scepticis seriò in dubium revocantur: sed inquirebat Metaphysicam certitudinem id est tantam quæ suâ evidentiâ omnes convinceret, de quibus ne Scepticus quidem, nisi omnem rationem ejurare velit, dubitare potest; & hinc proinde meritò infert, *satis igitur in præsens esse ad omnes opiniones rejiciendas, si aliquam saltem rationem dubitandi in unaquaque repererit.* Si enim aliqua sit adhuc dubitandi ratio aut aliqua excogitari possit adeò valida, ut quâcunque ratione nos dubios reddat, nondum Metaphysica certitudo, qualem quærit Philosophus, inventa est, & proinde æquè de dubiis quàm de falsis assensio est cohibenda. An verò tales rationes unquam ab aliis excogitatæ sint vel excogitari possint, ut res omnes dubias reddant in primâ & secundâ Meditatione inquirit Philosophus, & ostendit ab Atheis & Scepticis tales esse meditatas & propositas; has autem in eum finem adducit, ut contrarias rationes & veritates investigaret, (uti revera fecit,) quibus dubitandi istas rationes non tantum refellit, sed insuper veritates adeò certas demon-

ſtravit, quibus ipſi Athei & Sceptici convincuntur; atque ita revera Atheiſmum & Scepticiſmum profligavit.

Nec ideò etiam ſingulæ erunt percurrendæ, quod operis eſſet infiniti.] Oſtenſo itaque opus non eſſe, ut ſingulæ & omnes veteres opiniones refutentur, pergit jam & probat non neceſſe quoque eſſe, ut ſingulæ quoque recenſeantur, quoniam id operis infiniti eſſet. Ab abſurdo itaque argumentum deducit & ab impoſſibili, ut loquuntur. Et ſanè quâ methodo uteretur? A quibus principium caperet? Ubi finem reperiret in tantâ farragine? Catalogus in immenſum excreſceret, & nulla exinde utilitas redundaret. Sed quid igitur agendum in tantâ confuſionum mole & multitudine?

Sed, *inquit*, quià ſuffoſſis fundamentis &c.] Ipſa principia aggredienda eſſe docet & illa falſitatis eſſe convincenda; ubi enim illa falſitatis convicta fuerint, univerſa illa veterum opinionum moles principiis illis innixa corruit. Qualia enim principia, tales exinde deductæ concluſiones. Si principia falſa, falſæ exinde vel ſaltem dubiæ opiniones. Contra ſi vera, concluſiones exinde deductæ etiam veræ ſunt, certamque pariunt ſcientiam. Principia autem eſſe aggredienda, illuſtrat & declarat ſimili ædificii ſubruendi, in quo non opus eſt ſingulas minutatim particulas divellere & diſjicere, quoniam dirutis fundamentis tota ſuperſtructa moles collabitur; haud ſecus cum ſcientiis ſe res habet, ſi principia ſint falſa vel infirma, adeò ut convelli & dirui poſſint, univerſa vacillat, dubia imò inanis eſt ſcientia, & non opus eſt ſingulas in eâ recenſitas opiniones & concluſiones aggredi. Eleganter autem ſcien[illegible]m comparat domui. Veluti enim Architecti, ut ſolida ædificia conſtruant, in locis ubi ſaxum, vel argilla, vel aliud quodcunque firmum ſolum arenoſâ ſuperficie contectum eſt, foſſas primum excavant, omnemque ex iis arenam & alia quævis arenâ nixa aut permiſta rejiciunt, ut deinde in ſolo firmo ponant fundamenta, ex. gr. ſaxum ingens ſubſtrato cæmento, deinde lateres, mox calcem cum aquâ &

ſa-

ſabulo fermentatam, deinde ligna, ferramenta, & quæ præterea ad conſtruendum ædificium requiruntur: ita in ſcientiâ legitimè fundandâ omnia dubia inſtar arenæ primum rejicienda, & deinde ea quæ remanent firma tanquam fundamenta & principia locanda; porrò rationes tanquam lapides, ligna & ferramenta adferendæ, & denique tranſitionum & connexionum vincula, inſtar cæmenti & calcis interſerendæ. Et hinc exordium hujus Meditationis concludit, inferendo igitur ſola principia eſſe aggredienda, ut corruant omnes veteres opiniones ipſis innixæ.

Nempe quidquid hactenus ut maximè verum admiſi, vel à ſenſibus, vel per ſenſus accepi.] Indicat autem citra ambages, quæ ſint illa *Principia*, quibus innititur inveteratarum illa ilias opinionum & univerſa ex iis conflata γνῶσις ψευδώνυμος. Nempe *ſenſus* ſunt. His acceptam tulimus, & etiamnum plurimi ferunt omnem ab omnibus ſeculis perceptam ſcientiam, quæ ab illis defluxit & per illos advenit. Communi autem illo errorum cataclyſmo, quo univerſus Orbis Chriſtianus erat obrutus, in præceps quoque abreptus fuerat Renatus, *quidquid hactenus*, inquit, *ut maximè verum admiſi, vel à ſenſibus vel per ſenſus accepi.* A Patribus enim in Collegio Flexiaco Ariſtoteléæ Philoſophiæ Principiis innitiatus erat & illa avidâ mente imbiberat. Scilicet dixit Stagirita: *Senſus ſunt veri.* Sed quid adeò parcus es Magiſter? liceat tuis aſſeclis impunè quid oraculis tuis adjicere, largiores enim te ſunt, etiam Alexandri donis ditato; nam non tantum, *Senſus veri ſunt*; ſed omnis veri cognitio è ſenſibus dependet: *Nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu.* Tritum illud in ore ipſorum effatum; id perſonat quotidiè in Scholis eorum; pro eo acrius quam pro religione dimicant; Atheus & Scepticus eſt, qui negare audet. Sed quo magiſtro id ipſum didicerunt? Cæci ſunt, ſiquid per ſe vident. Ab Epicuro hauſére. Dignus nempe diſcipulis Doctor. Præit ille: *Quidquid animo cernimus, id omne oritur à ſenſibus.* Sequuntur illi, ſed ut manifeſtum faciant ſe mentem Docto-

ris percepisse, mutant parum subinde ingeminantes: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Exulat igitur omnis cognitio Dei, intellectus enim cœcus est, spirituales essentiæ percipi nequeunt; sensus sunt certissimi ad veritatem cognoscendam duces, imò unici, *semper vera nuntiant, quidquid videtur, tale est, ut videtur, perceptio ex iis certa & indubitata.* Optimè sanè; omne erroris periculum evanuit: non Epicurus id tantum; sed & acerrimus ipsius defensor voluptuarius Lucretius strenuè illos hæc defendere docuit.

Epicurus apud Cicer. Tusc. IV.

Invenies primis à sensibus esse creatam
Notitiam veri neque sensus posse refelli.

Heu subita mutatio! Aristoteléi facti sunt Epicurei; Transfugæ è Lycéo in Hortos, capti sunt mollicelli florum fragrantiâ; umbram fastidiunt, apricari amant. Sed heus! revocate gressum, priscus vos vult Magister: Resipiscite, inquit: *Intellectus semper verus est.* Esto inquiunt, id dictum vis quoad res agendas, sensus semper veri quoad res contemplandas. Salva res est, impunè pergite. Sed quod si in rebus contemplandis errent sensus, palabundi vagabimini. Nullum periculum, regerent; sponsorem se sistit Epicurus, *eum habemus autorem, is vel cum magno suo periculo caussam aget, eò enim rem dimittit: si unus sensus SEMEL in vitâ mentitus est, nulli unquam esse credendum.* Sed ridet eum Cicero: *Hoc est*, inquit, *verum eße, confidere suis testibus, & importune insistere.* Rideat, inquient; Juratus tamen adest testis *Timagoras Epicureus, negat sibi unquam cum oculum torsisset duas ex lucernâ flammulas esse visas*, Qui sic Timagora? *Opinionis enim est mendacium, non oculorum flammularum ista geminatio.* Ridet iterum Tullius: *Quasi quæratur quid sit, non quid videatur. Sed hic quidem majorum similis est.* Rimas quærunt, unde elabantur. Sed norunt præterea patrocinantem sibi Lucretium; sensus non fallitur, sed animus qui judicat: Audiamus Apollineum cantum:

Cætera de genere hoc mirando multa videmus:

Quæ

Quæ violare fidem quasi sensibus omnia quærunt Lucret. Lib. IV.
Nequicquam: quoniam pars, horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus, ipsi:
Pro visis ut sint, quæ non sunt sensibus visa.

Refellat eum Aristoteleæ fautor Philosophiæ, sed satis æquus sæpè veritatis quoque judex. *Ridiculum prorsus est,* inquit, *quod in opinionem culpam regerat, quæ tamen à sensibus seducitur. Quisne prior diffractum in aquâ conspicatus est remum, visus an animus perperam opinans? Si animus, superflua est sensuum opera, si potest animus immediate percipere sensibilia. Cur igitur cæcus palpat? non gustat pes? manus non audit? jam enim per te supervacanea sunt organa, horumque functiones in parte corporis quâvis exerceri valebunt. Si autem sensus fractum animo repræsentat remum, qui tamen integer, fallitur ille, falsamque rem animo suggerit; hic verò si valens, de re malè perceptâ serum, verumque proferet tandem judicium.* Fallitur igitur reverà sensus & animo occasionem, quo fallatur, præbet. Et hoc est quod contra sensus, Principia Peripateticæ Philosophiæ infert, quo ostendit eos non esse genuina Principia, quoniam fallaces sunt. Inquiens: Naräius in locum Lucretii modo cit.

Sed eos interdum fallere deprehendi.] Diximus Peripateticos Philosophiæ suæ principia facere sensus, & statuere eos non esse erroneos, sed certos veritatis rerum, ut in se sunt, esse indices, & formata secundum eos & per eos judicia firma esse contendere, imò omnem nostram cognitionem ab eis esse arcessendam, tam quoad res intellectuales, quam sensibiles: Ipse enim Cicero de his asserit: *Ita tractari ab eis Philosophiæ partem, quæ erat in ratione & discurrendo, ut à sensibus oriretur: inde enim,* ut ajunt, *omnis cogitatio nostra incipit, ac nihil in intellectu, quod in sensu non praextiterit.* Sed si contra jam evincamus sensus esse fallaces & incertos, tota mox ruitura sunt fundamenta, quibus *nixatur vita salusque*; & Philosophia quæ ipsis innititur falsa esse apparebit. Sensus autem inidonea ad veritatem percipiendam esse organa, multâque incertitudine laborare & 1. Academic.

 erro-

erroribus esse obnoxios, ratio & experientia quotidiana dictant; Viri sapientiæ famâ clari testantur, imò & ipsi sensuum patroni experientiâ & ratione exinde deductâ convicti, vel inviti fuere confessi. Experientiam & rationem primò consulamus: Hæ docent finem sensuum, propter quem nobis à Deo concessi sunt, quatenus ex mente & corpore compositi sumus, eum esse, ut dictent quæ commoda vel incommoda sunt, non autem ut per eos veritatem rerum extra nos positarum, ut in se sunt, inquiramus & cognoscamus; finem igitur, propter quem sensus Deus nobis largitus est, pervertunt, qui eis ad indagandam & eruendam veritatem utuntur; & hi seipsos & alios in plurimos errores præcipites agunt. Fallitur igitur Aristoteles suosque asseclas seducit, scribens; *per se visum conducere ad cultum ingenii capessendum, auditum ex accidenti.* Nam visus sane τὸ διότι sive essentiam & intimam naturam rerum sæpissimè detegere nequit, τὸ ὅτι quidem suppeditat, ut ex. gr. quod sol, cælum, stellæ existant: & si interdum quoque detegant τὸ διότι sive ut res naturales in seipsis sunt, hoc tamen interdum fit & ex accidenti. Finis igitur & usus ordinarius, & qui per se illis competit, ut quid humano composito prosit vel obsit doceant, distinguendus est ab eo qui rarus & extraordinarius est, & per accidens tantum iis convenit, nempe ut doceant quid revera sit in rebus seu quæ sit absoluta & intima corporum essentia: Quæ distinctio solet negligi & non observari ab iis, qui sensus Philosophiæ suæ Principia faciunt.

Deinde si sensus veritatis sint indices, si fenestræ, nuncii & satellites sint animæ, ut jactant ipsorum patroni; cur illorum, quæ clarissimè sentimus, naturam obscurissimè intelligimus, uti lucis, coloris, doloris &c? Imò cur è contra, quæ nullo modo in sensus incurrunt, optimè tamen & clarissimé ac distinctissimè percipimus, ut mentis quisque suas cogitationes, dum affirmat, negat, vult, odit, amat &c. quamvis nunquam ullis externis signis eas sibi aliquis repræsentat.

Por-

Porrò quâ ratione contingit, ut ii, qui sensus duces sequuntur, sæpe sint stolidissimi & ab omni penè humanâ naturâ alieni; & contra, qui mentem à sensibus abducunt, sint sapientissimi?

Quî fit præterea, ut qui sapientiâ & intellectu excellentissimi sunt, puta Deus & Angeli, omni sensu corporeo destituantur.

Et denique si sensus soli sint ad essentiam rerum & existentiam percipiendam duces imò authores, Dei igitur nulla cognitio in homine; sed omnes Athei sumus, in tantum etiam ut nunquam in cognitionem Dei pervenire possimus, quippe qui ope sensuum nullatenus innotescit. Hæ rationes satis evincunt eam sensuum non esse prærogativam, quam ipsis, uti vidimus, Peripatetici, Epicuréi & Stoici asscribunt.

Sed quam fallax quoque fides sensuum sit, experientia evincat. Ea nos docet in plurimis illos nos decipere, in multis prorsus deficere. Decipit nos visus, sensuum nobilissimus & qui se latissimè extendit, in rerum magnitudine, figurâ, motu, distantiâ, numero, luce & colore id est in objectis communibus & propriis. Solem & lunam ad latitudinem sesquipedalem extendi acies oculorum videtur dictare; & tantæ præcisè magnitudinis esse Epicurus asseruit; quod tamen dictante ratione & experientiâ falsissimum. Luna omnium stellarum, excepto sole, maxima apparet, cum revera sit minima. Et ne de remotis saltem loquar, ipsa satis propinqua, quantæ sint exactè magnitudinis, visus non satis accuratè indicat, sed ratio decidere debet. ex. gr. An duo nummi æqualis circiter vel exactè æqualis magnitudinis sint non valet visus præcisè dijudicare nec determinare, etiamsi nec ab oculis nec à se invicem longè absint. Oportet ut manu apprehendamus, alterum alteri applicemus & ita metiendo conferamus, ut ita exactiori medio, quam visus est, experiamur, an æqualis præcisè sint magnitudinis nec ne. Nec minor hallucinatio visus circa figuram. Solem & lunam repræsentat nobis

non

non sphæricæ nec globosæ, sed planæ instar circuli figuræ. Lunam faciei humanæ figuram exprimere judicat. Linea an exactè recta, præsertim si paulò longior sit, oculi decidere nequeunt. Eadem in motu dijudicando visus est fallacia: Cum cursorem videmus & simul etiam videmus terminum ad quem properat, non tamen exactè determinare possumus, quo temporis articulo ad eum sit perventurus, quià visus nec exactè distantiam termini, nec cursus celeritatem determinare valet. Et licet quoque distantia termini exactè esset cognita, nondum tamen exactè definire posset, quo momento ad eum cursor esset perventurus, quoniam motus illius celeritatem non exactè novit. Oportet ut tum distantia, tum cursus celeritas & motus probè sint cognita, antequam exactè determinari potest, quantum præcisè temporis requiratur ad spatium illud absolvendum; & istam determinationem non visus, sed ratio facit. Et non modò absolutam celeritatem vel tarditatem motus ignorat visus, sed ne quidem respectivum probè discernit; jaculum enim vel globum per aërem missum longè citius ipso sole procedere judicat. Imò in quo corpore sæpe sit motus ignorat. ex. gr. cum circa marginem navis in navi sedemus, quæ admodum æquali motu fertur, & ad terram & urbes prospicimus, videntur urbes & terra recedere. Ut poëta cecinit:

Provehimur portu terræque urbesque recedunt.

In distantià objecti pariter errat visus; Turris aliqua si nobis appareat interjectis multis agris & ædificiis, longè dissita & satis magna apparebit; contrà autem si eadem turris vel alia paris distantiæ & æqualis magnitudinis sine interjectis agris & ædificiis à nobis videatur longè minor & propinquior esse putabitur. Stellas omnes æquali distantia à nobis distare visus judicat. Seducit quoque visus cum in corpore tot præcisè partes esse existimat, quot oculis intuetùr. Circa lucem & lumen itidem labitur visus: Stellas non plus luminis emittere, quam lucernas docet. Cælum statuit esse cærulei coloris. In dolore quoque perversè judican-

randi occasionem intellectui visus exhibet. ex. gr. Cum acu læduntur homines non judicant dolorem esse in acu, quæ pungit, sed judicant tamen calorem inesse igni, qui urit; quæ ratio? illa ejusque operationes visu dignoscuntur, minutæ verò particulæ quæ ex igne effluunt & quæ manum feriunt non conspiciuntur. Cum itaque nihil videtur quod manus nostras afficit & ferit, & tamen calorem persentiscimus, judicamus juxta naturæ impulsum, eum calorem revera inesse igni, quoniam nihil aliud oculis observamus. Atqui tales in odore, sapore &c. quoque committuntur errores; nam ea est nostra consuetudo, ut sensationes nostras ipsis tribuamus objectis, quoties motu insensibilium partium nos afficiunt & tangunt.

Interdum verò deficit planè & destituit nos visus, & nihil prorsus de corporibus præsentibus percipit. ex. gr. Atomos sive pulvisculos minimos nonnisi ad radios solis splendidè micantes deprehendit, nubilo aëre non observat, cum tamen æquè adsunt. Arbor crescit ex particulis alimenti, quas suæ moli adjungit, sed particulæ istæ visum fugiunt. Et hi pulvisculi & hæ particulæ suas figuras & motus habent, visus nihil agnoscit. Sol sive Tellus movetur, progressionem ipsam visus non deprehendit, progressum esse Solem aut Tellurem videt. Umbra in scioterico movetur, motionem ipsam non observat visus, motam esse agnoscit. Crescit arbor, ipsam crescendi actionem non videmus, crevisse rescisimus. Quæ ratio? Omnis sensus fit mediante tactu. Verè enim cum & ex Aristotele Cartesius: *Non modo sensus ille, qui specialiter tactus vocatur, sed & alii sensus tactu sentiunt, fatente Aristotele*, Lib. 3. de Anima *cap.* 13. καὶ τὰ ἄλλα αἰσθητήρια ἁφῇ αἰσθάνεται. Quælibet autem objecta tactum nostrum non afficiunt, sed requiritur certa affectio notabilis, ut sensibilis sit. Nam cum nervi, qui omnium sensuum sunt organa, sint certæ alicujus magnitudinis, à corpusculis, utcunque exiguis, agitari non possunt, quia majus extensum in quiete positum majorem resistendi vim habet, quam ut possit à minus extenso moveri,

In Respp. Quartis.

veri, ideoque nullum ſenſibilem motum experitur; & iſtum cum ſenſus non experiuntur, etiam non deprehenditur objectum extra nos, & judicantes juxta hos ſenſus exiſtimamus quoque objectum eſſe nullum.

Aliquando autem contrarium planè accidit, ut viſus nempe judicet adêſſe objectum ubi non eſt. ex. gr. viſus judicat adeſſe ignem, cum nervus opticus eo modo afficitur ab aliquo corpore, quo eum ignis aut lucidum corpus afficere ſolet, uti fit in vehementi ſternutatione, cum ſcintillæ ſe viſui noſtro offerre videntur propter vehementem, quo nervus opticus afficitur, motum..

Longius hæc extendere poſſem & pariter cæterorum ſenſuum errores oſtendere, ſed quià viſus præcipuus & maximè infallibilis cognitionis magiſter à ſenſuum patronis habetur, ſatis erit ſcopo noſtro ipſius errores breviter attigiſſe.

Et tam dilucidè ſe produnt ſenſuum errores, ut ab omni ævo extiterint viri, alienâ authoritate prorſus non occæcati, ſed rationis dictamine freti, qui de incertitudine eorundem conqueſti fuére eoſque falſitatis reos egerunt. Primus prodeat Plato magni nominis omni ævo Philoſophus; hic Socratem inducit ită loquentem: *Cognoſcunt viri ſcientiæ cupidi, quemadmodum Philoſophia ipſorum animam ita conſtitutam ſuſcipiens, paulatim inſtruit ſolvereque aggreditur, oſtendens, quam fallax oculorum, quam fallax aurium cæterorumque ſenſuum ſit judicium, ſuadens ab his diſcedere, quatenus hærere illis ſumma non cogit neceſſitas, ſeque in ſeipſam revocare, atque colligere, nec ulli credere præterquam ſibi &c.* Suffragatur quoque dictæ veritati Auguſtinus, Theologus & Philoſophus citra controverſiam ſummus. *Abſit*, inquit, *ut his* (Platonicis) *comparandi videantur, qui poſuerunt judicium veritatis in ſenſibus corporis, eorumque infidis & fallacibus regulis omnia quæ dicuntur metienda eſſe cenſuerunt; ut Epicuréi, & quicunque alii tales* (Peripatetici) *ut etiam ipſi Stoici.* Et de Platonicis quoque Cicero aſſerit: *Mentem volebant eſſe rerum judicem,*

In Phædone.

De C.D. l. VIII. c. 7.

dicem, ſolam cenſebant eſſe idoneam, cui crederetur. Ubi Turnebus: *Ad veri nomen duo comparata ſunt quæ κριτήρια dicuntur*, ſenſus & mens. *Plato tamen ſenſui quam minimum tribuit, ac prope nihil, plurimum menti.* Quam Philoſophiam Platonicam approbans F. L. Coquéus, ait: *Et certè intellectus eſt corrigere ipſum ſenſum, non enim ſenſus judicat ſolem eſſe majorem totâ terrâ, quod tamen vere judicat intellectus. Judicat ſenſus baculum eſſe fractum, qui partim eſt in aëre, partim in aquâ, quod intellectui falſum eſt. Magno, itaque errore aſſeritur*, ut ait Verulamius, *ſenſum eſſe menſuram rerum, quoniam* (uti & nos ex experientiâ oſtendimus) *nos aut decipiunt aut deſtituunt.* Et hæc veritas adeò manifeſta eſt, ut non ſaltem viri Philoſophiæ ex profeſſo operam navantes, ſed & ipſi Poëtæ aliud interim agentes eandem in tranſcurſu præ fulgore ſuo radiantem conſpexerint. Propertius:

Fallunt nos oculi vagique ſenſus
Suppreſſâ ratione mentiuntur.

Et Claudianus: *Corporis hic damnat ſenſus verumque videri*
Pernegat.

In quæ Claudiani verba Cl. Barthius eruditè annotat: *Supputando eò facilè devenit humana ratio, ut quæ ſenſibus comprehenduntur, incertò ſciri & cognoſci, perſpicere valeat. Scitè autem* corporis ſenſus *dicit ab Animæ Rationalis perſpicacitate eorum captum diſtinguens; non enim nobilitas ea ſenſuum, ut apud quos omnia ſint incerta, vix ipſi idonei inſtrumenta eſſe ad res vitæ communi objectas.* Eleganter quoque Auguſtinum audivimus *ſenſus corporis* appellantem, ut ſtuporem & omnem veræ cognitionis defectum ineſſe eiſdem indicaret, uti & ob eandem cauſam Claudianus Mamertus *Senſus Elementares* nuncupat. Sed nec illud ſilentio prætereundum eſt, ſed omni obſervatione dignum, quod Cl. Barthius ad veritatem rerum perſpiciendam prorſus ineptos eſſe affirmet ſenſus & vix idoneos ut ſint inſtrumenta ad res vitæ communi objectas. Sed de hâc re poſteà, Deo volente, ex profeſſo.

In Conſulat. Probini & Olybrii.

Quinimò de incertitudine sensuum adeò plena sunt omnia, ut ipsi sensuum patroni & Peripateticæ Philosophiæ addictissimi eandem vel inviti agnoverint. E Stoicis Seneca, qui pro sensuum in veritate rerum indagandâ necessitate sæpè militat, inter cætera inquit: *Erit vera ratio sensibus insita, & capiens inde principia. nec enim habet aliud unde conetur, aut unde ad verum impetum capiat, & in se revertatur.* Et rursus: *Acies nostra aperit sibi investigando viam, & fundamenta veri jacit.* Experientiâ tamen & veritate convictus multorum errorum causas esse sensus rotundo ore proclamat: *Non longè à terrâ fit talis effigies* (Halo): *quam visus noster solitâ imbecillitate deceptus, circa ipsum sidus putat positum.* Imò & aliquos, quos nos anteà enumeravimus, nonnullosque alios à visu provenientes errores recenset: *Nihil*, inquit, *acie nostrâ fallacius, non tantum in his à quibus subtiliter pervidendis illam colorum diversitas summovet, sed & in his quoque quæ ad manum cernit. Remus integer in tenui aquâ fracti speciem reddit. Poma per vitrum aspicientibus multò maiora sunt. Columnarum intervalla porticus longiores jungunt. Ad ipsum solem revertere: hunc quem toto orbe terrarum maiorem probat ratio, acies nostra sic contraxit, ut sapientes viri pedalem esse contenderint. Quem velocissimum omnium esse scimus, nemo nostrum videt moveri: nec ire crederemus, nisi appareret isse. Mundum ipsum præcipiti velocitate labentem, & ortus occasusque intra momentum temporis revolventem, nemo nostrum sentit procedere.* Sed Epicureus ipse Lucretius dum sensuum certitudini patrocinari studet, prodit sensus eorumque fallaciam manifestè detegit: Audiamus enim, licet aliquanto prolixius, canentem; hoc enim sensuum antesignano se ipsum suis ratiociniis jugulante, omnis suspecta erit meritò omnibus sensuum fides, ità

De Vitâ Beatâ Cap. VIII.

De Otio Sapientis Cap. XXXII.

Natural. Quæst. Lib. I. cap. 2.

Cap. III. l. cit.

Lib. IV.

Nec possunt oculi naturam noscere rerum:
Proinde animi vitium hoc oculis affingere noli.
Quâ vehimur navi, fertur, cum stare videtur:
Quæ manet in statione, ea præter creditur ire:

Et

Et fugere ad puppim colles campique videntur:
Quos agimus prater navim, velisque volamus.
Sydera cessare atheriis affixa cavernis
Cuncta videntur: & assiduo sunt omnia motu:
Quandoquidem longos obitus exorta revisunt:
Cum permensa suo sunt calum corpore claro.
Solque pari ratione manere, & luna videtur
In statione: ea qua ferri res indicat ipsa.
Extantesque procul medio de gurgite montes,
Classibus inter quos liber patet exitus: iidem
Apparent: & longè divulsi licet; ingens
Insula conjunctis tamen ex his una videtur.
Atria versari; & circumcursare columna
Usque adeò fit uti pueris videantur: ubi ipsi
Desierint verti: vix ut jam credere possint,
Non supra sese ruere omnia tecta minari.
Jamque rubrum tremulu jubar ignibus erigere altè
Cum cœptat natura: supraque extollere monteis:
Quos tibi tum supra sol monteis esse videtur,
Cominus ipse suo contingens fervidus igni:
Vix absunt nobis missus bis mille sagitta:
Vix etiam cursus quingentos sape veruti.
Inter eos solemque jacent immania ponti
Æquora, substrata atheriis ingentibus oris:
Interiectaque sunt terrarum millia multa:
Qua varia retinent gentes, & secla ferarum.
At conjectus aqua digitum non altior unum
Qui lapides interstitit per strata viarum:
Despectum prabet sub terras impete tanto:
A terris quantum cali patet altus hiatus:
Nubila despicere, & calum videare videre,
Corpora mirando sub terras abdita calo:
Denique, ubi medio nobis equus acer adhasit
Flumine: & in rapidas amnis despeximus undas:
Stantis equi corpus transversum ferre videtur
Vis: & in adversum flumen contrudere raptim.

Et quocunque oculos trajecimus: omnia ferri,
Et fluere assimili nobis ratione videntur.
Porticus aquali quamvis est denique ductu;
Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis:
Longa tamen parte ab summâ cum tota videtur:
Paulatim trahit angusti fastigia coni,
Tecta solo jungens, atque omnia dextera lævis:
Donec in obscurum coni conduxit acumen.
In pelago nautis ex undis ortus, in undis
Sol fit uti videatur obire, & condere lumen:
Quippe ubi nil aliud nisi aquam, cælumque tuentur.
Ne leviter credas labefactari undique sensus.
At maris ignaris, in portu clauda videntur
Navigia aplustris fractis, obnitier undis.
Nam quacunque supra rorem salis edita pars est
Remorum, recta est: & recta supernè gubernacla,
Qua demersa liquore obeunt, refracta videntur
Omnia converti: sursumque supina reverti.
Et reflexa propè in summo fluitare liquore
Raraque per cælum cum venti nubila portant
Tempore nocturno: tum splendida signa videntur
Labier adversum nimbos; atque ire supernè
Longè aliam in partem, quàm quò ratione feruntur.
At si fortè oculo manus uni subdita subter
Pressit eum: quodam sensu fit, uti videantur
Omnia, qua tuimur, fieri tum bina tuendo:
Bina lucernarum flagrantia lumina flammis:
Binaque per totas ædeis geminare supellex:
Et duplices hominum facies, & corpora bina.
Denique cum suavi devinxit membra sopore
Somnus; & in summâ corpus jacet omne quiete;
Tum vigilare tamen nobis, & membra movere
Nostra videmur; & in noctis caligine cacâ
Cernere censemus solem, lumenque diurnum:
Conclusoque loco, cælum, mare, flumina, monteis,
Mutare: & campos pedibus transire videmur:

Et

Et sonitus audire: severa silentia noctis
Undique cum constent: & reddere dicta tacenteis.

Rectè adhæc verba notavit Nardius: *Longa, ne dicam tædiosâ, atque superfluâ excursione intentum, puta sensuum certitudinem probare nititur, in medium adductis exemplis variis, quæ fidem sensibus derogent potius, quam concilient. Vacillat proinde ex Auctoris incuriâ sensuum dignitas: quin adimitur illorum certitudo, si quæ de oculo inter sensoria præstantissimo, nunc dicuntur à Lucretio, attentius observaveris.* Audimus itaque hic Peripateticæ Philosophiæ non infimum sectatorem disertè profitentem, quod sensuum certitudo non tantum vacillet, sed prorsus sublata sit per hæc exempla à Lucretio allata. Et quanquam culpam erroris in animum rejicit Lucretius, quam insulsè & ridiculè id fiat, suprà à nobis dictum. Sed siquis necdum acquiescat, adjungamus insuper & alium Aristoteleæ Philosophiæ summum fautorem & asseclam, Franciscum de Raconis, qui quinque enumerat modos, quibus sensus errare asserit. Tres recitantur in propositione primâ. *Etenim*, inquit, *primò in genericâ ratione decipitur visus, cum indicem horologii quiescere judicat, cum tamen moveatur, sic enim unum genus sensibilis communis pro altero accipit, nempe quietem pro motu: peccat etiam in ratione specificâ, quando ingentem solis magnitudinem tanquam parvam & pedalem tantum dijudicat.* Et in secunda propositione. *Fallitur*, inquit, *sensus circa sensibile proprium, in ejus applicatione ad locum & subjectum: nam visus nonnunquam colorem rubrum in vitro existentem dijudicat esse in pariete, quod est falli in applicatione objecti ad locum & subjectum.* Et in tertiâ propositione: *Fallitur*, inquit, *quoque sensus circa objectum proprium in ratione specificâ objecti. Siquidem visus sæpe (verbi gratiâ) unam speciem coloris pro altera apprehendit, rubrum pro viridi, vel flavo; item gustus judicat dulcia esse amara, ut cernitur in ægrotantibus: idemque pluribus aliis exemplis potest demonstrari.* Unicus tantum modus in propositione quartâ recitatur, quo sensus non fallere ait: *Sensus*, in-

Philos. part. 3. Disp. 3. de Anima Sensit. membr. 3. art. 2.

inquit, *nunquam fallitur circa ſuum objectum, ſpectatum ſecundum rationem genericam objecti*, id eſt (ut idem explicat in ſequentibus) *Viſus ſonum, auditus colorem percipere nequit.* Quinque ergò modis fatente hoc ipſo Peripatetico fallit ſenſus, unico ſaltem modo infallibilis eſt, quæ tamen infallibilitas eſt penè ridicula; eſt enim idem ac ſi dicas ignem eſſe infallibilem, ſive non poſſe errare, quia nunquam urit, niſi materiam uſtilem. Cum itaque à tot tantiſque judicibus, tam numeroſis & ponderoſis ſuffragiis, non tantum eorum, qui partium ſtudio nullo dicuntur; ſed & ab ipſis fautoribus erroris & fallaciæ condemnantur; ſummæ profectò temeritatis eſt, ne quid gravius dicam, teſtibus adeò infidelibus & fallacibus magiſtris, qui tam ſæpè decipiunt, fidem adhibere. Meritò igitur pergit Philoſophus:

Prudentiæ eſt, nunquam illis planè confidere, qui nos vel ſemel deceperunt] Audivimus in anteceſſum ipſum Epicurum hanc prudentiæ regulam totidem pene verbis exprimentem: *Si unus ſenſus* SEMEL *in totâ vitâ mentitus ſit, nulli unquam eſſe credendum.* Et Romanæ Eloquentiæ & Philoſophiæ princeps Tullius prorſus aſtipulatur Philoſopho noſtro, inquiens: *Neque nos contra ſenſus aliter dicimus ac Stoici, qui multa falſa eſſe dicunt, longéque aliter ſe habere, ac ſenſibus videantur. Hoc autem ſi ità ſit, ut unum modò ſenſibus falſum videatur; præſto eſt qui neget rem ullam percipi poſſe ſenſibus.* Ex quo Ciceronis loco patet Stoicos ità pro ſenſuum certitudine militare, ut revera eandem potius labefactent & evertant, uti è Senecâ ſuprà ὀφθαλμῳρῶς oſtendimus. Et profectò ſi unum falſum admittitur perit certa fides reliquorum, quià quâ ratione erratum eſt à veritate unius, pari ratione poteſt error committi in alio. Jam autem ſenſus non ſemel, non aliquando; ſed ſæpiſſimè errant, anne horum igitur ſuffragio verum dijudicabimus? Abſit. *Summa enim amentia eſt in eorum fide*, inquit Tullius, *ſpem habere, quorum perfidiâ toties deceptus ſis. Nam primò quidem decipi incommodum eſt: iterum ſtul-*

Acad. IV.

De Invent. *Lib.* I.

ſtultum: tertium turpe. Cæterum repræſentemus integrum Ciceronis locum, ut ex eo dilucidè appareat; quam appoſitè & verè Philoſophus aſſerat, *Prudentiæ regulam eſſe eis non aſſentiri, qui nos vel ſemel deceperunt*; ut quam invictâ ratione, ex eo quod ſenſus ſæpius nos fallant, eis prorſus omnem fidem eſſe denegandam concluſerimus, hoc argumento enim apud judices Romanos Carthaginienſibus fidem non eſſe adhibendam evincit: *Qui ſæpenumerò nos per fidem fefellerunt*, inquit, *eorum orationi fidem habere non debemus. Siquid enim perfidiâ illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, præter nosmetipſos, quem jure accuſare poſſimus. Ac primum quidem decipi incommodum eſt: iterum ſtultum: tertium turpe. Carthaginienſes autem perſæpè jam nos fefellerunt. Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidiâ toties ſis deceptus.* Poſt commiſſos autem errores in ſeipſum culpam conjicere, ſeipſum accuſare quid proderit? niſi propriæ ſtultitiæ, & detrimenti exinde percepti ignominiâ confundi, damnum autem nunquam reſarcire. Ut itaque omninò cauti & prudentes ſimus, evitemus errores, antequam in illos inciderimus, alieno docti exemplo: *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.* Imitemur prudentiam vulpeculæ, quæ in fabulâ eſt, & cum Horatio ex eâ errata effugiamus; ità enim Venuſinus:

Quod ſi me populus Romanus forte roget; cur *Lib.* I. *Epiſt.*
Non ut porticibus, ſic judiciis fruar iiſdem.
Nec ſequar aut fugiam, quæ diligit ipſe vel odit?
Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Reſpondit referam: quia me veſtigia terrent,
Omnia te adverſum ſpectantia nulla retrorſum.

Imitemur, inquam, hæc exempla, & cum poëtâ, quantum neceſſitas & ratio exigunt, cum vulgo quidem converſemur, ſed ſtolida ipſorum judicia non ſequamur, neque à falſis cognoſcendi principiis, uti ſunt ſenſus, ſcientiæ originem arceſſamus, ne in ineluctabilem errorum abyſſum præcipites ruamus. Et quià tamen fieri nequit, ut omnes

& ſingulas à ſenſibus deductas opiniones in perpetuum abdicemus; ſed quædam judicia ex iis facta admittenda à nobis ſint; quid agendum reſtat, niſi ut primò detracta omni ſenſibus fide omnem illis aſſenſionem denegemus, & opiniones ac judicia juxta eoſdem formata ut falſa & imaginaria rejiciamus, donec examine accurato inſtituto per rationem certam cognoverimus, quænam ex iis opinionibus & judiciis vera vel falſa ſint, ut ita vera tandem admittamus & amplectamur, & ex iis ſolidam ſcientiam nanciſcamur.

Sed forte quamvis interdum ſenſus circa minuta quædam &c.] Cæterum adverſus illa, quibus ſenſus incertitudinis convicimus, argumenta, & ſua Peripatetici aliique ſenſuum Patroni in contrarium afferunt ratiocinia. Illi enim non adeò imbelles neque ad pugnam imparati, ut non & ſua arma expedita & in procinctu habeant, quibus ſuas partes acriter defendant, alioſque à ſe diſſentientes aggrediantur, quippe in ἐριστικῇ illâ palæſtrâ jam à teneris exercitati impetentium ictus declinare docti ſunt: Excipiunt itaque contra ea exempla à nobis allata, nos errores ſenſuum circa objecta vilia & remota tantummodò evincere; ſed circa res majoris momenti & nobis propinquas & proximas eandem ſenſuum incertitudinem non ità facilè poſſe oſtendi; ſed circa eas ſenſuum dictamina ſatis eſſe veracia & ſine ullâ dubitatione admittenda. Ut ex. gr. Nonne, inquiunt, ſatis manifeſtè & veraciter indicant ſenſus, me heic loci præſentem eſſe, foco aſſidere, calorem perſentiſcere, lænâ indutum eſſe, literas has pingere, chartam manu contrectare & ſimilia. Quinimò ſi & illa, quæ adeò clarè ſenſus docent & dictant, de rebus nobis propinquis, forte ab aliquo in dubium revocarentur, ab aliquo etiam negarentur. Anne ſanè quiſpiam ſe ipſum habere corpus, caput, collum, humeros, brachia, manus, lumbos, ventrem, crura, pedes & reliqua membra res ſibi proximas inficias ire auſus fuerit vel etiam potuerit? Nemò ſanè: niſi qui in profundiſſimam μελαγχολίαν aut φρένιτιν delapſus fuerit; qui res ſen-

ſenſibus perceptas, etiam veriſſimas, quales ſunt modò recenſitæ, & ſimiles negare ſuſtinent, & contra res abſurdiſſimas & falſiſſimas aſſeverant, ut ſe eſſe reges, cum ſunt pauperrimi, vel purpurâ indutos cum ſunt nudi, vel caput habere fictile, vel ſe totos eſſe cucurbitas, vel ex vitro conflatos. Plena enim de hujuſmodi melancholicorum & phreneticorum deliriis medicorum, hiſtoricorum & Philoſophorum monumenta. Hiſpani cujuſdam ſervi mentionem facit *Johan. Huartus*, qui ſe Regem arbitratus prudentiſſimos de regimine faciebat diſcurſus. Nonnulli ex vitro ſibi conflatas eſſe nates; alii ſe capite carere putabant. Animam ſe putabat quidam, granum milii alter: rurſus alius tam vaſtum imaginabatur ſibi ſe habere naſum, ut nullæ portæ ſibi perviæ eſſent, referente *Lemnio*. Burgundus quidàm Lutetiæ ad ædem S. Juliani mortuum ſe affirmabat: Mox Medicos, ne amplius animæ, quo minus evolaret è purgatorio ad cælum, impedimento eſſent, rogabat: Mox moribundos imitabatur. Mulier apud *Trallianum* medium manus ſuæ digitum conſtringebat; ac ſi in ipſo totum geſtaret orbem: plorabat eadem vereri ſe dicens, ne, ſi inflecteretur, tota mundi interiret machina. Quidam apud *Montanum* exiſtimabat totam mundi ſuperficiem ex ſubtiliſſimo eſſe vitro, ſubtus ſerpentes latere, ſe in lecto tanquam in inſulâ morari, unde ſi egrederetur, facile in ſerpentes vitro fracto incidere poſſet. Sed longum nimis foret melancholiâ laborantium mira recenſere phantaſmata; abſit autem à ſanæ mentis Philoſopho, ut dementium horum deliria imitetur, ut veriſſima negans, abſurdiſſima & falſiſſima affirmet & conſtanter aſſeveret, niſi & ipſe, horum exempla imitans, jure demens dici velit. Hæc autem patrocinantium ſenſibus ratiocinia, à nobis paulò fuſius deducta, ex ſuâ perſonâ, utpote quià nihil hactenus exiſtere ordine philoſophandi cognovit, meditabundus hunç in modum proponit Philoſophus: *Sed forte quamvis ſenſus interdum circa minuta quædam & remotiora nos fallant, pleraque tamen alia ſunt de quibus dubitari planè non poteſt, quamvis*

In ſcrutin. Ingeniorum.

Lib. 2. de Complex cap. 6.

Scholiogr. ad cap. 17. L. 1. Holler. de morb. internis.

Conſil. 25.

vis ab iisdem hauriantur: ut jam me hic esse, foco assidere, hyemali togâ esse indutum, chartam istam manibus contrectare, & similia: manus verò has ipsas, totumque hoc corpus meum esse, quâ ratione posset negari? nisi me forte comparem nescio quibus insanis, quorum cerebella tam contumax vapor ex atra bile labefactat, ut constanter asseverent vel se esse reges cum sunt pauperrimi, vel purpurâ indutos cum sunt nudi, vel caput habere fictile, vel se totos esse cucurbitas, vel ex vitro conflatos; sed amentes sunt isti, nec minus ipse demens viderer, siquod ab iis exemplum ad me transferrem. Observa autem *insanos* appellari *melancholicos*, quot enim perturbationum mentis species, totidem quoque insaniæ; sed addit *nescio quos insanos*, quia quâ insaniæ specie laborent melancholici nondum inquirit, necdum enim constat an ullæ res & proinde quoque an melancholici, quos saltem imaginatione sibi repræsentat, revera existant, eosdem tamen ut sibi præsentes sistit & à causâ morbi & insaniæ, quâ agitantur describit; quod sint tales, quorum cerebella contumax vapor ex atrâ bile labefactat. Contumacem autem vaporem dum causam facit melancholiæ, eundem morbum ab iracundiâ aliisque affectibus, qui atræ bili quoque originem debent, distinguit. Aptissimis autem vocibus insanos, amentes & dementes nuncupat melancholicos; nam & ipsa melancholia ab Hippocrate μανία audit. Et erudite ad mentem Soicorum aliorumque Philosophorum explicat Tullius, cur morbi perturbationesque mentis *insaniæ* nomine veniant. *Quià nomen insaniæ significat mentis ægrotationem & morbum id est insanitatem & ægritudinem, quam appellârunt insaniam. Omnes autem perturbationes animi, morbos Philosophi appellant: negantque, stultum quenquam his morbis vacare: qui autem in morbo sunt, sani non sunt; & omnium insipientium animi in morbo insunt; omnes igitur insipientes insaniunt. Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quâdam constantiâque censebant. His rebus mentem vacuam appellârunt insanam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non potest. Nec minus*

Tuscul. III.

nus illud acutè, quod animi affectionem, lumine mentis carentem, nominaverunt amentiam, eandemque dementiam. ex quo intelligendum est, eos, qui rebus nomina imposuerunt, sensisse hoc idem, quod à Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnes insipientes esse non sanos. Qui enim animus est in aliquo morbo (morbos autem hos perturbatos motus, ut modo dixi, Philosophi appellant) non magis est sanus, quam id corpus, quod in morbo est. Ita fit, ut sapientia sanitas sit animi: insipientia autem quasi insanitas quædam quæ est insania, eademque dementia. Quoniam autem hic sumus, ut de melancholiâ breviter quædam perstringat nostra oratio, libet adjicere Aristotelis de atræ bilis viribus & efficaciâ sententiam. Asserit ille naturæ cujuslibet hominis atram bilem se ilicò immiscere; eandemque pro ratione temperiei, quam offendit, & quæ vel calida vel frigida est, calidissimam vel frigidissimam fieri: si autem atra bilis quæ naturâ penitus & non leviter tantum frigida est modum excedat in corpore, efficit stuporem, aut pusillanimitatem, aut formidinem. Sed si contra at a bilis incalescat, animi hilaritatem cum cantilenis conjunctam parit, & mentis alienationem & fervidas ulcerum eruptiones, & cætera ejusmodi. In plerisque verò hominibus è victu quotidiano proveniens, eosdem quoad indolem & mores nihil immutat, sed tantum morbum quendam melancholicum producit. Sed quorum naturæ tale temperamentum inest, hi ilicò quoad mores omnibus modis mutantur, alius secundum aliam temperiem. ex. gr. Quibuscunque multa & frigida bilis atra inest, ignavi sunt & stolidi: quibus contrà plurima eaque fervida inest, iræ obnoxii, & generosi, & ad amorem proclives, & proni ad excandescentiam & cupiditates sunt: quidam autem loquacissimi quoque: multi etiam, quoniam calor ille prope adest mentis sedi, vesaniâ vel furore lymphatico corripiuntur; unde Sibyllæ & Bacchæ, & omnes qui instinctu Divino loquuntur; quum scilicet tales non morbo, sed naturali temperie fiunt. Maracus sanè Syracusanus præstantior erat poëta, quum mente alienare-

tur. Quibuscunque autem efferbuerit intensus calor circa medium, hi quidem melancholici sunt, sed prudentiores; & minus quidem insolenter agunt, ad multa tamen aliis præstantiores & aptiores sunt, alii ad studia literarum, alii ad artes, alii ad Remp. gerendam; insuper & magnum hic habitus ad subeunda pericula parit discrimen, ut prorsus dissimiles quoad metum sint multi homines &c. Cæterum ipsum Aristotelem propriâ suâ linguâ loquentem audiamus, ex quâ non mentem saltem illius fideliter eruimus, sed quam verbotenus penè expressimus; ex Interpretis enim translatione vitiosâ, ne Oedipus quidem Philosophi illius mentem assequeretur; hæc sunt verba: "Οἷς ἐν τῇ φύσει εὐθὺς τοιοῦτος χυμὸς ὁ μελαγχολικὸς κεράννυται. θερμοῦ δὲ καὶ ψυχροῦ κρᾶσις ἐστίν. ἐκ τούτων γὰρ τῶν δυοῖν ἡ φύσις συνέστηκε. διὸ καὶ ἡ μέλαινα καὶ θερμότατον καὶ ψυχρότατον γίνεται. καὶ ἡ χολὴ δὲ φύσει ψυχρὰ ἡ μέλαινα, καὶ οὐκ ἐπιπόλαιος οὖσα, ἐὰν ὑπερβάλλει ἐν τῷ σώματι, ἀποπληξίαν, ἢ νάρκας, ἢ ἀθυμίας ποιεῖ, ἢ φόβους. Ἐὰν δὲ ὑπερθερμανθῇ τὰς μετ᾽ ᾠδῆς εὐθυμίας, καὶ ἐκστάσεις καὶ ἐκζέσεις ἑλκῶν, καὶ ἄλλα τοιαῦτα. τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς ἀπὸ τῆς καθ᾽ ἡμέραν τροφῆς ἐγγινομένη; οὐδὲν τὸ ἦθος ποιεῖ διαφόρους, ἀλλὰ μόνον νόσημά τι μελαγχολικὸν ἀπειργάσατο. ὅσοις δὲ ἐν τῇ φύσει κρᾶσις συνέστη τοιαύτη, εὐθὺς οὗτοι τὰ ἤθη γίνονται παντοδαποί, ἄλλος κατ᾽ ἄλλην κρᾶσιν. οἷον, ὅσοις μὲν πολλὴ καὶ ψυχρὰ ἐνυπάρχει νωθροὶ καὶ μωροί. ὅσοις δὲ λίαν πολλὴ καὶ θερμή, μανικοὶ καὶ εὐφυεῖς, καὶ ἐρωτικοί, καὶ εὐκίνητοι πρὸς τοὺς θυμοὺς καὶ τὰς ἐπιθυμίας. ἔνιοι δὲ καὶ λάλοι μᾶλλον. πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην, νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς, ἢ ἐνθυσιαστικοῖς ὅθεν σίβυλλαι καὶ βάκιδες, καὶ οἱ ἔνθεοι γίνονται πάντες, ὅταν μὴ νοσήματι γίνονται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει. Μαρακὸς δὲ ὁ Συρακούσιος καὶ ἀμείνων ἦν ποιητής, ὅτ᾽ ἐκσταίη. ὅσοις δ᾽ ἂν ἐπανθῇ τὴν ἄγαν θερμότητα πρὸς τὸ μέσον, οὗτοι μελαγχολικοὶ μὲν εἰσί, φρονιμώτεροι δέ, καὶ ἧττον μὲν ἐκτόποι, πρὸς πολλὰ δὲ διαφέροντες τῶν ἄλλων, οἱ μὲν, πρὸς παιδείαν· οἱ δὲ πρὸς τέχνας· οἱ δέ, πρὸς πολιτείαν. πολλὴν δὲ καὶ πρὸς τοὺς κινδύνους ποιεῖ διαφορὰν ἡ τοιαύτη ἕξις, τῷ ἐνίοτε ἀνωμάλους εἶναι μὲν τοῖς φόβοις πολλοὺς τῶν ἀνδρῶν. Omnem itaque in-

Probl. Sect. 30. q. 1.

ingenii acrimoniam & ſtupiditatem, omnes bonos maloſve mores, omnes virtutes & vitia, ſcelera & præclara facinora, ſcientias & artes, prudentiam politicam & militarem, ſapientiam & inſipientiam, ſanitatem & morbos temperamento humani corporis & exiguæ in eodem peccantis humoris portiunculæ, atræ, inquam, bili alligat, quorum tantas vires tantamque efficaciam eſſe aſſerit, ut univerſum vitæ humanæ regimen ab eis dependeat. Ad quæſtionem enim hanc in principio hujus Problematis propoſitam; *Cur homines qui ingenio claruerunt, vel in ſtudiis Philoſophiæ, vel in Republicâ adminiſtrandâ, vel in carminibus pángendis, vel in artibus exercendis melancholicos fuiſſe videamus?* reſpondit inter cætera, illa quæ adduximus. Adeò mordicus enim, rebus ſenſibilibus & mediis naturalibus effingendis defixus inhæret, ut nuſpiam ad providentiam Divinam oculos attollat; imò ut eouſque impietatis heic loci deveniat, ut non ſaltem geniorum malorum in hominibus operationes, ſed etiam oracula omnia & vaticinia Divina à Sanctis Dei hominibus inſtinctu Sp. Sancti prolata, corrupto temperamento & fædæ atræ bilis materiæ in corpore humano effervеſcenti attribuere non vereatur, Deum nullatenus agnoſcens, naturæ autem, quæ ipſi loco Dei eſt, omnia aſcribens, atque ita Dei potentiam & providentiam & cognitionem, quantum poteſt, opprimens. Hinc verè de eo magnus Calvinus: *Videmus quoſdam ex ſummis Philoſophis adeò fuiſſe malignos, ut nullâ in re magis laboraverint, quam in ſepeliendâ Dei providentiâ, vel ſaltem in excudendis mediis cauſis, quibus ſe & alios neglecto Deo affigerent. Ariſtoteles tam ingenio quam doctrinâ maximè excelluit, ut tamen profanus homo erat, pravique animi, ſemper hoc habuit propoſitum, ut Dei providentiam involveret multis vagis ſpeculationibus: imò quidquid perſpicaciæ in eum Deus contulerat, ſacrilegus ille nebulo ad extinguendam omnem lucem applicuit.* Stolidam autem hanc Ariſtotelis opinionem ipſe riſit & exploſit Tullius: *Ariſtoteles quidem*, ait, *eos etiam, qui valetudinis vitio furerent,* &

In Pſ. 137. 43.

& melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animis præsagiens atque divinum. Ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis; animi enim integri, non vitiosi corporis est divinatio.

De Divinat. Lib. 1.

Causas verò actionum & imaginationum, quibus Phrenetici & Melancholici sunt obnoxii ex fundamentis Philosophiæ Cartesianæ hunc in modum exponit Forgéus: *Quantum*, inquit, *ad verba & actiones phreneticorum extravagantes, illa tantum mihi videntur tales apparere, propterea quod ignoramus id, quod eo tempore in cerebro ipsorum accidit, nobisque persuademus, eos agere, & loqui debere conformiter iis, quæ ipsis dicimus: quod ipsis impossibile est, aut quia nos non intelligunt, cum imaginationem ab alia specie nimis occupatam habeant, quam ut nostrorum verborum species recipere possint; aut, quia, si nos intelligunt, perturbatio, quæ in ipsorum spiritibus animalibus est, non sinit impressionem verborum nostrorum diutius quam uno momento super glandulâ manere, primâ autem specie, quæ eam occupabat, redeunte simul ac loqui cessamus, respondere nequeunt convenienter ad illa, quæ dicta sunt, quia ea non amplius percipiunt; verum tantum convenienter isti ideæ, quæ tum menti eorum præsens est. Credo hujus generis homines non esse phreneticos, nisi quia motus glandulæ ipsorum animæ non subjicitur, sive propter violentiam & inæqualitatem cursus spirituum, qui sine modo, ac mensurâ eam exagitant, & infinitas species super eâ excitant, quæ non nisi ad momentum durant, sive etiam quia cursus ille pertinaciter eam applicat quibusdam vestigiis memoriæ, & semper eandem speciem excitat, à quâ anima sese expedire nequit. In utroque casu dicere possumus miseram eam animam judicare secundum id, quod ideæ, quæ istis speciebus junctæ sunt ipsi repræsentant, eamque agere secundum id, quod judicat, neque eam se ipsam hac in re posse cohibere; non enim abstinere potest à judicando, & agendo conformiter ei, quod ipsi videtur, quando nullam dubitandi rationem videt; nullamque in eo statu habere potest rationem, cum non sit tum temporis magistra suarum cogitationum, verum ad species corporeas attendere cogatur.*

De Mente Human. cap. 18.

Maxi-

Maximus autem imaginationis error est, quando nos ipsos imaginamur esse aliud quid, quam sumus: in hac specie non nisi quasi excessus quidam est tertiæ speciei, si enim per aliquam pertinacem dispositionem spirituum & memoriæ glandula forte vertatur ad eam partem cerebri, ubi pori inveniuntur, per quorum aperturam forte species galli gallinacei, exempli gratia, reduci potest, quin etiam ab ipso momento formatur, anima se ipsam tandem considerabit tanquam unitam non speciei galli (species enim se ipsas non repræsentant,) sed ipsi gallo gallinaceo, & tanquam unum totum cum ipso constituentem, eodem plane modo, quo unita est cum suo corpore, & cum ipso non nisi unum totum constituit ac proinde voluntas quantum potest, fertur ad imitandum cantum, reliquasque omnes galli gallinacei actiones. Quod verò hac in re maximâ admiratione dignum occurrit, est, quod miseri isti aliquando admodum bene sapiant in aliis rebus, præterquam in iis, quæ ad objectum amentiæ eorum pertinent; quando autem id accidit, & justo modo ratiocinantur, dicere possumus cursum spirituum, qui antea secum trahebat glandulam, tum temporis in cerebro cessasse, & quando nihil ipsis dicitur, quod denuo possit eum excitare, ipsos esse debere admodum sapientes, donec ipsorum paroxysmus, & accessio, quemadmodum in febribus fieri solet, redeat. Cæterum longius nos abduxit veritatis amor, redeamus in viam, & quid ad exceptiones eorum, qui pro sensuum certitudine militant, reponat Philosophus videamus. Respondet autem:

Præclarè sanè tanquam non sim homo, qui soleam noctu dormire, & eadem omnia in somnis pati, vel etiam interdum minus verisimilia, quam quæ isti vigilantes: quam frequenter verò usitata ista, me hic esse, togâ vestiri, foco assidere quies nocturna persuadet? cum tamen positis vestibus jaceo inter strata. Vidimus sensuum patronos obliquâ quâdam concessione eorundem errores circa res quasdam minutas & remotas concessisse, eos tamen acriter contendere circa res propinquas & proximas eosdem satis esse certos & veraces, ut nos heic esse, foco assidere, nos habere cor-

pus, manus & similia. Eum autem qui hæc aut in dubium revocare vel negare ausit ad incommodum conantur deducere, ostendendo ad quam absurda, qui fidem sensibus derogat, eosque erroribus esse obnoxios statuit, necessariò prolapsurus sit, nempe ut insanorum & melancholicorum instar res verissimas & certissimas neget, & falsissimas pertinaciter affirmet, quod maximè ineptum esse nemo, nisi quis ipse, non minus quam illi amentes, demens esse velit, inficias ire potest. Cæterum his objectionibus nihil movetur Philosophus, sed contra ridet, *præclare sanè*, inquit; & novâ exceptione ostendit sensuum eam nequaquam esse infallibilitatem, ut res certitudine metaphysicâ id est tali quæ in dubium nullatenus trahi potest revera & actu existere probent; posse enim per somnum occurrere homini non tantum res illas à sensuum vindicibus recensitas, sed etiam longè magis insolentes, & ipsis melancholicorum phantasmatis, quæ illi vigilantes vident, minus verosimiles; sæpissimè verò res illas usitatas, ut se vestibus esse indutum, foco assidere, mox per musæum ambulare, & reliqua ejusmodi, quis per somnum ipse non est expertus, quum tamen nudus lecto decumberet. Et quandoquidem ipsi sensuum patroni distinguere nequeunt somnium à vigiliâ, an dormientes igitur an vigilantes res supra enumeratas videant ignorant, nec plane certi esse possunt, quamvis sibi certissimi videantur, an res illæ revera existant. Objectorum enim, circa quæ de die homo versatur, & negotiorum agendorum, quæcunque proponit, imagines per somnum recurrere nemo ignorat. Audiamus tamen aliquos non minus eruditè, quam venustè hæc edisserentes: Agmen eorum ducat magnus naturæ Apollo Hippocrates: *Τὸ μὲν γὰρ σῶμα καθεῦδον οὐκ αἰσθάνεται, ἡ δὲ (ψυχὴ) ἐγρηγοροῦσα γινώσκει, καθορᾷ τε τὰ ἀόρατα, καὶ διακούει τὰ ἀκουστὰ, βαδίζει, ψαύει, λυπεῖται, ἐνθυμέεται, ἐν ὀλίγῳ, ὁκόσαι τοῦ σώματος ὑπηρεσίαι, ἢ τῆς ψυχῆς, ταῦτα πᾶσα ἡ ψυχὴ ἐν τῷ ὕπνῳ διαπρήσσεται.* Succedat Nonnus:

Ἀν-

Ἀντιπάτρου γὰρ

Ἔργον, ὅπερ τελέει τις ἐν ἤματι, νύκτι δοκεύει. Lib. XLII
Βουκόλος ὑπνώων κεραοὺς βόας εἰς νόμον ἕλκει,
Δίκτυα θηρητῆρι φαείνεται ὄψις ὀνείρου.
Γειοπόνοι δ' ᾄδοντες ἀροτρεύουσιν ἀρούρας.
Αὔλακα γὰρ σπείρουσι φερέσταχυν· ἀλαζει γὰρ
Ἄνδρα μεσημβρίζοντα κατάσχετον αἴθοπι δίψῃ
Εἰς ῥόον, εἰς ἀμάρην ἀπατήλιος ὕπνος ἐλαύνει.

Adjungat ſe ſocium Lucretius, Romanus Græcis:

Et quo quiſque ferè ſtudio defunctus adhæret: *Lib.* IV.
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati:
Atque in quâ ratione fuit contenta magis mens:
In ſomnis eadem plerumque videmur obire,
Cauſidici cauſas agere; & componere leges.
Induperatores pugnare; ac prælia obire.
Nautæ contractum cum ventis degere bellum:
Nos agere hoc autem; & naturam quærere rerum
Semper; & inventam patriis exponere chartis.
Cætera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur
In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere.
Et quicunque dies multis ex ordine ludis
Aſſiduas dederint operas, plerumque videmus,
Cum jam deſtiterint ea ſenſibus uſurpare.

Succinat huic Petronius:

Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deûm, nec ab æthere numina mittunt,
Sed ſibi quiſque facit. Nam cum proſtrata ſopore
Urget membra quies, & mens ſine pondere ludit;
Quicquid luce facit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit & flammis miſerandas ſævit in urbes
Tela videt verſasque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuſo ſanguine campos.
Qui cauſſas orare ſolent, legesque forumque,
Et pavido cernunt incluſum corde tribunal.
Condit avarus opes, defoſſumque invenit aurum.
Venator ſaltus canibus quatit, eripit undis.

Aut premit eversam periturus navita puppim.
Scribit amatori meretrix, dat adultera munus.
Et canis in somno leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

Nec sileat musa Claudiani:

In VI. Consulat. Honor.

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad silvas, & suas lustra redit.
Judicibus lites, auriga somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis:
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus agris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti,
Artibus assuetis sollicitare solet.

Ita histrioniam facit somnus eorum noctu, quæ diu verè fiunt inter homines; & per somnum visa, nec visa simul. Sed non usitata tantum & quotidiana, sed & rariora, imò & minimè verosimilia ac rerum naturæ repugnantia per quietem se imaginationi repræsentant; quis enim & hæc propriâ non edoctus est experientia. Hinc Aristoteles: Οἴονται γὰρ κεραυνοῦσθαι, καὶ βροντᾶσθαι ἐν τοῖς μικρῶν ἤχων ὠσὶ γινομένων· καὶ μέλιτος καὶ γλυκέων χυμῶν ἀπολαύειν, ἀκαριαίως φλέγματος καταῤῥέοντος· καὶ βαδίζειν διὰ πυρὸς, καὶ θερμαίνεσθαι σφόδρα, μικρᾶς θερμοτίας περὶ τινὰ μέρη γιγνομένης. *Arbitrantur enim fulgura cadere ac tonitrua fieri, cum parvi in auribus sonitus fiunt; & se melle & dulcibus saporibus frui, minimâ pituitâ defluente; & incedere per ignem, & admodum incalescere, exiguo calore partes quasdam afficiente.*

De Divinat. per Som. cap. cap. I.

Nec Lucretio hæc intacta:

Loc. cit.

Porrò hominum mentes magnis quæ motibus edunt;
Magna etenim sæpe in somnis faciuntque geruntque:
Reges expugnant; capiuntur; prælia miscent:
Tollunt clamores, quasi si jugulentur ibidem.

Mul-

Multi depugnant, gemitusque doloribus edunt.
Et quasi pantheræ morsu, sævive Leonis
Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
Multi de magnis per somnum rebus loquuntur;
Indicioque sui facti persæpe fuere.
Multi mortem obeunt: multi de montibus altis
Se quasi præcipitant ad terram corpore toto.

Cæterum ἐμφατικῶς dicit Philosophus, *ac si non sim homo, qui soleam noctu dormire.* Cum enim somnus (in cujus naturam ejusque à vigiliâ distinctionem post penitius inquisituri sumus) sit status, in quo sensus quasi ligati & immoti à suis functionibus ferientur, Aristotele id benè observante, dum ait: Ὁ γὰρ ὕπνος πάθος τι τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου ἐστιν, οἷον δεσμὸς καὶ ἀκινησία τις. Quoniam itaque animalia tantum sentiunt, & propriè ac verè tantum homo, hinc maximè propriè homo quoque dormire dicitur; bestiæ autem rarius, homines frequenter insomnia patiuntur. Sunt autem insomnia phantasmata à spiritibus animalibus per somnum in cerebro humano excitata. Excitantur autem sæpius eorundem objectorum & actionum imagines, quibus de die intenti fuimus, quia partes cerebri, quæ de die per objecta & actiones nostras commotæ fuerunt, vestigia earundem rerum impressa adhuc retinent, unde facilius à spiritibus animalibus commoveri possunt, quam aliæ cerebri partes, quæ in quiete remanserant: unde evenit, ut spiritus animales illos cerebri meatus, in quibus vestigia rerum diurnarum impressa reservantur, percurrentes, eosdem quoque propter nuperam imaginationem vel adhuc apertas vel saltem ad aperiendum faciliores offendentes, levi negotio per eorundem meatuum aperturam diurnas imaginationes menti referant, quas vigilando ei impresserant. Et hinc satis patet, cur in sano homine & à noxiis humoribus non perturbato non alia penè insomnia & cogitationes, quam de rebus, quibus per vigiliam operam dederit, obversentur. Si autem spirituum animalium vel cursus fuerit concitatior vel etiam copia solito major à sanguine malè temperato, eidemque cerebri plicas

De somno & Vigil. cap. 1.

cas percurrendo eaſdem fortius, quam in placido ſomno fieri ſolet, commoverint, imaginationes validas & inſolitas de rebus minimè veroſimilibus menti imprimunt; & hæc levi negotio & frequenter contingunt, quià quæ per ſomnum cerebrum afficiunt, fortius illud movent, & raro ſanguinis temperies omninò ſyncera & ſana eſt. Quam levi autem negotio in ſomno imaginatio ſatis efficax in cerebro fiat, apparet, ut ſi pituita in ore abundaverit nobis dormientibus, videmur certos aliquos cibos manducare; ſi pituita palato grata ſit, atque ità lenem in cerebro motum peregerit, cibos ut gratos nobis imaginamur; ſin pituita ſit corrupta ac amara ut ingratos: ſi fervida ſit pituita ut inde fauces areſiant, de ſiti ſomniamus; ſi humor pituitoſus porrò in fauces defluxerit; iſque dulcis fuerit, liquore grato frui videmur; ſi contrà, ingrato. ſi ſpiritus animales ex ferventiori & inflammato ſanguine prodeuntes cerebrum affecerint, nos fulmina videre vel per ignem ambulare quandoque ſomniamus. Ejuſmodi quoque ſpiritus è ſanguine turgido effervescentes varios alios in dormientibus effectus cient, prout enim imaginatio de die varia fuit, ita & operationes, prout imaginatio de nocte varia rurſus reexcitatur ab illis ſpiritibus, variæ ſunt, hinc aliqui è cubili de nocte ſurgunt & operationes diurnas peragunt. Alii etiam majora aggrediuntur & perficiunt, quam de die auſi fuerunt tentare, adeò ut domuum & arborum faſtigia aſcendant, & alia admiranda peragant, quià nempe imaginatio de die altè menti impreſſa per eos ſpiritus è turgido ſanguine effervescentes efficaciſſimè, imò longè fortius, quam de die fuit, recurrit, & proinde facultatem motricem etiam vehementius, quam de die impellit; & dicta opera homines peragere impellit, quæ interdiu ſubire non audent.

Cæterum an homines reperiantur, qui integro vitæ curſu nullis inſomniis afficiantur inter Philoſophos controverſum eſt. Plutarchus de quodam Cleone è Daulia ſuo ævo viventе memorat, eum nunquam ſomniâſſe. Idemque de Medicinæ quodam doctore Londini narrat le Grand, qui, quo-

quoniam familiariter illo utebatur, sæpius ipsi protestatus fuerat, se nunquam per quietem quidquam vidisse. Fieri id posse asserit Aristoteles, licet rarius: Ἤδη δέ τισι συμβέβηκεν, inquit, ὥστε μηδὲν ἐνύπνιον ἑωρακέναι κατὰ τὸν βίον, σπάνιον μὲν τὸ τοιοῦτόν ἐστι, συμβαίνει δ' ὅμως. *Jam verò quibusdam accidit, ut nullum in vitâ somnium viderint, rarum id quidem, contingit tamen.* Et causam suæ assertionis conatur reddere, dum ait: Ὅσοις γὰρ τοῦτον τὸν τρόπον συνέστηκεν ἡ φύσις, ὥστε πολλὴν ἀναφέρεσθαι ἀναθυμίασιν πρὸς τὸν ἄνω τόπον, ἢ πάλιν καταφερομένην ποιεῖν πλῆθος κινήσεως, εὐλόγως τούτοις οὐδὲν φαίνεται φάντασμα. *Quibuscunque enim hoc modo constituta est natura, ut multa ascendat in superiorem locum evaporatio, eademque rursus descendens faciat plurimos motus, rationi consonum est illis nullum apparere insomnium.* Et ob eandem rationem mox à cibo dormientibus & pueris nulla insomnia fieri existimat. Cæterum fallitur in eo quod putet quibusdam per universam vitam nulla evenire insomnia; nam quanquam ipsi illi homines id affirment, in causâ est eorum oblivio, non quod omninò somniorum expertes fuerint. Mens enim nunquam omni cogitatione destituitur, corpore licet sopito, quoniam essentiam suam nunquam amittit. Ratio autem cur homines nocturnarum cogitationum non meminerint hæc est, quod à spiritibus animalibus leviter tantum species cerebro imprimerentur, quæ mox rursus obliteratæ sunt, adeò ut nulla earum memoria remanserit; quod & de die usu venit cum nempe cogitationes nostræ liberius & dissolutius vagantur, omnis ilicò earum memoria evanescit, quamvis tamen revera cogitationes habuerimus.

De Insom. sub finem

Causas autem insomniorum non tantùm, sed & omnium omninò cogitationum, simulachra & reduvias, εἴδωλα καὶ ἀπορροίας, ut loquitur Aristoteles, è corporibus effluentes & per aërem volitantes Democritus facit; cujus delirìa Epicurus ejusque sectator Lucretius amplectuntur. Existimant enim hi reduvias & subtiles imagines ubivis vagari & ferri animosque movere & vigilantium & dormientium. Quoniam autem Democriti nec Epicuri ad manum sunt opera, audiamus Lucretium:

Nunc

Nunc age quæ moveant animum res accipe & unde,
Quæ veniunt, veniant in mentem, percipe paucis.
Principio hoc dico, rerum simulachra vagari
Multa modis multis in cunctas undique partes;
Tenvia quæ facile inter se junguntur in auris,
Obvia cum veniunt, ut aranea, bracteaque auri:
Quippe etenim multò magis hæc sunt tenuia textu:
Quam quæ percipiunt oculos visumque lacessunt.
Corporis hæc quoniam penetrant per rara cientque
Tenuem animi naturam intus, sensumque lacessunt.

Et deinde:

Nec ratione aliâ, cum somnus membra profudit:
Mens animi vigilat; nisi quod simulachra lacessunt
Hæc eadem nostros animos, quæ cum vigilamus:

Simulachra itaque multa variis formis ubivis vagari somniat; quæ prout variis modis, quoniam tenuissima sunt, in aëre coëunt, ita & varias in mente rerum figuras cient; quâ ratione Centauros & Scyllas nobis repræsentant. Junguntur autem inter se, facillimè ut aranearum filamenta & bractearum auri subtilissimæ particulæ, quoniam illa ipsis auri bracteis & aranearum telis longè sunt tenuiora, imò etiam simulachris visum cientibus, quæ tamen sistuntur in oculo. Quantæ autem tenuitatis sint ex eo perspicuum, quod poros corporis ad lubitum transeant, animumque ac sensus moveant. Atque ab his simulachris lacessitur mens non aliter in somno, quoniam & ipsa eo tempore vigilat, quam dum vigilamus, excusso penitus somno. Cæterum percunctetur quis quâ ratione mentis cogitationes tantâ certitudine in somno à simulachris excitentur, cum res revera ità se non habet:

Usque adeò certè, ut videamur cernere eum, quem
Reddita vitai jam mors, & terra potita est.

Respondet hæc evenire ob sensuum in somno quietem:

Hoc ideò fieri cogit natura; quod omnes
Corporis affecti sensus per membra quiescunt.
Nec possunt falsum veris convincere rebus.

Et

Et insuper ipsa memoria somno sopita, neque reluctatur, animove refricat diem jam obiisse hominem, cujus spectatur modo simulachrum:

Praterea meminisse jacet, languetque sopore;
Nec dissentit eum mortis letique potitum
Jam pridem; quem mens vivum se cernere credit.

Et profectò si simulachra illa ficta constarent, (quæ post refutaturi sumus) in his à vero non delirat Carus.

Sed porrò curiosus quispiam interroget; Cur gesticulentur simulachra, concinnéque brachia moveant, & cætera membra? Refert ille causam in jugem imaginum successionem; momentanea namque illarum est duratio; quo fit, ut nova dum occupat abeuntis locum gestum mutasse videatur: qui tamen gestus momentaneus non est, præ affluentium imaginum inexhaustâ copiâ:

Quod superest non est mirum simulachra moveri;
Brachiaque in numerum jactare, & catera membra.
Nam fit, ut in somnis facere hoc videatur imago.
Quippe ubi prima perit: alioque est altera nata
Inde statu: prior hic gestum mutâsse videtur.
Scilicet id fieri celeri ratione putandum est:
Tanta est mobilitas, & rerum copia tanta:
Tantaque sensibili quovis est tempore in uno
Copia particularum, ut possit suppeditare.

Sed tempus est ut è diverticulo in viam redeamus, & ea quæ sequuntur videamus:

Atqui nunc, scribit, *vigilantibus oculis intueor hanc chartam, non sopitum est hoc caput, &c.* Quanquam enim Philosophus in modò dictis asseruit & ostendit sensuum patronos non indubitatò certos esse posse, an res, quas adesse firmissimè persuasum habent, revera actu præsentes sint nec ne, quoniam, quamdiu somnium à vigiliâ accuratè distinguere nequeunt, certi non sunt an res præsentes revera sentiant, an verò dormientes imaginentur quidem se sentire eas præsentes, cum tamen non sunt, nec easdem sentiunt: idque non tantum de rebus solitis & quotidiè obviis,

ſed etiam de inſolitis & minus veroſimilibus, quam ſunt phrenecticorum & melancholicorum deliria poſſe accidere experientiâ comprobatum eſt. Neutiquam tamen ſe victos fatentur ſenſuum anteſignani, neque per illa Philoſophi reſponſa ſenſuum certitudinem profligatam eſſe concedunt; ſed ſe in contrarium novo reſponſo & ἐνστάσει muniunt, affirmantes ſe omninò certos eſſe quod hæ actiones, hæc exercitia vigilantium ſint & per ſenſus certiſſimè, non autem per ſolam imaginationem, efficiantur, ideoque prorſus vera eſſe & eo præciſè modo, ut percipiuntur, ſe habere; aſſerunt enim ſe externo oculorum exercitio uti, ſe caput commovere, in quo liberi & ſoluti ſenſus functiones ſuas obeunt nullo ſomno obruti; imò ſe externorum & internorum ſenſuum prorſus eſſe compotes, quæ dormientibus non ita eveniunt, nec de iis affirmari poſſunt; ita enim ex ipſorum perſonâ & hypotheſi loquitur author: *Atqui nunc certè vigilantibus oculis intueor hanc chartam, non ſopitum eſt hoc caput, quod commoveo; manum iſtam prudens & ſciens extendo, & ſentio, non tam diſtincta contingerent dormienti.* Verum Philoſophus è contrà denuò regerit & oſtendit hæc ipſorum argumenta eſſe elumbia & nequaquam probare, quod vigilent & res extra ſe poſitas revera ſenſu percipiant, ad experientiam enim teſtem provocans oſtendit has ipſas cogitationes de ſenſuum illo vigore & eorum exercitiis poſſe eſſe ſomniorum phantaſmata & ludibria, adeò ut indubitatò certi eſſe nequeant, an à ſe vigilantibus ſenſuum actiones & exercitia proficiſcantur, an verò tantum per quietem proficiſci imaginariò videantur; *quaſi*, inquit, *non recorder à ſimilibus etiam cogitationibus me aliàs in ſomnis fuiſſe deluſum.*

Quinimò dum attentius hæc conſiderat, & animo volvit ac revolvit, convictus his meditationibus & rationibus fateri cogitur, vigiliam à ſomno, nî firmiores, quam hactenus fuerunt traditæ, diſtinctionis notæ exhibeantur, non poſſe unquam certis indiciis diſtingui; *quæ* (modò dicta) *dum cogito attentius*, ait, *tam planè video nunquam certis indi-*

indiciis vigiliam à somno poſſe diſtingui. Nam licet vulgò dicatur & verum ſit, ſomnum eſſe ſtatum, quo ſenſus ligati & impediti à ſuis functionibus ferientur; vigiliam è contra ſtatum, quo ſenſus liberi ac ſoluti functiones ſuas obeunt: Hæc tamen dicere non ſufficit, nec ſatis dilucidè diſtinctionem inter ſomnum & vigiliam indicant, quoniam in ſomno æquè vividè, imò ſæpe magis vivida ſenſuum exercitia videntur eſſe, quam in vigiliâ. Atque has difficultates dum obſervarent aliqui è Philoſophis affirmârunt ſomnum à vigiliâ & ſenſione verâ nullo indicio certò poſſe dignoſci. Unde Hobbeſius: *Satis conſtat*, inquit, *ex iis quæ dicta ſunt in hâc Meditatione nullum eſſe κριτήριον, quo ſomnia noſtra à vigiliâ & ſenſione verâ dignoſcantur: & propterea phantaſmata, quæ vigilantes & ſentientes habemus, non eſſe accidentia objectis externis inhærentia; neque argumento eſſe talia objecta externa omninò exiſtere. Ideoque ſi ſenſus noſtros ſine aliâ ratione ſequamur, meritò dubitabimus an aliquid exiſtat, nec ne. Veritatem ergò hujus meditationis agnoſcimus.* Ex quâ confeſſione Hobbeſii ſatis patet extra Philoſophiæ Carteſianæ principia vigiliam à ſomno non poſſe diſtingui, nec Scepticorum argumenta, quæ hic à Carteſio proponuntur, per veterem Philoſophiam refutari poſſe, ſed ut irrefutabilia & proinde ut vera eſſe admittenda, adeò ut nihil certi pro verâ rerum exiſtentiâ per ſenſus evinci poſſit. Cum tamen Philoſophus has rationes dubitandi, per quas vigiliam à ſomno diſtingui non poſſe è Scepticorum hypotheſi contendit, nequaquam ut omninò veras, ſed ut veriſimiles tantum propoſuit, iiſque uſus eſt, partim ut lectorum animos præpararet ad res intellectuales conſiderandas, illaſque à corporeis diſtinguendas, ad quod omninò neceſſariæ videntur; partim ut oſtenderet, quam firmæ ſint veritates, quas poſteà proponit, utpote quæ ab iſtis Metaphyſicis dubitationibus labefactari non poſſunt; & partim etiam ut ad ipſas in ſequentibus Meditationibus reſponderet. Nam quod eas ut inexplicabiles & indiſſolubiles in præſens admittat, ideò fit, quod illas per antiquæ

In Object. 3. circa initium.

Philoſophiæ principia refutare nequeat, & nondum ordine Philoſophandi nova detexerit, per quæ eas falſitatis convincere poſſit; inventis enim novis principiis veram inter vigiliam & ſomnum, inter ſenſionem veram & imaginariam diſtinctionem oſtendit, putà circa finem Meditationis ſextæ; ibidemque hanc quam ut indiſſolubilem heic loci admittit dubitandi rationem oſtendit revera in ſe indiſſolubilem non eſſe, ſed ſaltem propter infirmitatem veteris Philoſophiæ talem fuiſſe viſam, cujus fundamentis dum adhuc inhæret, nullam rationem ſufficientem licet volvat ac revolvat meditando reperire valet, ſed *fateri cogitur nunquam certis indiciis vigiliam à ſomno poſſe diſtingui*; & interim ſummoperè admiratur eam ſuam hominumque cæterorum ignorantiam, *ut obſtupeſcat, & ferè hic ipſe ſtupor opinionem ſomni confirmet*. Stupor autem qui ſenſuum hebetudo eſt, factus è ſpirituum ἀκινησίᾳ ſive movendi impotentiâ, alius eſt ex metu, ut eſt apud Poëtam: *Obſtupui*. Alius ex ſummâ admiratione, quo coërcentur ità ſpiritus, ut ad ulteriorem rei intellectionem nulla fiat progreſſio: nam ſubitanea novi & inſoliti objecti oblatio efficit ut mens objectum illud tanquam gratum conſiderans, in illius contemplatione ſe totam detineat, unde quoniam ſpirituum motus, qui ab illâ impreſſione mentis diſponuntur, & magno impetu curſum ſuum dirigunt verſus eam cerebri partem, in quâ primum formata eſt, & in quantum ab eâ determinationem accipiunt, ad tranſeundum in muſculos, qui inſerviunt ad ſenſuum organa in eâdem poſitione retinenda. Stupor autem ſi validius incumbat, & diutius inſideat, ἔκστασις dicitur à Græcis, à Latinis exceſſus mentis. Hoc affecti immoti manent, ac rigent: abſiſtit enim mens à ſuis functionibus ſpiritibus quaſi ſtagnantibus & in intimos cerebri ſinus receptis; adeò ut apertis oculis nil videant, auribus nil audiant, naribus nil olfaciant, imò transfixi nil ſentiant, dicitur etiam à Græcis ἔκπληξις, quæ eſt θαυμασιότης ὑπερβάλλουσα id eſt *admiratio modum excedens*. Intelligit autem Philoſophus ſtuporem non quo prorſus ſenſus obri-

ge-

gescunt, sed hebetescunt', quippe profundis meditationibus multum diuque attentè inquirens in discrimen vigiliæ & somni, quod tamen detegere nequit; rapitur in summam admirationem perculsus rei novitate, quod res adeò vulgares, & quotidiè obvias Philosophiæ ope, etiam dum attentè considerat, penetrare nequeat, earumque naturas perspicere, adeò ut propter hanc suam ignoratiam penè in somni suspicionem incidat & semisomnis stupeat. Unde pergit:

Age ergò somniemus.] Vi igitur rationum, quibus sensuum patronos convicit, quod nempe dubium sit an somnient an vigilent, & ex sensuum hebetudine ac stupore, quem ex profundâ & diuturnâ attentione & admiratione rei insolitæ contraxit, somniantes introducit personas, & porrò inquirit an non ex ipso somno certi quid & firmi per sensuum judicia pro rerum existentiâ erui possit. Hac autem procedit methodo, ut quidem ex suâ & patrocinantium sensibus personâ (quoniam ipse æquè ac illi sensionem veram per vigiliam ab imaginariâ per somnum factâ nondum distinguere valet, aut saltem distinguere nondum se posse fingit) primò concedat particularia forsan illa, nempe nos oculos aperire, caput movere, manus extendere, vel etiam nos habere tales manus, vel tale totum corpus, posse esse falsa; adeò ut actiones forsan nostræ quas hoc vel illo modo determinamus, & exercitia, quæ his vel illis membris ascribimus imaginaria & vana imò nulla esse possint, uti etiam dispositiones membrorum tum singulorum tum eorundem inter se compages & connexio, quam corpus constituere opinamur. Urget tamen deinde è contra membra illa recensita in generali, etsi non eo uti existimabamus modo, existere & in rerum naturâ dari, neque omninò ficta, aut imaginaria esse, uti oculi, manus, caput, totumque corpus; nam etsi somnia res uti revera in se sunt non exhiberent phantasiæ, phantasmata tamen ipsa per quietem occurrentia esse veluti pictas effigies & imagines res veras adumbrantes & exprimentes, quoniam nunquam illa

vel per somnum excogitari vel fingi potuissent, nisi res veræ alibi existerent, ad quarum similitudinem effinguntur. Nam sanè mens humana, sive dormiat sive vigilet homo, nunquam tantâ pollet virtute & excogitandi acumine, ut res omninò novas, quæ nunquam, ne ex parte quidem in rerum naturâ extiterint, effingere valeat, sed semper res visas aut auditas sibi repræsentat; alioquin enim creandi quâdam potentiâ polleret, quod affirmare ἀσύστατον.

Hæc autem in antecessum dicta illustrat & declarat exemplo à pictoribus desumpto: *Nam sanè pictores ipsi, ne tum quidem, cum sirenas & satyriscos maximè inusitatis formis fingere student, naturas omni ex parte novas iis possunt assignare, sed tantummodo diversorum animalium membra permiscent.* Nullis major fingendi licentia, quam pictoribus eorumque ductoribus & doctoribus poëtis; nam *Pictoribus atque Poëtis Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.* Nulli quoque qui enixius huic studio incumbunt; hi tamen ipsi, licet diu multumque profundis cogitationibus aliquid omninò novum excogitare studeant, nunquam tamen valent: Nam licet Sirenas, Satyriscos, Hecaten, Gorgonas, Chimæras, Cerberos, Argos, Ægæonas, Cyclopas, Empusas, Proteos aut alia id genus portentosa monstra inusitatis quidem formis exprimant, non tamen naturas omninò novas effingere valent, sed tantum ex diversis animalibus mutuata permiscent & sibi invicem conjungunt membra. *Sirenes* enim canora illa monstra marina, poëtarum fabulis celebratissima, superiori parte virgines, inferiori volucres finguntur. Ita Servius: *Sirenes secundum fabulam tres, in parte virgines fuerunt, in parte volucres, Acheloi fluminis, & Calliopes Musæ filiæ. Harum una voce, altera tibiis, altera lyrâ canebat. Et primò juxta Pelorum, post in Capreis insulâ habitârunt, &c. Secundum veritatem, inquit, meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam eos ducebant ad egestatem, hîc fictæ sunt inferre naufragia.* Sirenes enim illecebrosas voluptates denotant, quæ blandis præstigiis irretiunt homines, atque evertunt.

In Æneid. 5.

Hinc

Hinc Socrates apud Stobæum: Δεῖ ὥσπερ Σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν τὸν σπεύδοντα τ᾽ ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα. Et pulcrè ad Res Cælestes μυθολογεῖ Nicol. Clemangius Epist. 1. *In mari magno ac spatioso mundi hujus, cantu Sirenum dulcisono obdormiscimus. Hoc est, siquis metaphoram intelligit, dum rerum temporalium blandâ & fallaci suavitate nimium capimur atque illicimur, in iisque patriæ obliti, requiem requirimus: quasi in molli strato languido inertique otio torpescimus, & qui vigili ad patriam cursu tendere debueramus, dulciaque sirenum carmina, perniciose blandientia, surdâ velut aure vitare atque declinare, illis capti & consopiti, tum patriam fugimus, tum in periculum exitiale pertrahimur.* *Satyri* sive *satyrisci* ex superiori parte humanâ effigie, nisi quod in fronte cornuti, manibusque aduncis essent, ex alterâ capri exprimuntur. Unde & Cornuti ac Capripedes à Poëtis dicti. Hos non fictos, sed veros esse homines, qui revera in rerum naturâ dentur, quidam contendunt. Nituntur inprimis testimonio D. Hieronymi in vitâ Pauli Eremitæ scribentis, *S. Antonium in quâdam saxosâ convalle incidisse in quendam haud grandem homunculum, aduncis naribus, fronte cornibus asperatâ, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Interrogatum, quis esset, respondisse: Mortalem esse, & unum ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque & Incubos vocans colat; legatione fungi gregis sui, precarique, ut pro eo communem Dominum deprecetur, quem pro salute mundi venisse cognoverint, &c.* Finitâ narratione subjungit Hieronymus: *Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moveat, sub rege Constantino, universo mundo teste, defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo vivus perductus, magnum populo spectaculum præbuit, & posteà cadaver exsangue, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, ut ab Imperatore videretur, allatum est.* Hæc ille.

Cæterum rectè Casaubonus statuit, quidquid de satyris legimus, ex Poëtarum pictorumque fingendi licentiâ originem ducere; nihil hujus revera in rerum na- *Lib. 1. de Poësi Satyrica cap. 2.*

naturâ existere: aut siquid visum hujusmodi fuerit vel illudentis Dæmonis phantasma, vel Naturæ lusum fuisse. Nam ut est procax Natura, potest quandoque hominem cornutum, forte & capripedem producere: sed totos greges & genus hujusmodi legitimum creare, de quo Antonianus ille Satyrus referebat, verisimile non est. Atque si dentur maximè, non voce humanâ tamen, sed belluinâ, ut ille à Sylla captus Satyrus, loquerentur, nec nostrum sermonem intelligerent, degentes perpetuò inter feras. Jam remoti ab omni consortio penitus & literarum disciplinâ, quam Dei, quam humanarum rerum habere possunt notitiam, ut sciant, quid Christiani credant ac sperent; quid erret, colatque Gentilitas? Profectò aut figmento inani deceptus Hieronymus fuit, temerè credens; aut spectro illusus Antonius. Jam ille ad Constantinum allatus Satyrus, procul omni dubio monstrum fuit, in quo lusit natura. Plutarchus autem non affirmat, sed refert famam: φασὶ enim ait, id est *dicunt*, vel *ferunt:* quo fere uti solent Historiarum conditores, cum de iis loquuntur, de quibus ipsi dubitant. Plutarchi autem narratio in Sylla sic se habet: *Revertente*, inquit, *Syllâ in Italiam contra Marium, dormientem Satyrum, qualem plastæ pictoresque adumbrant, captum, adductumque ad Ducem: tentatumque per interpretes varios edidisse vocem ex hinnitu agni balatuque hirci confusam.* Qui verò à Græcis Satyri, à Latinis Fauni dicti sunt. Hi igitur sive fuerint animalia, sive dæmones crediti à superstitiosâ gentilitate pro Diis culti fuére. Rationem figmenti exponit Comes: *Quoniam non nisi per novas & admirabiles, aut etiam formidandas figuras Deorum metu multitudo imperitorum teneri poterat, idcirco & cornua & cornei pedes, & terror ille Panos non dissimilis, Faunis additus est: quippe cum multa fuerint ad terrorem excogitata ab antiquis, ut qui ad cultum Deorum rationibus adduci non possent, rerum terribilium mirabilitate demum ad metum cultumque eorum impellerentur.* Paulò latius hæc deducta vides lector, ut palàm faceremus Philosophum non sine ratione Sirenas & Satyri-

Lib. V. C. IX.

tyriſcos Poëtarum & pictorum figmentis accenſere. Infinitus talium eſt numerus è quibus pauca pro inſtituti & ſcopi ratione breviter adjicimus. *Harpyias* virgines fingunt volantes, urſorum auribus, vulturum corpore, virginum facie, manibus uncis. De his Maro:

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſævior ulla Æneid. 3.
Peſtis & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis.
Virginei volucrum vultus: fœdiſſima ventris
Proluvies: uncæque manus & pallida ſemper
Ora fame.

Chimæram quoque pinxit antiquitas è leonis capite & pectore, draconis caudâ & capræ ventre conflatum monſtrum, ore flammas eructans; Hom. Iliad. 3. Heſiod. Θεογ.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ Χίμαιρα
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Id monſtri genus & cætera ejuſmodi in rerum natura dari rectè negat Lucretius: Lib. 4.

Quî fieri potuit, triplici cum corpore ut una
Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra,
Ore foras acrem flaret de corpore flammam?

Eſt autem revera Chimæra mons Lyciæ ignivomus, in cujus cacumine leones habitant; in medio autem ubi, paſcuis abundat, capræ; in radicibus autem ſerpentes. Interdum verò Poëtæ eorumque ſequaces Pictores membra animalium ejuſdem ſpeciei in uno individuo multiplicant: *Cerberum* tricipitem, inferorum cuſtodem faciunt; de quo Virg. Æneid. 6.

Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Perſonat, adverſo recubans immanis in antro.

Sophocles in Trachiniis: Τρίκρανον σκύλακα, ἀπρόσμαχον τέρας. Heſiod. in Theog. quinquaginta illi attribuit capita:

Δεύτερον αὖθις ἔτικτεν ἀμήχανον· οὔτι φατειὸν
Κέρβερον ὠμηστὴν Ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον
Πεντηκοντακάρηνον, ἀναιδέα τε κρατερόν τε.

Venuſinus eum centum capitum fuiſſe vult:

—— *Demittit atras bellua centiceps aures.*

Unde sententiarum illa discrepantia alterius loci est inquirere. *Argum* centoculum fabulantur, unde πανόπτης Græcis, quod totis oculis scateret. Hinc Ovidius, fabularum architectus:

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat;
Inque suis vicibus capiebant bina quietem,
Cætera servabant, atque in statione manebant.

Briareum seu Ægæona centum manibus, quinquaginta capitibus, mole corporis omnes homines superantem, *Æneid. x.* ignemque ex ore ejaculantem describit Maro:

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribus arsisse. Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clypeis, tot stringeret enses.

Nonnunquam verò animalia mutilant, & membris truncant; Cyclopes enim unico oculo orbicularis figuræ in mediâ fronte, cætera corporibus vastos fabulantur. Fabulam inter alios Apollodorus brevibus refert. Μετὰ τούτους δὲ αὖ τῷ τεκνοῖ Γῆ Κύκλωπας, Ἄρπην, Στερόπην, Βρόντην, ὧν ἕκαστος εἶχον ἕνα ὀφθαλμὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου. De forma oculi eorumque exinde nominis origine Ascræus. *Theogon.*

Κύκλωπες δ' ὄνομ' ἦσαν ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρα σφέων
Κυκλοτερὴς ὀφθαλμὸς ἕεις ἐνέκειτο μετώπῳ.

Empusam uno pede incedere comminiscuntur. Hesych. Ἔμπουσα φάσμα δαιμονιῶδες ὑπὸ Ἑκάτης ἐπιπεμπόμενον, καὶ ὥς τινες, ἑνὶ ποδὶ χρώμενον. *Empusa spectrum Diabolicum ab Hecate immissum, &, ut ajunt quidam, uno pede utens.* Quinimo fabulantur ficta illa monstra se in varias formas transmutare; eam enim facultatem Thetidi, Periclimeno, Empusæ & Erisichthonis filiæ concessam fingunt; De Peclimeno Hesiodum consule. De Empusa Epicharmus:

Ἔμπουσα δένδρον, βοῦς, ἔχιδνα, γίγνεται,
Λίθος τε, μυῖα καὶ γυνὴ δ' ὡραία τις,
Καὶ πάνθ' ὁπόσα λῇ· καὶ ὅσα συμφέρει.

Sed præ cæteris formarum varietate mirabilis Proteus, de *Οδυσσ. δ.* quo Poëtarum Triumviri; Homer.

Ἀλλ'

Ἀλλ' ἤτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος,
Αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς,
Γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον.

Cujus sententiam sic expressit Virgilius:

Fiet enim subitò sus horridus, atraque tigris, Georg. 4
Squamosusque draco & fulvâ cervice leæna
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.

Ovidius Metamorph. lib. 8.

Nam modò te juvenem, modo te videre leonem:
Nunc violentus aper, nunc quem tetigisse timerent
Anguis eras: modò te faciebant cornua taurum:
Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri:
Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum
Flumen eras; interdum undis contrarius ignis.

Fabulæ originem dedisse videtur gestamen Regum Ægyptiorum, cui regno & Proteus præfuit; illi enim referente Diodoro Siculo diademata sua vel leonis, vel arboris, vel draconis, vel arboris vel etiam ignis effigie incisa capite gestabant, tanquam principatus insignia. Luciano Proteus histrio aut saltator est, ejus hæc sunt verba: Δοκεῖ γάρ μοι ὁ παλαιὸς μῦθος καὶ Πρωτέα τὸν Αἰγύπτιον οὐκ ἄλλο τι ἢ ὀρχηστήν τινα γενέσθαι λέγειν, μιμητικὸν ἄνθρωπον, καὶ πρὸς πάντα σχηματίζεσθαι, καὶ μεταβάλλεσθαι δυνάμενον, ὡς καὶ ὕδατος ὑγρότητα μιμεῖσθαι, καὶ πυρὸς ὀξύτητα ἐν τῇ τῆς κινήσεως σφοδρότητι, καὶ λέοντος ἀγριότητα, καὶ παρδάλεως θυμὸν, καὶ δένδρου δόνημα, καὶ ὅλως ὅ, τι καὶ θελήσειεν. Quæ à nobis ità accipe translata. *Antiqua mihi videtur hæc esse fabula, indicans Proteum Ægyptium non alium nisi saltatorem fuisse, hominem mimum, & qui se in omnia transformare & convertere posset, adeò ut & ignis humiditatem & ignis ardorem motus celeritate imitaretur, ut & leonis feritatem & pardalis iram & arboris concussionem, & in universum quodcunque vellet.* Cæterum exemplorum satis superque, plura qui desiderat, & horum prolixiorem explicationem mythologorum libros consulat; hæc allata nostro scopo sufficiunt, Lib. 2.

 osten-

ostendunt enim satis dilucidè poëtas & pictores, etiamsi monstra inusitatis formis effingere & adumbrare studeant non novas omni ex parte essentias sive naturas posse assignare, sed tantummodo vel diversorum animalium membra permiscere, vel ejusdem speciei animalium membra in uno individuo multiplicare, vel quædam abstrahere; vel denique varias essentias sive formas successivè quibusdam ex suis portentis tribuere; quicquid tamen moliuntur aut quacunque ingenii & mentis acie utuntur, non nisi imagines rerum verarum excogitare vel exprimere valent, ad quarum similitudinem finguntur. Atque hinc satis evinci videtur, ut supra dictum est, res illas sive archetypa illa, quorum imagines & ectypa sunt pictorum & poëtarum figmenta revera in rerum natura existere, & res quasdam generales dari. Sed regeret quispiam, pictores & poëtas non semper res veras & quæ actu in rerum naturâ dantur adumbrare, & effingere, sed sæpe etiam prorsus novas & nunquam visas; quæ nuspiam reperiantur & prorsus efficta sunt, ut ex. gr. dum mortem fingunt & depingunt, ut fœminam fuscâ facie, pandentis oris hiatu, alis nigris, veste stellatâ atri coloris: ita Seneca:

Mors atra avidos oris hiatus
Pandit, & omnes explicat alas.

Et Horatius: *Et mors atra caput fuscis circumvolat alis:* & dum somnum describunt ut sororem Lethes & mortis, fulvis alis, blandâ facie, qui admirandam habitat civitatem, quam eleganter à Poëtis & à Luciano descriptam vide. Tibullus in secundo elegiarum alas & inopinatum ejus adventum expressit:

Verar. Histor. Lib. 2.

Postque venit tacitus fulvis circundatus alis
Somnus & incerto somnia nigra pede.

Cicero de Nat. Deorum Lib. 2.

Aut cum Epicuri Deos delineant, quos nugator ille *monogrammos* finxit, *sanguinem non sanguinem, corpus non corpus* habentes, in intermundiis suis, seu mavis in utopiâ habitantes. Respondet Philosophus; Esto pictores quædam omninò nova & nunquam visa effingere & pingere posse, ne-

necesse tamen est, ut in illis adumbrandis & delineandis veris utantur coloribus, ex quibus ista sua figmenta conflent, ita enim scribit: *Vel si forte aliquid excogitent adeò novum ut nihil omninò ei simile fuerit visum, atque ita planè fictitium sit & falsum; certè tamen ad minimum veri colores esse debent, ex quibus illud componant.* Atque hinc igitur infert; licet illa modo dicta generalia, oculi, caput, manus, cæteraque membra & res reliquæ ejus naturæ actu in rerum natura non essent, sed solâ imaginatione effingantur, neutiquam tamen negari posse, quin res adhuc magis simplices & universales dentur, quæ sint, veluti colores illi veri pictorum, ex quibus in nostrâ cogitatione, rerum illæ ideæ & imagines effinguntur & depinguntur; quoniam enim omnis idea sive cogitandi modus suam non saltem causam efficientem, sed & exemplarem requirit, & nihilum nec causa efficiens nec exemplaris esse possit, necessariò igitur sequitur quod secundum res veras à mente nostrâ effingi debeant, & proinde res illas etiam dari. Recenset autem illas res simplices & universales, ex quibus & secundum quas ideas, conceptus, formas & imagines rerum cogitando solemus efformare, quæ videntur negari non posse, quin dentur: *Cujus generis*, inquit, *sunt natura corporea in communi, ejusque extensio; item figura rerum extensarum, item quantitas, sive earundem magnitudo; & numerus: item locus in quo existant, tempusque per quod durent, & similia.* Primo loco ponit *naturam corpoream* in communi consideratam, utpote rem maximè universalem; hæc aliàs substantia corporea, corpus & materia generaliter sive absolutè considerata, & ut vulgus loquitur, materia prima appellatur. Addit *ejus extensionem*, quoniam dum naturam corporis in genere spectati mente perpendimus, mox eandem ut extensam concipimus, & ne minimum quidem quod extensione hâc sit prius, excogitare possumus, modo clârè & distinctè materiæ naturam cognoscamus: unde patet extensionem, utpote à corpore sive materiâ inseperabilem ejusque naturam constituentem rectè

immediatè naturæ corporeæ adjungi. Et hinc descendit ad cæteras res corporeas sive extensas & in certas classes sive species quidem distinctas, sed quas in genere itidem considerat, & in quibus ita consideratis certas quoad extremitates earum determinationes id est *figuras* facilè concipimus; quæ resultant ex definitâ extensione sive magnitudine, quæ alias quantitas continua seu *trina dimensio* appellatur. Unde natum illud: *Non datur penetratio dimensionum*, id est, unum corpus sive unum extensum non potest idem *spatium* occupare, quod occupat aliud extensum; cum extensum esse nihil aliud sit, quam habere partes extra partes. Et quoniam res extensæ singulæ suam habent determinatam naturam quâ à se invicem sejunctæ sunt, facilè percipimus eas divisim à se considerari atque ita numerari posse, qui numerus *quantitas discreta* solet dici; levi item negotio agnoscimus illas res corporeas in aliquo *ubi* sive *loco* esse debere, quoniam id quod nusquam est, ne est quidem; hinc igitur suum locum seu spatium in quo sunt, requirunt: & siquidem sunt, quamdiu modò sunt, certam quoque existentiæ suæ durationem requirunt, quæ *duratio temporis* nomine venit; & quoniam eædem res certo ordine constitutæ sunt variam inter se dispositionem & *situm* habeant necesse est. Et cum situs ille variari potest & mutari, intelligimus *motum* quoque dari posse, qui nihil nisi mutatio situs est, quem corpora inter se habent; & pariter percipimus res illas posse permanere in eodem loco & situ id est *quiescere*. Et insuper, alia rerum corporearum communissima attributa, quæ rebus intellectualibus quoque conveniunt, considerantes, clarè percipimus unicuique rei suam propriam *essentiam* seu naturam competere, per quam res est, & est id quod est; item *existentiam* vel actualem, per quam revera est in rerum naturâ; vel possibilem, quâ aliquo tempore esse potest. Observamus itidem rem unamquamque esse *unam*, id est in se indivisam; *veram* id est debitam sibi habere essentiam, *bonam*, id est in se appetibilem: & si plures res inter se conferamus,

mus, alteram alterius esse *causam* vel *effectum*; res alias esse *subjecta*, alias *adjuncta*, alias sibi invicem *similes* alias *dissimiles*, & id genus alia.

Et quandoquidem hæc quæ de maximè simplicibus & universalibus disseruimus inconcussæ videntur esse certitudinis; prorsus enim indubitatum videtur esse, quod natura corporea sit res aliqua, quippe cui tria hæc, in longum, latum & profundum extensum esse, tantâ evidentiâ inesse percipimus: pariter certissimum quoque esse videtur rebus extensis figuras, situs, motus & similes proprietates verissimè attribui; & quoniam has proprietates & attributa clarè in rebus extensis percipimus, quâ ratione res extensas ipsas aliquid esse negari possit? Dato itaque res particulares & compositas, ut compagem membrorum, quam corpus appellamus nostrum, non dari, nec manus meas, pedes & similia membra; imò etiam res universales, ut manus, oculos, caput & cætera actu non existere, quoniam ex somnii & vigiliæ difficili distinctione id dubium esse, suprà probatum est; res tamen adhuc magis universales magisque simplices certissimè videntur existere earumque certissima esse scientia, ex dictis enim hanc format Philosophus conclusionem, inquiens: *Quapropter ex his forsan non malè concludemus Physicam, Astronomiam, Medicinam, disciplinasque alias omnes, quæ à rerum compositarum consideratione dependent dubias quidem esse*; hæ enim omnes disciplinæ circa res compositas & particulares versantur: Physica, specialem intellige, circa corpora specialia, Astronomia circa stellas fixas & erraticas, Medicina circa corpus humanum in sanitate conservandum & eâdem amissâ curandum, Jurisprudentia circa personas, res & actiones, ut justum & æquum observetur; Ethica circa mores probè dirigendos, & cæteræ quæ sunt hujus generis disciplinæ circa alia objecta particularia occupantur; & quoniam, ut vidimus, incertum est, an harum disciplinarum objecta existant nec ne, facile liquet dubium quoque esse an dictæ disciplinæ, quæ de illis objectis tractant aliquid veri, solidi & certi continent-

tineant nec ne. Sed contra facilè perſpicimus & cognoſcimus cum Philoſopho, *Arithmeticam*, *Geometriam*, *aliaſque ejuſmodi*, *quæ non niſi de ſimpliciſſimis & maximè generalibus rebus tractant*, *aliquid certi atque indubitati continere:* Res enim illas ſimpliciſſimas aliquid eſſe & non prorſus nihil jam oſtenſum, quoniam tot de illis proprietates & affectiones recenſuimus, quæ in nihilo ſeu ſimpliciter non ente nullæ reperiuntur; & hinc ſequitur idcircò eas etiam diſciplinas, quæ circa res illas ſimpliciſſimas & maximè generales verſantur, aliquid veri & certi includere, quales ſunt Arithmetica & Geometria, quæ circa quantitates continuas & diſcretas in abſtracto conſideratas, ut ajunt, putà circa magnitudines, figuras & numeros verſantur; quibus adde Phyſicam Generalem, quæ in genere de naturâ corporeâ ejuſque extenſione cæteriſque attributis diſſerit; nec non primam Philoſophiam, quæ univerſaliſſima Cognitionis humanæ Principia & attributa rerum maximè generalia contemplatur. Cæterum dicat aliquis! ſed utrum res illæ ſimpliciſſimæ actu dentur in rerum natura nec ne controverſum eſt. Nec id magnoperè curant dictæ diſciplinæ, modo conſtet res illas non eſſe prorſus nihil, ut ſuprà evicimus; ſi enim aliquid ſunt & non omninò nihil, aliquid quoque veritatis habent, aliquid certi & indubitati; id vult Philoſophus, dum hæc verba interſerit: *utrum eæ ſint in rerum naturâ nec ne parum curant*. Nam ſive res illæ actu exiſtant, ſive exiſtere tantum poſſint, quoniam illa, quæ de eis cognoſcuntur, clarè percipiuntur, indubitatæ & inconcuſſæ ſunt certitudinis & veritatis. Rurſus quis objiciat! Sed incertum eſt an vigiles an dormias, & proinde cum forſan dormis & ſomnias, omnia illa ſunt vana quoque & nulla, aut ſaltem incerta, uti ſupra patuit de rebus particularibus. Imò obtendat quis cum Sexto Empirico omnium externorum ſubjectorum nuda ſaltem dari phantaſmata, à ſenſibus ſive externis ſive internis excitata, cum interim res externæ nullæ exiſtant neque ulla earum veritas vel certitudo ſit, quoniam per ſomnum res imaginamur,

quæ,

quæ, dum vigilamus, nullibi exiſtunt, & contrà per vigiliam eas, quæ in ſomnis nullæ ſunt. Audiamus Empirici ratiocinationem: *Ex ſomno autem aut vigiliâ, diverſa fiunt*, inquit, *phantaſiæ, quià quas phantaſias in ſomnis concipimus, non eaſdem vigilantes; nec rurſum quas vigilantes, eaſdem in ſomnis. Itaque exiſtentia earum ſit non ſimpliciter, ſed ad aliquid, ad ſomnum videlicet aut ad vigiliam. Meritò igitur ea in ſomnis videmus quæ, dum vigilamus inexiſtentia ſunt quum alioqui per ſe nequaquam ſint inexiſtentia: exiſtunt enim in ſomnis &c.* Nullam itaque rerum putat eſſe exiſtentiam, niſi in quantum ab imaginatione effinguntur; concludit enim ex hoc modò allato cæteriſque, quæ loco citato adfert, argumentis aſſenſum de naturâ ſive eſſentiâ & exiſtentiâ externorum ſubjectorum eſſe retinendum, inquiens: *Itaque infertur hoc etiam modo aſſenſus retentio de naturâ externorum ſubjectorum.* Cæterum fallitur Scepticorum anteſignanus, quod de rerum extra nos exiſtentiâ ex ſolis phantaſiis noſtris judicandum exiſtimet, ut apertè dicit libro ſecundo capite ſeptimo; adeò ut juxta ipſum res propter phantaſmata illa & quamdiu phantaſmata illa durant quaſi exiſtere tantum opinaremur, cum tamen in ſe nullæ ſint & nullius veritatis; & quod itidem pro phantaſiarum varietate res ipſæ mutentur, & ceſſantibus phantaſmatis res ipſæ exiſtere deſinant; ſed falſa hæc ſunt omnia; quoniam phantaſmata noſtra non ipſas res nec earum eſſentias efficiunt, utpote quæ à ſolo Deo pendent; ſed illa à rebus ipſis dependent & deſumuntur, ſi enim prorſus nullæ res eſſent materiales aut nunquam fuiſſent, nulla rerum phantaſmata mente conciperemus. Deinde non omnes res earumque veritates per phantaſiam à nobis cognoſcuntur, ſed multæ puro intellectu percipiuntur, quæ nunquam ſub alia ratione, quam quales in ſe ſunt, clarè & diſtinctè percipi poſſunt; unde ſatis quoque patet illas non ab intellectu, nec ab imaginatione dependere, ſed habere ſuas immutabiles, æternas veraſque naturas, quæ neutiquam variantur, aut falſæ ſunt, ſive dormiamus ſive vigilemus, quales ſunt res illæ univer-

Pyrrhon. Hypot. Lib. 1. c. 14. §. 4.

fales & earum attributa ac veritates, quæ de illis dilucidè percipiuntur, ut quæ nulli prorsus dubitationi obnoxiæ sunt. *Nam sive vigilem sive dormiam*, ut inquit Philosophus, *Duo & tria simul juncta sunt quinque*, *quadratumque non plura habet latera quam quatuor*. Quicquid in longum, latum & profundum extensum est, corpus est. Omne quod debitam sibi essentiam & omnia ad eam requisita obtinet, id verum, bonum & perfectum est. Omnis effectus dependet ab aliquâ causâ: Quod factum est infectum fieri nequit, & similia. Et quoniam hæc axiomata adeò clarè & distinctè *intellectui* patent, ut nulla suspicio falsitatis in sanæ mentis hominem cadere possit, *fieri enim non posse videtur*, inquit Philosophus, *ut tam perspicuæ veritates in suspicionem falsitatis incurrant*. Hinc igitur omninò concludendum videtur dari aliquid veri & certi, si non ratione sensuum, nam de eo nihil adhuc constat, saltem ratione intellectus, utpote qui dictas veritates adeò perspicuè cognoscit; nec proinde omnia in dubium esse revocanda, licet quoque sensuum externorum & internorum fallacia nobis sæpe imponat & illudat.

Poterat jam Philosophus, nisi certitudinem vulgari sive morali firmiorem quæsivisset, contentus fuisse, quod ostendisset aliquid certi & indubitati ratione intellectus dari & reperiri, & quod hâc ratione demonstrâsset sanæ mentis hominibus non omnia in dubium esse revocanda, nihilque opus fuisset amplius addere ad certitudinem illam demonstrandam, quià vulgò res omnes eodem modo se habere judicamus in ordine ad ipsam veritatem, quo se habent in ordine ad nostram perceptionem. Sed quoniam certitudinem vulgari majorem, quam Metaphysicam & Mathematicam appellant, quæ talis est, ut ne quidem dubitatione maximè hyperbolicâ, quales à Scepticis solent proponi, labefactari possit, ulterius inquirit, anne apud Scepticos inveniri vel ab iisdem excogitari possint rationes quædam, quæ dictam intellectus certitudinem de veritate istarum rerum simplicissimarum & maximè universalium videantur reddere dubiam,

biam, præsertim cum natura, vis ac perfectio intellectus nondum penitus perspectæ sint. Circumspiciens itaque occurrit primùm, ut cogitet de causâ efficiente omnium rerum, quas existere credimus. *Veruntamen*, inquit, *infixa quædam est meæ menti vetus opinio Deum esse, qui potest omnia, & à quo talis, qualis existo sum creatus.* Appellat autem illam, quam de Deo in mente habet cognitionem, *opinionem* id est scientiam dubiam & infirmam, quoniam ordine Philosophandi legitimo nondum eò devenit, ut firmis rationibus Dei essentiam & existentiam demonstraverit, quod fit in Meditatione tertiâ. Appellat eandem *opinionem veterem menti infixam*, quoniam non tantum ex auditu & relatu aliorum Deum esse à teneris accepimus; sed etiam quoniam ab ineunte ætate menti inditam & ingenitam habemus Dei aliquam notitiam, cujus tamen notitiæ certitudo, cum nondum satis clarè per sufficientem investigationem & considerationem perspecta sit, nec quam firmiter ex eâdem Dei existentia concludatur & evincatur satis perspicuè notum sit, rectè *opinio* nuncupatur. Opinio tamen illa repræsentat nobis Deum ut omnipotentem, qui omnia, si voluerit producere potuerit, & etiamnum quidquid vult efficere valet, imò à quo ipsi, quales existimus, simus creati. Concesso itaque opinionem illam de Deo omnipotente & nostri existentiâ esse veram; unde tamen constat voluntatem Dei accessisse ipsius potentiæ, ut omnia, etsi possit, actu efficere ipsi placuerit; non enim hoc mox sequitur Deum illum omnipotentem, etsi possit cælum, terram & universalia producere, mox eadem omnia actu etiam produxisse. Potuisset enim pro summâ libertate suâ (quoniam enim summè potens est, summè etiam liber est, quoniam propter valentissimum potentiæ suæ robur à nemine cogi potest) potuisset, inquam, nullum planè cælum, nullam terram, nullum solem, nullam lunam, imò nullam rem extensam condidisse: & tamen simul pro eâdem suâ liberrimâ operandi potentiâ potuit permittere, ut in opinione nostrâ omnia antedicta videantur existere cum tamen nulla & nullibi sint. Id-

que tantò magis, quum conscii simus eam sæpe judiciorum nostrorum esse falsitatem, ut admodum perperam & falsò de rebus opinati fuerimus; cælum enim fornicis instar cameratum, terram planæ figuræ, solem pedalis magnitudinis, lunam disci instar ab ineunte ætate imaginati fuimus: & unde constat etiamnum in maturâ ætate non idem evenire posse, ut, licet contrarium judicemus, reverâ tamen nulla existant corpora nec universalia nec particularia, nec eorum ullæ sint figuræ, motus, locus & similia; uti hæc est Scepticorum sententia, quam A. Gellius his verbis proponit: *Ac ne videre quoque planè quicquam, neque audire sese putant: Sed ita pati afficique quasi videant vel audiant. Eaque ipsa quæ affectiones istas, qualia & cujusmodi sunt, cunctantur atque insistunt:* id est hæsitant & cunctantur respondere de hoc qualia sunt, sive hæsitant de responsione ad hoc, qualia sint, ἐπέχουσι περὶ τοῦ ποῖά ἐστι κατὰ φύσιν. Sive ut Aristocles de iisdem Cyrenaicis loquens Philosophis testatur; Καιόμενοι γὰρ ἔλεγον καὶ τεμνόμενοι γνωρίζειν ὅτι πάσχοιέν τι, πότερον δὲ τὸ καῖον εἴη πῦρ, ἢ τὸ τέμνον σίδηρος, οὐκ ἔχειν εἰπεῖν. *Dicebant nempe, dum quidem urerentur & secarentur, agnoscere se aliquid pati, vel se ab aliquo affici: an autem esset ignis qui affectionem illam in ipsis efficeret dum urebantur, & ferrum quod item aliam efficeret dum secabantur se ignorare.* Et porrò quandoquidem judicamus alios homines interdum errare & falli circa res illas, quas se clarissimè perspicere & accuratissimè cognoscere firmissimè persuasum habent; nonne pari ratione contingere posset, ut & nos, ejusdem enim cum iis naturæ sumus, fallamur dum mathematicorum axiomatum veritatem & principia, quæ semper putavimus per se esse nota, aut siquæ sint aliæ res captu facillimæ, dilucidè nos percipere arbitramur. Et anne hinc concludi posse videtur *ipsam mathematicam evidentiam nihil aliud esse, nisi constantem & quæ retegi nequeat imposturam, cui nostra natura necessariò & perpetuò est obnoxia*; uti ex hypothesi Scepticorum & Atheorum H. Morus annotavit, quorum argumenta heic conquiri, ut refutentur à Philosopho nostro jam aliquoties monuimus, nequis

Lib. 11. *cap.* 5.

Lib. 1. *cap.* 2. *contra Atheismum.*

quis hujus rei ignarus in sequiorem partem interpretetur, ac si Philosophus ex propriâ mente hæc proponeret & defenderet. Audiamus ipsum, in quem finem hæc collegerit argumenta, restantem: *Proposui*, inquit, *initio Meditationem mearum, ista omnia* (nempe an Deus sit negandus? an possit esse deceptor? an de omnibus sit dubitandum? an fides omnis sensibus sit abroganda? an somnus à vigiliâ unquam distingui possit, & similia) *tanquam dubia, quæ non à me primum fuerunt inventa, sed à Scepticis dudum decantata. Quid autem iniquius, quam tribuere alicui Scriptori opiniones, quas eo fine tantum refert, ut eas refutet?* Quoniam autem Philosophus Dei essentiam & existentiam, ex cujus ignorantiâ hæ objectiones proficiscuntur, & ex cujus verâ cognitione tantum refutari possunt, nondum probè exploratam habet, aut potius se nondum habere fingit, hinc solidè hæc objecta argumenta refellère nequit; quantum tamen valet probare nititur non tantum errandi nobis incumbere periculum, uti pertendunt Sceptici, ut nimirum de demonstrationibus mathematicis & principiis per se notis dubitare necesse sit; ex naturâ enim Dei, licet nondum clarè perspectâ, in quantum tamen ex veteri opinione de illo probabiliter concluditur, ita argumentatur Philosophus: Esto Deum per omnipotentiam suam & liberrimam agendi potestatem posse permittere, ut intellectus noster etiam in rebus, quas putat se evidentissimè cognoscere, fallatur, adeò ut nullam rationem invictam pro indubitatâ rerum veritate eruere valeat, videtur tamen repugnare voluntati Divinæ, quâ summè bonus esse affirmatur, ut in tam ineluctabilem errorum abyssum nos incidere pateretur. Absit autem ut existimemus Deum quicquam facere per omnipotentiam, quod repugnet ipsius bonitati: hoc tamen videtur facere, si permittat, ut in omnibus semper & ubique fallamur; nam si in evidentissimis erremus, quâ ratione in obscuris non eadem, imò non major incumberet errandi necessitas? si in mediâ luce caligent oculi, quid in spissis tenebris eveniet? Cæterum respondet sibi ipsi Philosophus, (quoniam ut diximus supponit & fin-

In notis ad Programma Regii circa finem.

git se nondum perspectàm habere Dei naturam) se non videre quâ ratione repugnet Divinæ bonitati, ut semper fallamur, cum non repugnet eidem bonitati, ut nonnunquam fallamur; quod tamen posterius negari non posse videtur, quoniam in antecessum quoque vidimus, in quantos errores fallacia sensuum nos sæpe præcipites egerit. Et licet propterea in superioribus existimaverimus res universales & de eis veritates certissimè ab intellectu cognosci, videtur tamen nos etiam in his falli posse per divinam omnipotentiam, quæ errores illos nostros permittat, non repugnante suâ bonitate, quæ permittit ut interdum fallamur. Verba autem Philosophi, quæ continent superiores dubitandi rationes, quas paulò fusius in exegesi nostrâ exposuimus, ita se habent: *Unde autem scio illum non fecisse ut nulla planè sit terra, nullum cœlum, nulla res extensa, nulla figura, nulla magnitudo, nullus locus, & tamen hæc omnia non aliter quam nunc mihi videantur existere? Imo etiam quemadmodum judico interdum alios errare circa ea quæ se perfectissimè scire arbitrantur, ita ego ut fallar, quoties duo & tria simul addo, vel numero quadrati latera, vel si quid aliud facilius fingi potest? At forte noluit Deus ita me decipi, dicitur enim summè bonus; sed si hoc ejus bonitati repugnaret, talem me creâsse ut semper fallar, ab eâdem etiam videretur esse alienum permittere ut interdum fallar; quod ultimum tamen non potest dici.* Philosophum autem ità in his procedere ut supponat se nondum Dei existentiam satis habere cognitam, (utpote quam demum ordine Philosophando Meditatione tertiâ rectè percipit) satis patet non tantum ex loquendi formulis ab ipso heic loci adhibitis; appellat enim cognitionem suam, quam de Deo habet, *Opinionem*; dubitandi particulis quoque utitur, inquiens: *forte noluit me Deus ità decipi*; *dicitur summè bonus*; *videtur esse alienum permittere, ut interdum fallar*: sed præcipuè liquet ex eo quod posteà cum Dei naturam penitius perspexit, omninò affirmet & asseveret Deum non posse fallere; disertè enim circa finem Meditationis tertiæ: *Existit Deus nullis planè defectibus obnoxius: ex quibus satis*

tis

tis patet illum fallacem esse non posse: omnem enim fraudem & deceptionem à defectu aliquo pendere lumine naturali manifestum est. Et post circa initium Quartæ: *Jamque videre videor aliquam viam per quam ab istâ contemplatione veri Dei, in quo nempe sunt omnes thesauri scientiarum & sapientiæ reconditi, ad cæterarum rerum cognitionem deveniatur. In primis enim agnosco fieri non posse, ut ille me unquam fallat: in omni enim fallaciâ vel deceptione aliquid imperfectionis reperitur; & quamvis posse fallere nonnullum videatur esse acuminis vel potentiæ argumentum, procul dubio velle fallere, vel malitiam vel imbecillitatem testatur.* Et rursus alibi. *Cum Deus sit summum ens, non potest non etiam esse summum bonum, & verum, nec deceptor fingi potest.* Cæterum pro indubitatâ rerum mathematicarum principiorumque per se notorum scientiâ, quam Philosophus heic cum Scepticis ad tempus in dubium trahit, ut in posterum tanto validius eandem stabiliat, adversus Philosophum quis contendat hoc argumento; eandem dubitationem de rebus modo dictis prorsus esse absurdam & sanæ rationi repugnantem, quoniam omnia, quæ clarè & distinctè percipiuntur certissima sunt & extra omnem dubitationis aleam posita; tales autem sunt mathematicæ demonstrationes cæteræque veritates & principia per se nota; nullo itaque modò dubia: veritas enim talis est, qualem ipsam clarè & distinctè intellectu percipimus. ℞. Fatetur omninò Philosopus & nos cum eo res omnes eodem modo se habere in ordine ad ipsam veritatem, quo se habent in ordine ad nostram perceptionem; ideoque quidquid clarè & distinctè percipimus verum esse. Sed quamdiu auctor nostræ origini adhuc ignotus est, uti hîc supponitur, & à Scepticis semper prætenditur, proclive suspicari est eundem esse fallacem, & naturam nostram adeò fallacem creâsse, aut saltem permittere ut tot tantisque erroribus obnoxia sit, ut etiam in evidentissimis & quæ clarissimè & distinctissimè percepta esse credimus, erremus & fallamur. Et hinc exsurgit hyperbolica illa dubitatio, nos nunquam posse esse certos, sed semper hærere dubios, an res

Respp. ad secundas Object. numero 4.

juxta

juxta veritatem tales ſint, quales ipſas percipimus; an verò ſecus ſe habeant; quam incertitudinem nobis ſuis argutiis perſuadere conantur Sceptici. *Pyrrho*, inquit Sextus, *contendit, ut ea res reddantur incerta, quæ prius pro certis ac manifeſtis à nobis acceptæ fuerant*; quæ Scepticorum veſania, quià natura noſtra nec illius author adhuc ſatis cognitus eſt, nondum refutari valet; ſed in meditatione tertiâ & ſequentibus ſolidiſſimè falſitatis convincitur. Sed præterea deprehenduntur & alii, qui aliam & omninò impiam inſiſtunt viam, ut ſenſuum ſuorum & intellectus certitudini patrocinentur; malunt enim prorſus negare Numen tale ſummè potens dari, quod poſſit permittere, vel nos tali naturâ condidiſſe, ut in omnibus & ubique fallamur; hoc modo enim pergit Philoſophus: *Eſſent verò fortaſſis nonnulli, qui tam potentem aliquem Deum mallent negare, quam res alias omnes credere eſſe incertas, ſed iis non repugnemus, totumque hoc de Deo demus eſſe fictitium: at ſeu fato, ſeu caſu, ſeu continuatâ rerum ſerie, ſeu quovis alio modo me ad id quod ſum perveniſſe ſupponant, quoniam falli & errare imperfectio quædam eſſe videtur, quo minus potentem originis meæ authorem aſſignabunt, eo probabilius erit me tam imperfectum eſſe ut ſemper fallar.* Dubitanter quidem loquitur, an revera tales dentur, qui Deum negent, non quod illud ſecum in dubium trahat, ſed quià in primâ hâc Meditatione nihil ut certum ponit, & quià quantum poteſt controverſias declinat; ne in ſuâ methodo pergendi occaſio ſibi ſurripiatur, aut methodus ipſa nimiâ παρεκβάσει obſcurior evadat. Portenta autem hæc opinionum revera fovent, qui Deum prorſus negant, qui de eo ſeriò dubitant, qui eum cum rebus humanis nihil commercii habere nec eas curare ſtatuunt, qui res materiales ſpontè & fortuitò ex atomis vel ex chao vel ex aliquâ præcedente materiâ emerſiſſe opinantur. Non pauca ejuſmodi monſtra hominum infatuata fovit gentilitas, qui Deum dari negaverunt, vel an ſit nec ne dubitaverunt; utinam quoque non hodiè talia portenta tellus ſuſtineret! Ex antiquis autem non paucos deteſtandâ

Adverſus diſciplinas Lib. I.

dâ atheiſmi hæreſi fuiſſe dementatos Sextus inter cæteros author eſt: *Deum non eſſe dicunt*, ſcribit, *qui appellati ſunt ἄθεοι, & Diagoras Melius, & Prodicus Chius, & permulti alii. Ex quibus dicebat equidem Euhemerus, eos qui exiſtimantur eſſe Dii fuiſſe aliquos potentes homines & ideò ab iis relatos in numerum Deorum, viſos eſſe Deos. Prodicus autem id quod vitæ prodeſt, Deum eſſe exiſtimatum, ut ſolem & lunam, & fluvios, & prata, & fructus, & quidquid eſt hujuſmodi. Diagoras autem Melius, ut dicunt, primum Dithyrambicus, & ſiquis alius ſuperſtitioſus, qui etiam poëſin ſuam hoc modo inchoavit:* A dæmone & fortunâ fiunt omnia. *Injuriâ autem affectus ab aliquo qui pejeraverat, & propterea nihil paſſus fuerat, eo deductus eſt, ut diceret non eſſe Deum. Critias quoque ex iis unus, qui Tyrannidem Athenis exercuerunt, videtur eſſe ex ordine impiorum, dicens quod antiqui legiſlatores finxerunt Deum inſpectorem rerum, quæ benè & malè fiunt ab hominibus, ut nemo proximum ſuum clanculum injuriâ afficiat, cavens ne à Deo puniatur. Diſertis autem verbis ita dicit:* Fuit tempus quando erat hominum vita inordinata & belluina, & miniſtra virium, cum neque bonis eſſet ullum præmium, neque malis ſupplicium. Deinde mihi videntur homines leges tuliſſe, quæ pœnas irrogarent, ut tyrannus eſſet Juſtitia, & ancillam haberet Contumeliam. Multabatur autem ſi quiſpiam peccaret. Deinde quoniam leges quidem ipſos eò adducebant ut palam ſcelera non admitterent; clanculum autem ea admittebant: tunc mihi videtur vir aliquis ingenioſus & prudens cognoviſſe, quod operæ pretium faceret, ſi inter mortales inveniſſet quemadmodum malis metus eſſet incutiendus etiamſi clam agerent, aut dicerent, aut cogitarent. Hinc Deum introduxit, nempe quod ſit Deus minimè interitui obnoxiâ vigens vitâ, menteque audiens & aſpiciens, cogitanſque, & hæc attendens, & divinam geſtans naturam. A quo auditur quidem quidquid dictum eſt inter homines: quidquid autem fit videre poterit. Si quis autem apud ſe tacitus aliquid cogitet mali, hoc Deos non

Adverſus diſciplinas Lib. 8.

 late-

latebit; ineſt enim prudentia. Hæc autem dicens, induxit documentum longè jucundiſſimum, nempe falſâ oratione tegere veritatem. Semper autem hic dicebat Deos, ut maximè terreret, homines eò ducens; unde præſcivit timores eſſe mortalibus, laboreſque & afflictiones calamitoſæ vitæ ex ſuperno circuitu, ubi vidit eſſe fulgura, & horrendos ſonos tonitrui & ſtellatum cæli corpus, affabrè factum & varium opus ſapientis artificis: unde candens procedit aſtri globus, humiduſque in terram imber proficiſcitur. Ad hos timores reduxit homines, per quos verbis Dæmonem pulchrè & in decenti loco fecit habitare: iniquitatem extinxit legibus. Et cum pauca adjecit, ſubjunxit. Sic autem primum arbitror aliquem perſuaſiſſe mortalibus ut exiſtimarent genus eſſe Dæmonum. *Cum his autem hominibus congruit etiam Theodorus Atheos, &, ut nonnulli ſentiunt, etiam Protagoras Abderitanus, cum ille quidem in opere quod inſcripſit de Diis, quæ apud Græcos in Deos ſunt relata varia confutaverit. Protagoras autem diſertis verbis ſcripſerit:* De Diis autem neque an ſint, neque quales ſint poſſum dicere. Multa enim ſunt quæ me prohibent. *Quam ob cauſam cum eum capitis damnâſſent Athenienſes, fugiens in mari periit naufragio. Epicurus autem, ut nonnullis videtur, quoad vulgus quidem attinet, relinquit Deum; quod autem attinet ad rerum naturam, nequaquam. Non magis autem eſſe quam non eſſe Deos, per parem vim adverſantium rationum dixerunt Sceptici.* Ex hac autem relatione patet publicè olim quoſdam & voce & ſcripto profeſſos fuiſſe ſe eſſe atheos. De Diagorâ, Theodoro, Prodico Chio, Euhemero & Protagorâ aſſentientem Sexto reperies Tullium, qui tamen in eo diſcrepat ab eodem, quod Protagoram ab Athenienſibus non capitis damnatum, ſed urbe atque agro ipſorum exterminatum eſſe ſcribat, adjiciatque libros illius in concione eſſe combuſtos. Fuêre igitur olim & hodiè ſunt tales humani generis peſtes & καθάρματα, adverſus quos calamos ſtrinxêre & quorum veſanam temeritatem ſolidiſſimarum rationum pondere reprimere & refellere aggreſſi ſunt viri eruditi, inter quos primas

De Nat. Deorum Lib. 1.

mas tenere R. Cartesium norunt illi, qui sapienti judicio scripta ipsius pervolvére. Cæterum non tantum ausu plusquam giganteo Deum παντοκράτορα de solio suo deturbare conati fuere imbelles homunculi, sed eo dementiæ processére, ut seipsos Deos mentiti fuerint. Hujus jactantiæ fuisse legitur Empedocles, principem inter deliros Sophistas locum obtinens, egregiè enim cultus & caput coronâ redimitus civitates circumiens Deum se gessit, hæc canens.

Laërtius in vita Empedoclis.

Ὦ φίλοι οἳ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκράγαντος
Ναίετ᾽ ἀν᾽ ἄκρα πόλεως, ἀγαθῶν μελεδήμονες ἔργων,
Χαίρετ᾽. ἐγὼ δὲ ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητὸς
Πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικε,
Ταινίαις τε περίστεπτος στέφεσίν τε θαλείοις,
Τοῖσιν ἅμ᾽ εὖτ᾽ ἂν ἵκωμαι ἐς ἄστεα τηλεθόωντα,
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ σεβίζομαι.

Καὶ πάλιν.

Ἀλλὰ τί τοῖς ἐπίκειμ᾽ ὡσεὶ μέγα χρῆμά τι πράσσων;
Εἰ θνητῶν περίειμι πολυφθορέων ἀνθρώπων.

Quæ cum minus aptè ab aliis metro translata reperirem, hunc in modum expressi:

O Socii, magnam flavas Acragantis ad undas
Urbem qui colitis, rebusque studetis honestis,
Salvete. Inter vos quoniam immortalis oberro,
Non mortalis; uti par est decoratus honore;
Et pulchris cinctus vittis roseisque corollis;
Queîs ubi florentes veniam redimitus ad urbes
Divino afficiet me mas & fœmina cultu.

Et rursus:

Sed quid in hisce moror, tanquam quid moliar ingens?
Nam genus humanum supero delebile letho.

Vah impiam jactantiam! Sextus Empiricus quidem negat immortalitatem his versibus affectâsse Sophistam; dicit enim horum expositionem versuum Grammaticorum exegesi majorem esse, adeò ut in his cæcutiant, ait enim: Ὁ μὲν γὰρ γραμματικὸς, καὶ ὁ ἰδιώτης ὑπολήψονται κατ᾽ ἀλαζονείαν καὶ τὴν πρὸς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὑπεροψίαν, ταῦτ᾽ ἀπεφθέγχθαι

τὸν φιλόσοφον. ὅπερ ἀλλότριόν ἐστι τοῦ καὶ μετρίαν ἕξιν ἐν φιλοσοφίᾳ ἔχοντος, οὐχ ὅτι γε τοῦ τοσούτου ἀνδρός. Ὁ δὲ ἀπὸ φυσικῆς ὁρμώμενος θεωρίας, σαφῶς γινώσκων ὅτι ἀρχαῖον ὅλως τὸ δόγμα ἐστι, τοῖς ὁμοίοις τὰ ὅμοια γινώσκεσθαι, ὅπερ ἀπὸ Πυθαγόρου δοκεῖν κατεληλυθέναι, κεῖται μὲν καὶ παρὰ Πλάτωνι ἐν τῷ Τιμαίῳ, εἴρηται δὲ πολὺ πρότερον ὑπ' αὐτοῦ Ἐμπεδοκλέους.

Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ,
Ἠέρι δ' ἠέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον.
Στοργὴν δὲ στοργῇ, νεῖκος δέ γε νείκεϊ λυγρῷ.

Συνήσει, ὅτι ὁ Ἐμπεδοκλῆς θεὸν ἑαυτὸν προσηγόρευσεν, ἐπεὶ μόνος καθαρὸν ἀπὸ κακίας τηρήσας τὸν νοῦν, καὶ ἀνεπιθόλωτον, τῷ ἐν ἑαυτῷ θεῷ τὸν ἐκτὸς κατείληφεν. id eſt: Grammaticus quidem, rudiſque quiſpiam & imperitus hæc Philoſophum exiſtimabit dicere per arrogantiam, aliorumque hominum deſpicientiam. Quod quidem alienum eſt ab eo qui vel mediocriter verſatus eſt in Philoſophiâ, tantum abeſt ut id cadat in tantum virum. Qui autem in contemplatione naturali profecit, manifeſtò novit antiquum eſſe dogma, *Similibus ſimilia cognoſci*, quod quidem deſcendiſſe videtur à Pythagorâ, ſed & apud Platonem in Timæo habetur, dictum verò eſt longè anteà ab ipſo Empedocle;

Terram nam terrâ, atque undam conſpeximus undâ;
Aëre divinum nos aëra, vidimus igne
Clarum ignem; lite eſt lis, viſus amore
Eſt & amor.

Intelliget, quod Empedocles ſeipſum appellavit Deum, quoniam cum ſolus mentem à vitio puram & imperturbatam, eo qui in ſe erat Deo, Deum qui erat extrinſecus comprehendit. Sed non his ſtrophis mentibus veritatis gnaris illudet Scepticus. Quam puram & ab affectibus ambitionis & jactantiæ imperturbatam mentem geſſerit Empedocles indicium faciunt ad faſtum comparata illa ornamenta: οὗτος γὰρ ὁ Ἐμπεδοκλῆς στέμμα ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς χρυσοῦν, καὶ ἀμύκλας ἐν τοῖς ποσὶ χαλκᾶς, καὶ στέμματα Δελφικὰ ἐν ταῖς χερσίν, ἐπῄει τὰς πόλεις δόξαν περὶ αὐτοῦ κατασχεῖν, ὡς περὶ θεοῦ, βουλόμενος. Hæc ex antiquo autore Suidas. Coronam ex auro in

in capite, & æneos in pedibus calceos, ſertaque in manibus Delphica ſtultiſſimæ jactantiæ non eſſe argumenta nemo Pyrrhonius perſuaſerit. Dirum quoque mortis genus inſanam jactabundi hominis mentem prodit. In Ætnæos enim crateres, ut à multis traditum eſt, aliis licet reclamantibus, vivus clam inſiliiſſe perhibetur, ne humano more mortuus & tumulatus divinitatem ſuam meritò ſuſpectam redderet dementatis gentibus. Ridet fatuitatem hominis Tatianus: Ἐμπεδοκλέους γὰρ τὸ ἀλαζονικὸν αἱ κατὰ τὴν Σικελίαν τοῦ πυρὸς ἀναφυσήσεις ἀπέδειξαν, ὅτι μὴ θεὸς ὤν, τοῦθ' ὑπερέλεγεν εἶναι, κατεψεύδετο. *Empedoclis arrogantiam ignis in Siciliâ crateres demonſtrant, quoniam cum Deus non eſſet, hoc quod ſe eſſe dicebat, mendaciter finxit.* Et cum eo Horatius:

Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles ardentem frigidus Ætnam
Inſiluit.

Ætnæas autem flammas hauſto Empedoclis corpore ſoleas ipſius æreas revomuiſſe & indicium immanis iſtius ſaltus feciſſe, ſeu verè ſeu ſictè Gregorius Nazianzenus cecinit:

Ἐμπεδόκλης σε μὲν αὐτίκ' ἐτώσια φυσιόωντα,
Καὶ βροτὸν Αἰτναίοιο πυρὸς κρητῆρες ἔδειξαν,
Σάνδαλ' ἀποβρόξαντες ἐλαφρόνοιο θεοῖο
Χάλκεα, καὶ σε βροτοῖσιν ἐπιχαρέα πᾶσιν ἔθηκαν,
Κύδεος ἱμείροντα δι' ἅλματος αἰνομόροιο.

Cujus mentem muſa noſtra hoc modo imitata eſt:

Ficta tuæ Empedocles prodit mendacia linguæ,
Et probat Ætnæi mortalem flamma camini
Ærea cum falſi vomeret ſandalia Divi;
Hinc, diro expeteres cum laudis nomina ſaltu,
Turpe tuum toto ſe ſparſit dedecus orbe.

Sunt quidem alii, inter quos Ariſtoteles, qui eum ambitionis hoſtem fuiſſe ſcribunt. De Ariſtotele minus miror, *Ælian.* quippe ipſe & veſtibus & calceamentis luxurioſis utebatur, *Var. Hiſt.* & tonſurâ annuliſque ferendis ſe exornabat; ne igitur & ipſe *Lib.* 3. eo arrogantiæ & ambitionis meritò reus ageretur, Empe- *cap.* 19. doclem ornatu ſplendido ſuperbientem à vitiis modo dictis

liberum fuisse scripsit. Xanthus autem ipsam dignitatem oblatam ab eo spretam esse refert. *Verum*, ut rectè observat Cl. Barthius, *in hoc genere relationum super Philosophorum vitiis rebusque, summa semper fuit nugonum inconstantia ut vel ex hujus Sophistæ* (Xanthi) *apud Laërtium collectaneis videre potes. De saltu quidem in Crateras, immortalitatis ambitione, minus mirum facinus hominis*, (de Empedocle loquitur) *veritatem nescientis, cum superiori seculo auri indagandi gratiâ monti flammivomo immersus tradatur in Indiâ monachus quidam, igne diro cavo expulsus interemptusque.*

Et hi quidem vesani & furiosi homines & alii id genus ἄνδρες ἀτιδανοὶ καὶ πονηρᾶ νόμματ© negant dari Deum adeò potentem, qui permittere vel efficere posset, ut menti & sensibus obverſentur species earum rerum, quæ nusquam sunt, quibus tanquam falsis imaginibus continuò eluderentur, malunt enim Deum ejurare, quam ut intellectui vel sensibus suis quidquam derogent; cæcâ enim φιλαυτίᾳ occæcati, pluris se suosque sensus faciunt, quam ipsum Deum: sensibus suis quotidiè utuntur; his mediantibus fruuntur iis, quæ ad vitam sustentandam sunt necessaria; per hos voluptatis & deliciarum commodis afficiuntur, atque ita rerum visibilium dulcedine perfunduntur. Solis cæterorumque syderum gratam lucem oculis suis usurpant; auribus harmoniam musices captant; linguâ gratos sapores degustant; manibus titillationem percipiunt; naribus odorum fragrantiam hauriunt; mente denique suâ omnis generis voluptates terrenas cogitant & contemplantur; Deum nunquam viderunt, an aliquid boni in ipsos unquam contulerit, nunquam experti sunt; quare igitur hoc quod sciunt; rejicerent ut incertum & dubium; quod autem nescirent id amplecterentur, & esse affirmarent. Hæc enim & similia impia ipsorum sunt ratiocinia. Epicurus sanè infallibilem prorsus sensibus veritatem attribuit, adeò ut juxta ipsum, ipsi κριτήρια veritatis sint nulli errori obnoxia, sed tantæ certitudinis ut à nullo fallaciæ argui possint, disertè enim ait;

Omnes

Omneis sensus esse veri nuncios, nihil horum; sive ut Laërtius, affirmat, κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις, οὐδ' ἐστὶ τὸ δυνάμενον αὐτὰς διελέγξαι. Imò πᾶς λόγος ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων ἤρτηται, καὶ γὰρ αἱ ἐπίνοιαι πᾶσαι ἀπὸ τῶν αἰσθήσεων γεγόνασι. *Omnis ratio omnesque cogitationes à sensibus fiunt.* A Deo autem, *quem re tollit, oratione relinquit*, ut Posidonius ait, sensus fallaces inditos esse, nullus ipsi metus est; *Deos enim nihil curare, nihil agere, nihil negotii habere* existimat; unde nulla ratione contingere potest, ut per omnipotentiam Divinam falsis speciebus & imaginibus sensus eludantur. Grandia quoque jactabat Empedocles, potentiamque sibi & scientiam, hominum captum & vires longè excedentes, arrogabat; hæc proferens:

De Nat. Deorum, Lib. I.

In Epicuri vita.

Tullius loc. citat.

Φάρμακα δ' ὅσσα γεγᾶσι κακῶν, καὶ γήραος ἄλκαρ,
Πεύσῃ· ἐπεὶ μούνῳ σοὶ ἐγὼ κρανέω τάδε πάντα.
Παύσεις δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵτ' ἐπὶ γαῖαν
Ὀρνύμενοι πνοιαῖσι καταφθινύθουσιν ἀρούρην.
Καὶ πάλιν ἢν κ' ἐθέλησθα, παλίντινα πνεύματ' ἐπάξεις.
Θήσεις δ' ἐξ ὄμβροιο κελαινοῦ καίριον αὐχμὸν
Ἀνθρώποις, θήσεις δὲ καὶ ἐξ αὐχμοῖο θερείου
Ῥεύματα δενδρεόθρεπτα, τάδ' ἐν θέρει ἀήσαντα.
Ἄξεις δ' ἐξ ἀΐδαο καταφθιμένου μένος ἀνδρός.

Quæ, quoniam transferendi tempus non suppetit, ut translata invenio, describo:

Pharmaca queîs pellas morbos, relevesque senectam,
Percipies, quæ cuncta tibi communico soli.
Compescosque truces ventorum rite procellas,
Exorti insanæ qui vastant flatibus agros:
Rursus (si libeat) mox flamina pigra ciebis,
Et mediâ induces è tempestate serenum;
Induces mediâ pluvias æstate salubres,
Et flatus siccâ qui persient omnia messe:
Extinctumque hominem nigro revocabis ab orco.

Dilucidè ex his paucis speciminibus patet, profanos & vesanos hos homines maluisse negare dari Deum adeò potentem, à quo creata sint omnia, & à quo ipsi tales, quales

les existunt, facti sunt; quam ut sensuum certitudinem rejicerent & res omnes incertas esse crederent. Hi autem è diametro contrariantur iis, de quibus mox dictum est, qui per omnipotentiam Divinam sensus suos continuò falsis imaginibus ludi timebant, & qui propter judiciorum suorum, quam sæpius experti sunt, fallaciam, & propter aliorum errores, quos circa res perceptu facillimas & per se notas illos commisisse deprehenderunt, in omnibus suspicionem falsi esse, neque hominem unquam de veritate alicujus planè certum esse, contendebant.

Sed quid his impiis reponendum est? quibus hos Atheos rationibus convincemus? Detestanda omninò est ipsorum opinio & opinioni de Deo humanis mentibus ab ipso ortu insculptæ directè repugnat; vetus enim illa opinio dictat Deum esse à quo omnia sunt, & à quo ipsi nos tales, quales existimus, creati sumus: sed tamen, quoniam hæc, licet vetus, opinio nondum rationibus satis validis à nobis confirmata est, ut firma evaserit scientia, & quoniam in præsens nihil affirmare animus est, nisi quod solidis rationibus demonstratum est, demus & largiamur ad tempus his hominibus, id quod iniquè putant, nempe Deum non esse; attamen in eum tantummodo finem, ut eos in posterum tantô validius convincamus & refellamus, quando ordine philosophandi, nempe in Medit. 3. eò pervenimus, ut illud juxta methodum institutam opportunè facere valeamus; interim illi tam diu fruantur suis, licet falsis & impiis opinionibus; hoc intendit Philosophus his verbis: *sed iis non repugnemus, totumque hoc de Deo demus esse fictitium.* Neutiquam enim cum impiis his facit atheis Philosophus, ut assensum illis præbeat, sed per συγκατάθεσιν quandam eorum sententiam admittit, donec commodior eos refellendi occasio se obtulerit. Nec illud Atheismum sapit, nec seriam & Scepticam de Deo dubitationem involvit, ut criminantur antagonistæ: illud enim licet licitumque semper fuit, ut in Disputatione cum eo qui à nobis dissentit, ita nos geramus ac si veritas adhuc ignota, à nobis unà cum dissen-

tiente

tiente quæreretur, cum tamen de illâ in antecessum dudum quam certissimè & plenissimè persuasi fuimus, in quâ re nec cognitio nec fides ullum detrimentum patiuntur; sed præfracta alioquin adversarii mens ad veritatem facilius admittendam inclinatur, cum hâc ratione à præjudiciis illis, quod nempe veritas, quæ talis ipsi nondum apparet, ex anticipatâ tantum opinione & affectu quodam propugnetur, liberatur, atque ita melius erga veritatem affecta redditur. Audiant adversarii antesignanum propriæ suæ turbæ hæc disertè profitentem, ut ineptè & pueriliter oggánnire desistant: *Vir pius*, inquit, *& Orthodoxus si congrediatur cum aliquo dissentiente, & eum invitet ad placidam disputationem, in quâ agat uterque cum Augustino, ut veritatem quærens, non ut qui illam jam repererit, non ideò tamen quidquam remittat, quod ad se, de πληροφορία suæ fidei, sed tantum per quandam συγκατάβασιν sic se habeat, quoad actum ipsum disputationis ac si veritatem cum alio quæreret.* Nulla igitur in dictâ concessione Philosophi Christianismi abdicatio, nulla de Deo dubitatio. *Maresius de Abusu Philos. Cartes. art. 21.*

Cæterum concesso jam ad tempus his hominibus, Deum non esse, à quo creati sunt, an propterea evincunt, quod volunt, nempe se ab erroribus immunes esse & res omnes præcisè se eo, quo existimant modo, habere? Neutiquam: sed tantò major, imò perpetua erit errandi suspicio, ità enim procedit Philosophus: *At seu fato, seu casu, seu continuatâ rerum serie, seu alio quovis modo me ad id quod sum pervenisse supponant, quo minus potentem originis meæ authorem assignabunt, tanto verisimilius erit me semper errare.* Homines illi, qui negant Deum adeò potentem, à quo essemus creati sive ex nihilo producti, in diversas abeunt sententias, quorum tres capitales disertè exprimit philosophus; alii enim fato, alii casu, alii continuatâ rerum serie se existere statuunt. Videamus primò paulò explicatius, quantum scopo nostro satis est, singulorum opiniones, & deinde, an ex eis, ea, quam jactant, intellectus & sensuum certitudo sequatur, perpendamus.

Fatum est triplex Stoicum sive Philosophicum, Astrologicum sive Mathematicum & Theologicum. Stoicum è Seneca definimus; *Causarum ab æternitate fluentium nexum & immutabilem ordinem, cujus lege certâ & in æternum dictâ omnia decurrant.* Audi & Chrysippum seriâ definitione apud A. Gellium, seu, ut alii malunt, Agellium explicantem, Ἑιμαρμένην εἶναι, φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων, ἐξ αἰδίȣ, τῶν ἑτέροις ἐπακολȣθȣ́ντων, ἀμεταβόλȣ ἤδη ὄυσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς: *Fatum esse, naturalem compositionem universorum, ab æterno mutuo sese consequentium, immutabili & inviolabili hâc complicatione.* Illa autem *series* & *connexio* ita immutabilis statuitur ab illis, ut non tantum homines, sed & ipsum Deum durâ necessitate ligct. Τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατα ἐςι ἀποφυγέειν καὶ Θεῷ. *Destinatam sortem nec Deo fas effugere.* Durius adhuc:

Herod. 1.

Δȣ̃λοι βασιλέων εἰσὶν, οἱ βασιλεῖς Θεῶν,
Ὁ Θεὸς ἀνάγκης.
Sunt regibus servi, rex servus est Deo,
Deus Necessitati.

Philemon.

Audiamus & Senecam: *Omnia certâ & in æternum dictâ lege decurrunt. Fata nos ducunt, & quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causâ, privata ac publica longus ordo rerum trahit &c. Eadem necessitas & Deos alligat: irrevocabilis Divina pariter atque humana cursus vehit. Ille ipse omnium conditor ac rector scripsit sed sequitur: semper paret, semel jussit. Quare Deus tam iniquus in distributione fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera ac acerba funera ascriberet? Non potest artifex mutare materiam, hæc passa est. Quædam à quibusdam separari non possunt, cohærent, individua sunt.* Agnosce Lector in hoc discursu contrariantem sanæ rationi & Theologiæ philosophiam; Duo principia inducit Deum & Materiam. Materiam sine ortu & æternam, quam non Deus, sed è quâ condidit. Sana ratio unum principium æternum dictat, & in genesi rerum primâ apud Mosen nulla materia prior elementis, quæ ipsa à Deo producta & creata sunt è nihilo.

De Provid. Cap. v.

Sta-

Statuunt præterea Stoici in hujus materiæ vi contineri evenientium originem, quorum seriem Conditor nectit pro conditione materiæ: & quoniam materia illa æterna & in se mala est, nec ejus naturam, ut ajunt, artifex mutare valet, hinc imperfectio & malitia in rebus & hominibus, quam Deus nec impedire nec emendare potuit; sed res in tantum bonas, quantum materiæ natura concessit, formavit. Ne autem videamur nimis rigidi Fati Stoici censores, asscribamus ipsius Lipsii verba, summi sectæ Stoicæ patroni & vindicis, philosophos illos hâc in parte graviter hallucinatos esse non obscurè fatentis: *Sed heus Chrysippe*, (hujus verba citaverat,) *si à naturâ hæc constitutio & devergium* (ad malum:) *Deum à malo qui excusas? quomodo non ille Naturæ author, atque ipsa Natura, malum malosque genuit, si tales fecit? Hoc caput est, & arx, ut sic dicam, caussæ, nunc adeunda & occupanda. Aio, Stoicos Mali principium non in Deo, sed in Materiâ* (*quæ tamen Deo, ut ipsi aliique voluerunt, ævo æqualis, & æterna*) *in Materiâ, inquam, constituiße. Itaque cum Deus homines aliaque faceret, omnia bona & in bonum finxisse: sed repugnantem aliquam vim & malitiosam in illâ fuiße atque esse, quæ aliò traheret: atque hinc* Interna, *atque etiam* Externa *mala extitisse. Valdè notabile & vetus dogma inter religionis etiam nostræ proceres decertatum. De Stoicis, Seneca apertè dixerit:* Utrum Deus quod vult efficiat an in multis rebus illum tractanda destituant: & à magno artifice *Formentur prava* multa, non quia cessat ars, sed quia *id in quo exercetur* (Materia) inobsequens arti est. *Nota, Materiam* inobsequentem, *& ab eâ* prava *esse. Plato sæpe hæc tangit, & huc transit: ut cum dicit Materiam, aut in eâ* ψυχὴν, *ἄτακτον καὶ κακοποιόν*: Animam, incompositam & mali auctorem, sive maleficam. *Iterumque*: ἐναντίαν καὶ ἀντίπαλον τῇ ἀγαθοέργῳ φύσει· adversariam & rebellem Beneficæ Naturæ, *id est*, Deo. *Animam sive vim in Materiâ dicit: neque enim ipsam per se vult malam, sed latens in eâ aliquid, quod in generatione se exserit & promit.*

Physiolog. Lib. 1.

1. *Quæst. Natur. in Præf.*

mit. Non abiit ab hoc ſenſu etiam Triſmegiſtus. Αὐτῷ τῷ
Cap. XIV. ποιοῦντι οὐδὲν κακὸν, οὐδ' αἰσχρὸν, νομιζόμενον. Ταῦτα γάρ ἐστι τὰ παθητὰ τῇ γενέσει παρεπόμενα, ὥσπερ ἰὸς τῷ χαλκῷ, καὶ ὁ ῥύπος τῷ σώματι. *Ipſi factori Deo nullum malum aut turpe adſignandum. Nam hæ ſunt affectiones generationis aſſeclæ, ſicut ærugo æris, ſordes corporis. Paria Tyrius etiam Maximus, inter Platonicos, Sermone huic argumen-*
Serm. XXV. *to. Verba hæc pauca eius habe:* Καθάπερ οὖν ἐν ταῖς τῶν τεχνῶν χειρουργίαις, τὰ μὲν ἡ τέχνη προηγουμένως δρᾷ, στοχαζομένη τοῦ τέλους, τὰ δὲ ἕπεται τῇ χειρουργίᾳ, οὐ τέχνης ἔργα, ἀλλ' ὕλης πάθη, σπινθῆρές τε ἐξ ἄκμονος καὶ ἐκ βαύνου αἰθαλώσεις, καὶ ἄλλα ἐξ ἄλλης πάθους, ἀναγκαῖον μὲν τῇ ἐργασίᾳ, οὐ προηγούμενον δὲ τῷ τεχνίτῃ. οὕτως ἀμέλει καὶ ὅσα περὶ γῆν πάθη γίνεται, ἃς καλοῦμεν κακῶν ἀνθρωπίνων ἐμβολὰς, ἐνταῦθα ἡγητέον καὶ ἀναίτιον καὶ τὴν τέχνην, εἶναι δὲ ταῦτα τῆς τῶν ὅλου ὥσπερ τινὰς ἑπομένας καὶ ἀναγκαίας φύσεις. *Sicut in opificio manualium aliud ipſa ars ex profeſſo facit, intendens operis ſui finem; alia conſequuntur opificium, non artis opera, non artis affectus; (ut ſcintillæ ex incude reſilientes, ut fuligo è fornace & aliud ex alia materia) quæ neceſſariò adhærent operæ, nec tamen artificis propoſito: tale nimirum in his quæ circa terram eveniunt, quæque incurſus humanorum malorum vocamus. In quibus innoxiam & inculpatam artem cenſendum, ſed eſſe hæc Fabricæ totius Univerſi velut neceſſarias quaſdam & conſequentes naturas. Quæ ad Externa etiam*
De Provid. cap. V. *aut Naturalia mala ex mente ejus ducas: ſicut & Senecæ iſta. Quare tamen Deus tam iniquus in diſtributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adſcriberet.* Non poteſt Artifex mutare Materiam; *hæc paſſa eſt. Itaque, ut addit, languida & ignava ingenia inertibus nectuntur elementis, ut efficiatur vir cum curâ dicendus,* fortiore fato *opus eſt. Neque abnuit in principiis fati, aliquid eſſe, id eſt in naturâ ipsâ ſingularum rerum, quod huc aut illuc ducat: ſed ſi in malum, à Materie ſic affectâ.* Obſerva ex dictis, Stoicorum & ante eos, ut Lipſius vult, Platonis & Platonicorum à vero aberrantes de Fato

Fato & Conditione naturæ nostræ opiniones; docent enim fatum id est causarum se mutuo consequentium nexum à Deo scriptum constitutumque esse, sed pro naturâ Materiæ, quæ æterna & mala est: quam pravitatem Deus immutare non potuit; sed coactus fuit, ut res, quas condidit, quadantenus malas & vitiis quibusdam obnoxias produceret. Duo enim juxta ipsos, ut vidimus, sunt Principia coæterna, Deus & Materia; Deus boni, Materia mali causa est. Et hinc Deus non absolutæ, sed limitatæ potentiæ ab ipsis constituitur; Materiam enim immutare non potuisse, nec pro liberrimâ voluntatis suæ efficientiâ res, quales vellet, produxisse, sed pro conditione materiæ maleficæ effinxisse: neque easdem res creatas pro arbitrio suo regere & gubernare, sed causas & eventus rerum se mutuo & necessario nexu consequentes juxta leges, quas semel pro conditione materiæ scripsit, & quas immutare nequit, sed sequi cogitur, tantum spectare; atque ita à materiâ quoad potentiam modumque operandi in primo rerum conditu dependisse, & jam postquam fata scripsit eventorum in æternum decurrentium otiosum adsidere spectatorem, impiè statuunt. Hi itaque homines adeò impotentem originis nostræ authorem assignantes, à falsâ causâ fontem mali arcessentes, atque illud ab ipso conditu à materiæ pravitate naturæ nostræ, velut rubiginem æri & sordes corpori, insitum esse asserentes; nonne apertè docent nos naturæ adeò imperfectæ esse conditos ut inevitabilis errandi incumbat necessitas, imò ut in omnibus necessariò sit erroris & falsi suspicio.

Præter Stoicos etiam alii sunt, qui Fatum à stellis derivant, putantes ordinem quendam cohærentium causarum à sideribus necti, à quibus omnia durâ necessitate regantur, ità ut quicquid positio sive constitutio siderum portendat, ut ajunt, inevitabiliter eorundem efficaciâ eveniat. Ex iis autem qui tale Fatum statuunt, alii illud à Dei voluntate eximunt, ita ut ab astris tanquam causis solitariis omnia fiant & gubernentur: hi manifestò impii omnem religionem evertunt, idque agunt, ut nullus omninò colatur &

rogetur Deus. Alii Divinæ voluntati illud subjiciunt quidem, sed ità tamen ut proximè ab astrorum influxu res omnes actionesque humanas dependere statuant, ab eorum enim influentiâ & constitutione durâ necessitate omnia regi & effici statuunt abominando errore. Nervosè hos Fati Astrologici fabros refutat insignis Philosophus Nemesius, quem suâ linguâ eruditè differentem audiamus: Οἱ τῇ περιφορᾷ τῶν ἄστρων τὴν αἰτίαν τῶν γινομένων πάντων ἐπιγράφοντες, οὐ μόνον ταῖς κοιναῖς ἐννοίαις ἀπομάχονται, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν πολιτείαν ἄχρηστον ἀποφαίνουσιν. ἄτοποι μὲν γὰρ οἱ νόμοι· περιττὰ δὲ τὰ δικαστήρια κολάζοντα τοὺς ἐναντίους· παράλογοι δὲ οἱ ψόγοι καὶ οἱ ἔπαινοι· ἀνόητοι δὲ καὶ αἱ εὐχαὶ πάντων καθ' εἱμαρμένην γινομένων. ἐξορίζεται δὲ καὶ πρόνοια μετὰ τῆς εὐσεβείας πρὸς τῷ καὶ τὸν ἄνθρωπον ὄργανον μόνον εὑρίσκεσθαι τῆς ἄνωθεν περιφορᾶς· ὑπὸ ταύτης γὰρ κινεῖσθαι πρὸς τὰς πράξεις οὐ μόνον τὰ μέρη τοῦ σώματος, ἀλλὰ καὶ τὰ τῆς ψυχῆς διανοήματα· καὶ ὅλως οἱ ταῦτα λέγουσιν, τῷ ἐφ' ἡμῖν συναναιροῦσι καὶ τὴν τοῦ ἐνδεχομένου φύσιν· καὶ οὕτως οὐδὲν ἄλλο ἢ τῷ παντὶ λυμαίνοντας· ἄδικοι δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ ἀστέρες, τοὺς μὲν μοιχοὺς, τοὺς δὲ φονέας ἀπεργαζόμενοι· καὶ πρόγε τούτων ὁ δημιουργὸς αὐτῶν Θεὸς τὴν αἰτίαν ἀποφέρεται εἰ τοιαῦτα κατεσκεύασεν ἃ τῶν κακῶν ἡμῖν τὴν ἐπιφορὰν ἐξ ἀνάγκης ἐπιτίθησιν, ὡς μὴ μόνον ἐπὶ τῆς πολιτείας ἵστασθαι τὴν τούτων ἀτοπίαν, ἀλλὰ καὶ τῶν μεγίστων κακῶν ἀποφαίνειν αἴτιον τὸν Θεὸν· πρὸς τῷ καὶ ἀδύνατον ἀποδείκνυσθαι τὴν ὑπόθεσιν αὐτῶν: ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὔτε ἀκούειν ἀνάσχετον, πρόδηλον ἔχοντα τὴν ἀτοπίαν καὶ βλασφημίαν. id est, *Qui astrorum circumventioni causam omnium quæ fiunt assignant, non solum communibus notionibus adversantur; sed etiam omnem Reip. administrationem inutilem reddunt. Absurdæ enim leges, supervacanea judicia, quæ pœnam ab iis exigant, in quibus nulla culpa sit. Vituperare quoque & laudare nulla ratio est. Nullus etiam usus est precum, si omnia fato administrantur: ac præterquam quod instrumentum tantum cœlestis circumvectionis homo reperitur, etiam exterminatur cum religione providentia: siquidem à cœlorum motibus non solum partes corporis, sed etiam animi cogitationes ad agendum, impelluntur. Denique qui ista differunt*

ſerunt, unà cum liberâ voluntate, contingentis naturam tollunt, & ſic nihil aliud agunt, quam quod univerſa labefactant. Iniqua etiam aſtra, quod alios mœchos, alios homicidas efficiunt; & præ his, architectus eorum Deus culpam feret: ſi ejuſmodi fecit, quæ mala nobis neceſſariò importarent, ut horum inſulſitas non modò in Repub. verſetur, ſed etiam graviſſimorum malorum cauſam Deum efficiat. Quanquam fieri nullo modo poſſe, quod defendunt, ratio convincit. Verum iſta ne aures quidem noſtræ ferre debent, quæ perſpicuè abſurda ſunt, & de Dei majeſtate detrahunt. Erudita hæc diſſertatio ſolidiſſimis rationibus quodcunque Fatum convellit, & quanta ſit impietas, vel aſtris vel aliis rebus naturalibus vel materiæ res omnes duræ neceſſitati alligare, dilucidè oſtendit. Sed noſtri inſtituti ratio non patitur hæc latius exequi; ſiquis plura deſiderat, conſulat Auguſtinum & Vivis ac Coquæi in eum notas, plurimoſque alios. Nos verò ad ſcopum noſtrum revertamur & paucis oſtendamus ex hoc Fato Aſtrologico minimè infallibilem humanæ naturæ conditionem, ſed multis inevitabiliter erroribus obnoxiam induci. Ipſi enim hujus Fati aſſertores, etiam illi qui Divinæ voluntati illud ſubjiciunt, ex maleficâ & inobſequente materiâ à Deo contextum eſſe volunt fatalem illum ordinem & cauſarum ſeriem; quæ in res humanas vi ſtellarum influit, eaſdemque efficit & dirigit. Si autem ipſa cauſa ſit mala & vitiis infecta, quâ ratione effectus ab ea dependentes, inter quos quoque juxta ipſos cogitationes humanæ ſunt, non plurimis & erroribus & defectibus eſſent obnoxii? Deinde quandoquidem influxus ille (quem revera figmentum eſſe probavimus, ſi tamen ponamus dari,) indies imò in ſingula penè momenta ob intervenientes varias cauſas variatur; ipſas quoque mentis cogitationes, intellectum & voluntatem, quoniam, juxta eos contra quos agimus, ab illo influxu dependent, continuæ variationi ſubiectas eſſe neceſſariò conſequitur, adeò ut quæ modo evidentiſſima veritas fuerit viſa & ſumma certitudo judicata, mox rurſus falſitas error aut ſaltem dubia exiſtime-

De C.D. lib. v.

ſtimetur eſſe opinio; atque ita nihil certi, nihil firmi, nihil manſuri in diſciplinis & ſcientiis unquam erit. Et denique ſi aſtra efficiant alios mœchos, alios ſures, alios ſacrilegos, alios pios, alios impios, alios fatuos, alios ſapientes, imò omnia pro ſuis arbitriis agant & regant, quâ ratione quis certus eſſe poteſt ſe talem eſſe ab eiſdem factum, ut res rectè & prout in ſe ſunt percipiat, & non perpetuò ab illis falſis imaginationibus & fictis perceptionibus illudi?

Ridet itaque meritò hæc omnia Epicurus, qui tamen ipſe non minus à veritate naufragium fecit, dum omnia caſu fortuito ſine ullis cauſis contingere arbitratur: aut ſi ſunt ullæ cauſæ, non eſſe præter declinationem atomi. Prudenter Fato Caſum mox ſubjungit Carteſius, hic enim illi è diametro repugnat. Utrumque Lucanus explicuit lib. 2.

Sive pater rerum primùm deformia regna,
Materiamque rudem flammâ cedente recepit,
Finxit in æternum cauſas, quâ cuncta coërcet,
Se quoque lege tenens, & ſecula juſſa ferentem,
Fatorum immoto diviſit limite mundum.
Sive nihil poſitum eſt, ſed ſors incerta vagatur,
Fertque refertque vices, & habent mortalia caſum.

Notior Epicuri ſententia, quam ut explicatione indigeat, fingit enim ex Leucippo & Democrito delirus homo atomos cæcæ plagæ nexus & hamulos fortuito concurſu conglobatos, unde omnia ſponte emerſerint, Deum & Providentiam temerario auſu eliminans. Acriter Epicuri ejuſque ſequacium impietatem perſtringit auctor Libelli ad Jovium, quem Claudiano Mamerto, ſummo inter Chriſtianos Philoſopho, non ſine ratione aſſerunt; *Sed hanc ſententiam de illis obortam magiſtris, qui ſapientiâ ſuâ ſuperbi ſapientiam Dei quærere dedignati, à finibus veritatis exſules agunt, aſſertores opinionum ſuarum, qui miſſis per inane magnum* (Epicurum quaſi digito monſtrat) *mentibus evanuerunt, ſicut ſcriptum eſt & probatur, in cogitationibus ſuis, & pro ſuis arbitriis opera DEO & conſilia finxerunt. Illis mare*

vel

vel casu regi commoverique videatur, qui mundum istum aut sine Rectore vacuum, aut otiante neglectum Deo fortuitis lapsibus volvi disputant, ut nullo auctore compositum, ut nullo principio, ita nullo fine compositum. Et breviter Mar. Victor Poëta acutus & doctus lib. 1. Origenum:

Nam non, sacrilegi sensit quod lingua furoris,
Casus mentis inops, dum nescia semina volvit,
Tam prudens contorsit opus.

Boëthius quoque casum sine causarum connexione ut vocem inanem damnat: Ex professo autem Leucippi, Democriti, Epicuri eorumque asseclarum profanam opinionem convellit Firmianus libro de Ira Dei cap. IX. & X. quem adi sis, nos imus in rem nostram. Statuunt autem atomorum patroni ex atomis, particulis insecabilibus & minimis frustillis inter se fortuitô compactis omne genus corporum imò & mentes nostras fieri, ut conatur persuadere Lucretius. Doctrinam eorum ex opinione principis hujus sectæ expressit Galenus lib. 1. de Elementis. *Itaque atomi omnes, quæ exigua quædam corpuscula sunt omni prorsus qualitate vacant. Vacuum verò spatium quoddam est, in quo omnia ea corpuscula sursum atque deorsum agitata perpetuâ motione quandoque simul, secundum aliquem modum complicantur, nonnunquam mutua inter se collisione resiliunt, quo fit posteà ut ex hujusmodi eorum conventu & mutuæ concretiones fiant, atque iterum secretiones, unde voluit Democritus tum aliorum omnium tum nostrum quoque ipsorum coagmentari corpora atque eorum cùm affectus cùm sensus.* Impia quoque Epicuri sententia à Cicerone sub personâ Velleji proponitur, Lib. 1. de Nat. Deor. quem vide sis. Vesana autem horum nugonum opinio omnem sanè sensuum (à quibus infallibilem cognitionem derivare conantur) certitudinem protinus profligat & funditus evertit; quoniam enim ipsa nostra corpora & sensus, imò animos ex atomis coagmentatos esse, & cogitationes omnes ab eisdem procreari & excitari volunt, & simul atomos illas vago & incerto fluxu sine ullâ determinatione vagari asserunt, nonne apertè profi-

Lib. V. prof. 1.

Lib. III.

tentur ſenſus & cogitationes ex tam vagis principiis reſultantes perpetuo fluxui & mutationi eſſe obnoxios & in ſingula momenta pro diverſo atomorum allapſu & influxu variari, adeò ut nulla certa & ſtabilis ſit cognitio, ſed quod modò verum & firmum, modò iterum falſum & incertum videatur.

Cæterum præter eos, qui duræ fati neceſſitati & fortunæ caſibus omnia ſtolidè aſcribunt, reperiuntur & alii nugaces ſophiſtæ, qui mundum univerſum & ſingula quæ in eo reperiuntur in hoc ordine & εὐταξίᾳ ab æterno fuiſſe opinantur. Effingunt enim hi continuatam quandam ſeriem ſive perpetuam rerum ſucceſſionem, à Deo nullatenus dependentem, ſed ex naturali cauſarum colligatione immutabili & neceſſario nexu provenientem, adeò ut excluſâ creatione, decreto & providentiâ Dei per naturam ab omni ævo in concinnâ hâc diſpoſitione, in quâ jam ſunt, omnia fuiſſe & etiamnum hodiè fluere ac provenire, & in æternum continuatura & ſucceſſura eſſe ſtolidè comminiſcantur. Continuatam illam rerum ſeriem Fatum Phyſicum nonnulli appellant. Hinc Johannes Picus, Mirandulæ Dominus, quatuor veterum ſententias de Fato refert. *Alii*, inquit, *Fatum eſſe naturam dicunt, ut quæ electionis ſint vel caſus, extra fatum ſint, quemadmodum Virgilius ait* Didonem, quæ ſe occiderit, non mori Fato. *Et Cic.* 1. *Antonianâ.* Siquid mihi humanitus accidiſſet, multa enim impendere videbantur præter naturam, etiam præter fatum. *Hæc opinio eſt Phyſica eamque Alexander eſt ſecutus Ariſtotelis interpres. Altera ponit æternam ſeriem cauſarum neceſſariò nexarum. Tertia ſidera facit fata. Quarta Divini conſilii executionem.* Hæc autem eſt ordo rerum, cauſarum effectorumque, ſtatutus decreto & voluntate, ſcriptus in intellectu Dei, ſecundum quem omnia moderatur. Liber eſt iſte Fatorum, cujus toties meminerunt ſacræ literæ. Sed de hoc Fato fori noſtri non eſt ut agamus in præſens, nec illud reſpicit Philoſophus. De ſecundâ & tertiâ Fati ſpecie nempe Fato Stoico & Aſtrologico diximus, nunc de primâ Fati ſpecie quam naturam ipſam

ipsam sive continuatam rerum seriem ab omni æternitate fluentem à naturâ esse volunt disserimus, & quid ejus patroni esse statuunt, vidimus. Talem autem continuatam rerum seriem in rebus naturalibus dari censet Aristoteles; ille enim in hâc ornatâ & concinnâ digestione & dispositione cœlum & mundum universum omniaque in eo contenta ab æterno fuisse, multis in locis non obscurè docet, ut plurimi ex ipsis Peripateticis profitentur, existimatque res mundanas æternâ & necessariâ successione procedere & oriri ac interire. Hanc sententiam Proclus & Averroës amplexi fuerunt: & Pythagoræ eandem quoque asscribit togatorum Doctissimus Varro: *Et homines & pecora quum semper fuisse sit necesse naturâ, (sive enim aliquod fuit principium generandi animalium, ut putavit Thales Milesius & Zeno Cittieus, sive contra horum principium extitit nullum, ut credidit Pythagoras Samius, & Aristoteles Stagirites) necesse est humana vita à summâ memoriâ descendisse ad hanc ætatem, ut scribit Dicæarchus.* II. de R.R. cap. 1. Utrum verò Aristoteles illa quæ electionis sunt à naturali hâc serie eximat, an verò duræ necessitati alliget, (ut vult Cicero libello de Fato: *Ac mihi quidem*, inquit, *videtur, cum duæ sententiæ fuissent veterum Philosophorum, una eorum, qui censerent omnia ità fato fieri, ut id fatum vim necessitatis afferret. In quâ sententiâ Democritus, Heraclitus, Empedocles, Aristoteles fuit: Altera eorum, quibus viderentur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii: Chrysippus tanquam arbiter honorarius medium fieri voluisset: sed applicat se ad eos potius qui necessitate motus animi liberatos volunt*) non levis dubitandi ratio est; Stagirites enim maximoperè arbitrii libertatem, in Ethicis præcipuè, deprædicat & extollit. Sed hâc de re viderint ejus asseclæ. Impia sanè & absurda est hæc sententia, quæ ex causarum serie & connexione æternâ per naturam sine ope divinâ omnia necessariò evenire statuit, nam & fidei & rationi repugnat. Fidei quidem, quâ mundum & omnia quæ in ipso sunt ex nihilo creatum esse & providentiâ Divinâ gubernari intelligimus: rationi quoque naturali, quæ dictat duo æter-

na principia esse non posse, nec duò summè perfecta (mundus enim si ab æterno esset, æquè perfectus esset ac Deus) nec numerum individuorum ex.gr. hominum & animalium jam defunctorum & adhuc viventium & victurorum, nec non mentium humanarum ab æterno productarum & immortalium successivè infinitum. Sed hæc erronea ab aliis crebrò refutata est opinio, veniamus propius ad scopum nostrum, & an ex hac sententiâ ullatenus elici possit nos certam & infallibilem rerum habere cognitionem videamus. Posito itaque dari æternam talem rerum à naturâ successionem, per quam & mens nostra producta sit, cum illa natura citra respectum ad Deum sit bruta & cæca ac omnis rationis expers atque invalida, sequitur exinde, eam à causâ potentiori imò potentissimâ, qualis est Deus, in suis operationibus facillimè posse impediri; neque res intelligentes & rationis compotes, quales sunt mentes humanæ, posse producere. Nihil enim est in effectu, quod non formaliter vel eminenter sit in causâ: sed si quid natura per se seclusâ Dei potentiâ effectrice posset efficere, (quod absonum tamen est) illud brutum & omni ratione destitutum, atque ideò nec veritatis, nec falsitatis capax esset; atque ita mens humana omni prorsus intelligentiâ & perceptione ac judicio foret destituta, nedum ut res earumque veritates infallibiliter cognosceret, ut insulsè dictæ sententiæ patroni tuentur.

Atque ita ostendimus eos qui vel fatum vel casum vel continuatam rerum seriem introducunt potius stabilire & confirmare nos perpetuis erroribus & à verò aberrationibus esse implicitos, quam ut evincant certi aliquid & solidè veri à nobis percipi. Sed dantur fortassis adhuc alii qui nec fato, nec casu, nec continuatâ rerum serie, sed alio quodam modo nos productos esse contendent; variarum enim opinionum effingendarum nec finis nec modus est: suo enim quisque fruitur ingenio & pro vanitate cerebelli sui vana comminiscitur figmenta. Propterea addit Philosophus, *seu quovis alio modo me ad id quod sum pervenisse supponant, quo minus*

nus

nus potentem originis meæ authorem assignabunt, eo probabilius erit, me tam imperfectum esse ut semper fallar. Deprehendentur enim fortè qui nos à parentibus nostris quoad corpus & mentem productos esse contendent, existimantes mentes humanas ex traduce progenerari; nec deerunt quoque qui nos à nobis ipsis existere profiteri non verebuntur; quinimò deprehendentur & alii magis impii & deliri, quales sunt Manichæi, qui pestiferam foventes hæresin duo principia seu duos Deos commenti sunt, alterum bonum & boni authorem, alterum malum & mali authorem. Quem errorem è Gentilium lacunis hausisse videntur: Græci enim antiqui alia numina bona, quos θεοὺς ἀγαθοὺς, alia verò mala, quos κακοὺς δαίμονας & κακοὺς καὶ σκαιοὺς θεοὺς appellabant, effinxére. [*Arianus in Epicteto lib.* 1. *cap.* 22.] Romani quoque Veteres unum Deum bonum *Dijovem*, alium malum *Vejovem* coluére, ut præter alios Agellius rationem nominum Dijovis & Vejovis explicans docet, cujus inter cætera hæc sunt verba: [*Lib.* V. *cap.* XII.] *Quum Jovem igitur & Dijovem à juvando nominaßent; eum quoquè contrà Deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet (nam Deos quosdam ut prodeßent celebrabant, quosdam ne obeßent placabant)* Vejovem *appellaverunt demtâ atque detractâ juvandi facultate. Ve enim particula privativa est, quam Græci στερητικὸν μόριον dicunt, ut in vocibus* vesani *&* vecordes. *Est autem etiam ædes* Vejovis *Romæ inter arcem & capitolium; & simulachrum in illâ æde Dei Vejovis sagittas tenens, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum.* Hæc ille. Et hæc quoque Magorum apud Chaldæos & Persas vesana fuit opinio; his enim, ut scribit Suidas, Zoroaster præerat, qui duos statuit Deos bonum & malum, quorum illum Ὠρομάζην, hunc Ἀρειμάνιον vocâsse tradit Plutarchus. [περὶ Ἰσιδ. καὶ Ὀσιρ.] Hesychius quoque Plutonem seu Ditem patrem à Persis Arimanem dictum fuisse author ést. Et Pythagoræ idem dogma asscribitur, cujus hæc opinio traditur: [*Euseb. de Præparat. Lib.* XIV.] Τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα θεὸν, καὶ τὸ ἀγαθόν· τὴν δὲ δυάδα, καὶ δαίμονα καὶ κακόν. *Principiorum alterum esse Unionem, id est, Deum & bonum: alterum indefinitum Binionem id est Dæmonem & malum.* Sed

omnes hæ à vero deviæ opiniones, & illa quæ nos à parentibus ortos esse statuit, & illa quæ nos à nobis ipsis productos esse & conservari sustinet, & hæc postrema maximè impia de Deo bono & fonte boni, & de Deo malo & fonte mali, falsissimæ inquam sunt, ut de primâ & secundâ in Medit. III. dedit Philosophus demonstratum; tertia verò tam à ratione aliena & à vero absona, ut suâ se absurditate perimat & Christianis auribus meritò abominanda sit, utpote qui norunt Deum unum eumque summè bonum esse, & cætera omnia in principio ab illo T. O. M. bona esse creata & producta. Quam veritatem & Plato perspectam habuit: Ὁ θεός τε, φησὶ, καὶ πάντα τὰ τοῦ θεοῦ, πάντῃ ἄριστα ἔχει. *Deus & omnia quæ à Deo, semper & ubique optimè habent.* Diabolum autem primùm auctorem sui sibi mali fuisse, nostri suasorem. Sed quem Deus primitus bonum fecit & liberi sui arbitrii, quo elegit malus esse. Malum itaque, ut cum Damasceno loquar; τῆς αὐτεξουσίου γνώμης τοῦ διαβόλου εὕρημα. *Spontaneæ voluntatis Diaboli inventum.* Hoc & impulsore, liberi tamen arbitrii sui electione homo quoque in malum se præcipitem dedit. Mali itaque culpæ & delicti primus autor Diabolus, & post eum homo, *Quod itaque homines Diaboli filii nascuntur non est imputandum creationi, ut sentiunt Manichæi, sed peccati vitio*; verissimè scripsit magnus Calvinus in v. 44. Joh. 8. Sed demus (utut falsissimum) nos à nostris parentibus esse progeneratos vel à nobis ipsis productos; an exinde evincere valent nos certam alicujus rei notitiam habere? Neutiquam. Nam cum & parentes nostri & nos ipsi variis imperfectionibus sumus obnoxii; nonne inevitabiliter consequitur nobis errandi necessitatem incumbere, qui à causis adeò imperfectis producti sumus, & suspicio meritò oritur, nos & semper falli & in perpetuis errorum tenebris versari. Quò enim causa est imbecillior, eò imbecilliorem effectum ab eo proficisci necesse est. Veluti enim artifex quò imperitior eò quoque opus magis imperfectum efficit, ita quoque & hic comparatum est, ut quanto à causis minus perfectis producti

Lib. IV. XXI.

cti ſumus, tantò & ipſi imperfectiores exiſtamus. Atque ita ſatis patet, ſi minus potentem & perfectum, quam Ens ſummè perfectum, Deum inquam illum παντοκράτορα, originis noſtræ authorem introducamus, graviſſimas, imò ineluctabiles de rebus omnibus dubitandi oboriri rationes. Nihil autem ſpei reliquum erit ad veritatem ullâ in re unquam perveniendi, ſi cum Manichæis nos à malo genio creatos eſſe impiè & ſtolidè ſtatuamus. Quippe à patre illo tenebrarum omnimoda erit ignorantiæ caligo, profundiſſimæ errorum abyſſi, malorum inextricabilis ilias, imò ipſius veritatis, ſiquà reliqua eſſet, flagrantiſſimum odium. Sed cum Deum omnipotentem creatorem noſtrum agnoſcimus, illa quidem dubitandi ratio ſola hactenus ſupereſt, (quam ſcilicet nondum ordine philoſophandi rectè ſolvere poſsumus, quoniam Dei natura nondum ſatis perſpecta eſt, ſed quam poſtea diſſolvemus, & ex natura Dei fallere neſciâ falſam eſse evincemus) nempe hæc; anne Deus pro abſolutâ ſuâ & illimitatâ potentiâ nos forte tales creavit, ut in omnibus fallamur. At ſi minus potentem ipſo Deo originis noſtræ authorem aſſignemus, propterea quod ipſe, ut dixi, imperfectionibus obnoxius eſt, non potuit ille nos alios quam imperfectos producere; & quò ipſe erit imperfectior, eò nos quoque imperfectiores erimus, imò perpetuis erroribus obnoxii. Unde dilucidè apparet, nullam extra veri ſummique Dei noſtri creatoris cognitionem firmam & ſtabilem eſſe ſcientiam. Verè itaque Carteſius ſexto Opponenti reſpondit, *facile eſſe demonſtrare ſcientiam Athei non eſſe immutabilem & certam. Nam quò minus potentem originis ſuæ authorem aſſignabit tantò majorem habebit occaſionem dubitandi an forte tam imperfectæ ſit naturæ, ut fallatur etiam in iis, quæ ſibi evidentiſſima apparebunt, illoque dubio liberari nunquam poterit, niſi à vero & fallere neſcio Deo ſe creatum eſſe prius agnoſcat.* Num. 4.

Atque ita fuſius diduximus & oſtendimus non dari firmam & ſtabilem notitiam ſine cognitione veri Dei. Sed quum Philoſophus qui ſummam in ſuis Meditationibus ſe-

ctatur

ctatur ἀκρίβειαν, nondum eò devenerat, ut hos homines solidè refutaret, quod nos tamen per anticipationem breviter fecimus, ut ostenderemus quis authori scopus sit, & ut imperitis quadantenus succurreremus & malevolis fallæ interpretationis ansam præcideremus. Quid autem ad modò allata impiorum ratiocinia author, quid respondet his impiis delirisque nugonibus? Nihil quidem hoc loco & tempore. Nam quoniam ab unâ parte in illas angustias ex hypothesi protanorum ratiocinando redactus est, ut vel summum & omnipotens Ens ponat, quod fortè talem ipsum creavit, ut in omnibus fallatur, adeo ut, quamvis videatur esse cœlum, terra & reliqua corpora, revera tamen nulla sint: vel ut summum illud Ens cum impiis & carnalibus hominibus neget; propendet omninò Philosophus ad opinionem menti ab ipsâ origine insitam, nempe ut asserat Deum esse, à quo ipse talis qualis sit est creatus, ut ex antecedentibus palam est: sed quoniam metuit vel potius se metuere fingit, quia supponit aut potius simulat, ex ordine methodi quam sibi præscripsit, Dei naturam se nondum habere exploratam, an forte fallere nescia & omnimoda bona sit, vel an fallax sit, & an ipse talis sit ab illâ creatus, ut in evidentissimis quoque erret; hinc affirmare nondum audet (Philosophum enim nihil nisi quod clarè distinctéque percepit affirmare decet) Deum dari à quo talis qualis est sit creatus, metuit enim ne forte talis sit, qui in omnibus fallatur. Et quoniam ab alterâ parte homines carnales & impii tot inexplicabilibus difficultatum nodis animum ipsius constringunt & innumeris telis caput petunt, ut licet studeat excipere & evitare ipsorum ictus, quod hactenus ex cognitione ab ineunte ætate sensuum beneficio acquisitâ pro viribus fecit, jam tamen non amplius quod excipiat, & quâ ratione ictus illos impetentium retorqueat invenire valet; sed dubiorum plena videntur esse omnia; et nisi certiora quam vetera cognitionis detegantur principia, nihil unquam reperietur quod his hominibus responderi possit. Coactus itaque fuit Philosophus, donec

alia

alia & magis certa atque ad veritatem eruendam & defendendam magis efficacia, quam prisca sunt Philosophiæ fundamenta, detexerit principia, juxta eorundem impiorum hominum hypothesin concludere, Nihil omninò esse ex iis quæ olim vera putavit, de quo non liceat dubitare. *Quibus sanè*, inquit, *argumentis non habeo quod respondeam, sed tandem cogor fateri, nihil esse ex iis, quæ olim vera putavi, de quibus non liceat dubitare.* Sed ut sæpius monui rursumque moneo, non seria hæc & ex ignorantiâ aut fluctuatione mentis profecta est dubitatio; sed concessio, quâ ad tempus suas adversariis largitur sententias, ait enim quod *liceat dubitare*, donec ostenderit aliâ viâ se tamen obtinere posse & jam obtinuisse, nempe aliis indubitatis principiis superstruendo suas demonstrationes, quod omninò Deus sit, qui minimè fallax est nec deceptor, sed fons omnis boni & luminis, à quo omnis scientia & sapientia, tanquam à solo sapiente luminum Patre emanat. Sed non deërunt procul dubio, quod & ipse præsagiit Philosophus, qui eum inconsideratæ præcipitantiæ & levis inconstantiæ reum agent, quæ vitia à Philosopho longe abesse oportet: inquient autem hominis esse temerè judicantis de rebus, nempe ab intellectu nondum evidenter perceptis, imò fluctuantis atque inconstantis ingenii esse ad quasvis objectiones & rationes etiam parvi ponderis à suâ sententia dejici, & illud mox rejicere, quod adeò firmiter creditum fuit. Sed respondet Philosophus, se neutiquam inconsiderantiæ & levitatis accusandum esse, neque his vitiis seductum secus de rebus judicare quam in antecessum fecit, sed propter validas & meditatas rationes se animi sententiam mutâsse, ut jam dubia esse judicet, quæ antea verissima esse putabat; *idque non per inconsiderantiam vel levitatem*, inquit, *sed propter validas & meditatas rationes.* Et professò illæ rationes jam anteà adductæ, & ex Scepticorum Atheorumve hypothesi propositæ, satis validæ sunt ad cogendum nos ut dubitemus, quod ipsæ dubiæ sunt, nec proinde retinendæ. Atque validæ quidem sunt, quamdiu nullas alias habemus, quæ dubita-

bitationem tollendo certitudinem inducunt. Et quià tales in primâ Meditatione, quantumvis circumspiceret, & meditaretur juxta suam methodum, nullas inveniebat Philosophus, idcirco eas quas habuit, ad dubitandum dixit esse validas & meditatas. Et rursus alio loco septimo opponenti respondens Cartesius exponit, cur se propter validas & meditatas rationes dubitâsse dicit, inquiens: *Dixi sub finem primæ Meditationis, nos posse de iis omnibus, quæ nunquam adhuc satis clarè perspeximus, dubitare* ob validas & meditatas rationes: *quia nempe ibi tantum agebatur de summâ illâ dubitatione, quam sæpe metaphysicam, hyperbolicam atque ad usum vitæ nullo modò transferendam esse inculcavi; & ad quam id omne, quod vel minimum suspicionis afferre potest, pro satis validâ ratione sumi debet.* Nec est quod quis cum Gassendo objiciat non opus esse ut validas & meditatas ad dubitandum conquiramus rationes, sed sufficere hoc in loco humanæ mentis caliginem, aut nostræ naturæ imbecillitatem causari. Respondimus enim jam ante cum Philosopho nihil prodesse ad errores nostros emendandos, quod dicatur nos errare quià mens nostra caligat, vel natura est imbecilla: idem enim est ac si diceretur nos tantum errare quia sumus erroribus obnoxii; & manifestè est utilius attendere, uti factum à Philosopho, ad omnia in quibus potest contingere ut erremus, ne ipsis temerè & sine justo examine assentiamur. Hinc itaque infert & concludit Philosophus, quoniàm nondum ex ordine philosophandi eò devenit, ut nova principia detecta sint; & quoniàm nihil interim habet quo Scepticos & Atheos convincat; illis falsas suas sententias ad tempus esse concedendas, donec certi aliquid inventum fuerit, quo solidè refutentur; has enim ob rationes ait, *non minus à dubiis, quam ab apertè falsis accuratè deinceps assensionem esse cohibendam, siquid certi velim invenire.* Ne quis enim ansam calumniandi arripiat, ac si Scepticam diffidentiam & nimiam semperque durantem dubitationem vellet introducere, atque ita pronam ad Atheismum & Scepticismum viam sternere, finem assignat

nat quare hæc dubitatio seu assensionis cohibitio admittitur, & quamdiu durare debet, nempe *donec certi & veri ac firmi quid eruatur.*

Atque ita Philosophus ostendit dubitandi de omnibus quandam esse necessitatem, quoties de rerum indubitatâ veritate inveniendâ laboramus, omnesque opiniones veteres, etsi probabiles, ut falsas tamen esse ad tempus abdicandas; de rebus autem sensibilibus dubitandum quoniam sensuum infirmo & fallaci nituntur judicio & proinde ut præjudicia id lata est ante justum examen judicia exuenda & emendanda: de Demonstrationibus quoque Mathematicis, quoniam hæ (etsi nec præjudiciis nec sensuum judicio nituntur) ob aliàs rationes supra allegatas fortassis possunt esse falsæ, dubitamus, ut nobis ipsis certitudinem inconcussam obtineamus. Dubitandum quoque de Deo ejusque existentia non propter nos ipsos, sed propter Scepticos & Atheos, utpote quos per veteris Philosophiæ principia convincere non possumus, ut ita dubitando ad tempus cum illis & ratiocinando; certis tandem demonstrationibus, novis eisque solidis fundamentis superstructis, eos veritati assentiri faciamus.

Pergit porrò admonetque Philosophus ut memori & tenaci mente retineamus curamque adhibeamus, ne unquam illam dubitandi sive assensionis cohibendæ necessitatem negligamus neque oblivioni tradamus, veteres opiniones ut falsas necessariò esse rejiciendas, donec ad aliquam firmam fixamque veritatem pervenimus; *Sed nondum sufficit*, inquit, *hæc advertiße, curandum est ut recordor.* Hujusque suæ admonitionis triplicem assignat rationem; prima est ab obstaculo, quod nobis philosophantibus & veritatem inquirentibus assiduò creabunt, desumpta; quoniam continuò recurrentes remoram injicient, adeò ut mens nostra in veritate inquirenda neutiquam pergere, neque ad certam solidamque cognitionem à veteri falsâ vel dubiâ opinione pervenire unquam possit, *assiduè enim*, ut ait, *recurrunt consuetæ opiniones:* altera ratio ab inevitabili continuæ seductionis periculo deprompta est, quoniam consuetæ illæ opiniones

niones mentem nostram diuturnâ ab ineunte ætate consuetudine & familiari usu, invitis pene nobis, obsessam tenent & seducunt; proinde pergit: *occupantque credulitatem meam tanquam longo usu & familiaritatis jure sibi devinctam, ferè etiam me invito.* Tertia ratio est, quoniam spes nulla reliqua erit veritatis unquam eruendæ & obtinendæ ac veteres opiniones excutiendi, sed tenacissimè infixæ & irradicatæ hærebunt, ut nunquam illis assensum in posterum denegare valeamus, nisi maturè & in ipso philosophandi principio eas abdicemus; *nec unquam*, scribit, *iis assentiri & confidere desuescam.* Adeo noxia igitur est temeraria illa consuetis priscisque opinionibus adhærendi credulitas: quoniam difficile est ut alibi quoque dicit Philosophus, quicquid firmiter nobis ab ineunte ætate persuasimus, quantumvis postea falsum esse demonstretur & rationibus solidis ostendatur, ab opinione nostra delere; nisi diu & frequenter ad rationes istas attendamus. Sic, exempli caussa, ideam solis, ab ineunte ætate per sensus haustam, per quam nobis valdè parvus apparet, ægerrimè deponimus; etsi ex rationibus Astronomiæ id est ex notionibus innatis elicitam deinde consequamur veram ideam, quæ illum terrâ aliquoties majorem exhibet. Quam veritatem ipse Tullius perspexit summumque dedecus ipsi Naturalium rerum indagatori esse dixit ab animis consuetudine imbutis veritatis testimonium petere. *Nonne pudet*, cum emphasi interrogat, *physicum* id est *speculatorem venatoremque naturæ, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis?* Quantò magis illa temeritas abesse debet à metaphysico id est exquisitissimo rerum intelligibilium speculatore. *Quemadmodum enim*, rursus verba Ciceronis mea facio, *cum sanguis corruptus est; aut pituita redundat, aut bilis in corpore, morbi ægrotationesque nascuntur. Sic pravarum opinionum conturbatio, & ipsarum inter se repugnantia, sanitate animum spoliat, morbisque conturbat.* Et tanto itaque atque tam gravium rationum pondere adductus & motus philosophus concludit non tantum esse *supponendum opiniones veteres*

De Nat. Deor. Lib. 1.

Tuscul. Quæst. Lib. 4.

teres esse quodammodo dubias, quales revera sunt, sed nihilominus valdè probabiles, & quas multò magis consentaneum sit credere, quam negare. Sed necessariò ut omnino falsas esse rejiciendas. Neutiquam tamen ex dictis sequitur, ut aliqui perperam existimant, Cartesium omnes opiniones veteres in se falsas esse contendere, adeò ut nunquam eas rursus assumere velit vel possit, nam disertè ipse dicit Septimo Opponenti: *Nihil obstare, quominus, etsi fuissent abdicatæ cum dubiæ erant, possent tamen resumi posteà, cum veras esse constaret.* Quoniam enim, siquas veras opinones, antequam seriò philosophemur, habeamus, eæ tamen adeò multis aliis, vel falsis, vel saltem dubiis sunt permistæ, ut, ad illas ab his secernendas, optimum sit omnes rejicere, sive nihil planè ex iis non abdicare, ut posteà quæ veræ fuerint, agnosci, vel novæ inveniri, ac solæ veræ admitti possint. Quod planè idem est ac si dixisset, ad cavendum ne in canistro, vel corbe pomis pleno aliqua corrupta haberentur, principio omnia esse effundenda, nihilque prorsus relinquendum; & deinde ea sola, vel resumenda, vel aliunde assumenda, in quibus nullum vitium esse cognosceretur.

Atque ita demonstratâ necessitate abdicandi ad tempus omnia, & indicato fine quare id fieri opus sit, medium indicat Philosophus & modum, quo optimè & felicissimè eam omnium opinionum veterum eversionem instituere possimus; nempe ut mens pro libertate illâ, quam in se experitur, voluntatem prorsus in contrariam partem deflectat, quam antea inclinabat. Nam uti baculum curvum in contrarium recurvamus, ut rectum reddamus; ita voluntatem perversam in judicando, ut rectè judicare assuescat, in contrariam partem flectere oportet, & proinde pergit Philosophus: *Quapropter, ut opinor, non malè agam, si voluntate planè in contrarium versâ meipsum fallam illasque aliquamdiu omninò falsas imaginariasque esse fingam.* Nec est quod quis putet nobis potestatem ita flectendi voluntatem deesse; siquis enim penitus eam consideret, facile experie-

tur sibi inesse eam libertatem, ut semper ab iis credendis, quæ non planè certa sunt & explorata abstinere possit; & si fidem unquam dubiis vel falsis adhibuerit, fidem illam ab illis posse avelli, etsi id ob longam credendi consuetudinem difficulter fiat & non nisi cum luctâ quâdam. Sed nec hoc prætereundum quod Philosophus dicit *meipsum fallam illasque* (opiniones veteres) *omninò falsas imaginariasque fingam*. Non affirmat omnes illas opiniones esse revera falsas, sed cum dicit fingam & me ipsum fallam, satis apertè fatetur ex eis quasdam posse esse veras, etsi ob graves dubitandi rationes dubiæ redditæ fuerint, id est tales de quibus graves dubitandi rationes moveri possunt. Ipse autem quærit tales, quæ ab omni dubitatione eximuntur nec ullâ contrariâ ratione labefactari possunt, uti ex. gr. primum illud cognitum, *Ego cogito, ergo sum*, nulli amplius dubitationi est obnoxium; nemo enim potest dubitare amplius an existat, dum dubitat. Ac illud quoque notandum Philosophum modestè admodum dicere; *Quapropter, ut opinor, non malè agam*. Non quod certus non fuerit, se omninò optimè agere ad veritatem feliciter eruendam, ut mentem in contrarium vertat: sed ita humiliter de se sentit, & figurâ quæ λιτότης à Rhetoribus appellatur modestiam ostendit & altercandi ansam præcidit, permittitque ut quisque, cui non placet hæc methodus, suo fruatur ingenio & judicio; dum ipse interim, ut Cicero de se ait, *verum invenire sine ullâ contentione voluit; idque summâ curâ studioque conquirere*.

Cæterum nequis perperam interpretur hanc omnium veterum opinionum universalem abdicationem ac rejectionem, ac si in perpetuum duratura sit hæc voluntatis in oppositam partem declinatio, hinc indicat quamdiu illa usui esse debet, nempe *donec velut æqualis utrinque præjudiciorum ponderibus nulla amplius prava consuetudo judicium meum à rectâ rerum perceptione detorqueat*. Hic igitur est scopus, hæc meta istius dubitationis, ut mens quasi in æquilibrio ponatur inter vetera præjudicia, quæ revera sunt

talia

talia, & inter hæc nova ad tempus conficta, quod nempe omnia sint falsa. Nam quemadmodum baculi recurvatio non diutius durat, quam ad rectitudinem deductus fuerit: ita tamdiu tantum continuabitur hæc fictio seu voluntatis in contrarium flectio, donec nulla vetus consuetudo, nulla temeraria præcipitantia judicium à justo propositarum rerum examine, & per hoc à rectâ earundem perceptione detorqueat. Nam non aliam ob causam, nec diutius mentem quasi in æquilibrio suspensam tenere oportet, quam donec rectè ea, quorum veritas inquirenda est, percipiuntur; ubi percepta ita fuerint, ilicò in eam partem, quæ solidâ veritate præponderat, voluntas inclinanda perceptis assensum præbendo.

Ubi autem mentem nostram ad tale æquilibrium reduximus verè liberi & soluti erimus, integra obtinebitur à nobis potestas id quod verum est judicandi, nullâque amplius authoritate detenti vel præjudiciis anticipatisque opinionibus adstricti firmissimam certitudinem & veritatem eruemus. Audiamus egregia in hanc rem Ciceronis verba, quæ usum utilitatem & necessitatem examinis ab omnibus præjudiciis liberi summoperè commendant & urgent: *Neque nos studium exquirendi* (id quod cupimus) *defatigati relinquemus, neque nostra disputationes aliud agunt, nisi ut in utramque partem dicendo & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proximè accedat. Hoc autem liberiores & solutiores sumus, quod integra nobis est judicandi potestas, neque, ut omnia quæ præscripta, & quasi imperata sint defendamus, necessitate ullâ cogimur. Nam cæteri primum ante tenentur astricti, quam quid esset optimum, judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore ætatis aut obsecuti amico cuidam, aut unâ alicujus, quem primum audierunt oratione capti, de rebus incognitis judicant, et, ad quamcunque sunt disciplinam quasi tempestate delati, ad eam, tanquam ad saxum, adhærescunt. Sed nescio quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt, pugnacissimè defendere, quam sine pertinaciâ, quid constantissime dicatur, exquirere.* Acad. Quæst. Lib. IV.

Ne-

Ne quis verò hæc latiùs extendat, quam Philoſophi mens eſt, & opinetur aut cavilletur, quod hæc abdicatio & voluntatis in contrariam partem inclinatio etiam ſe extendat ad res in vitâ agendas; unde facilè accideret, ut pro nimiâ judicandi morâ multa non tantum negligeremus, ſed etiam ut prorſus inutiles ad actiones vitæ dirigendas evaderemus; hinc admonet Philoſophus additque ex hâc ſuâ dubitatione & voluntatis permutatione nihil periculi, nihil erroris eſſe ſequuturum, nedum ut per eam in Scepticorum nimiam diffidentiam & dubitationem incideremus; limitando hanc abdicationem & voluntatis permutationem ad res contemplationi ſubjectas, non ad res morales; inquiens: *Etenim ſcio nihil inde periculi vel erroris interim ſequuturum, & me plus æquo diffidentiæ indulgere non poſſe, quandoquidem nunc non rebus agendis, ſed tantum cognoſcendis incumbo.* Audiamus hanc diſtinctionem inter actiones vitæ, in quibus nulla voluntatis tranſmutatio locum habet, & inter inquiſitionem veritatis, in quâ ſolâ obtinet, ſeriò inculcantem Philoſophum, dum ſcribit in Reſponſionibus Quintis: *Quod enim dixi, omnia ſenſuum teſtimonia pro incertis, imò pro falſis eſſe habenda, omninò ſerium eſt: & ad meas Meditationes intelligendas adeò neceſſarium, ut quiſquis illud admittere non vult, aut non poteſt, nihil in ipſas reſponſione dignum objiciendi ſit capax. Sed advertenda eſt diſtinctio variis in locis à me inculcata, inter actiones vitæ & inquiſitionem veritatis. Cum enim de regendâ vitâ quæſtio eſt, ineptum ſanè eſſet ſenſibus non credere, planéque ridendi fuerunt illi Sceptici qui res humanas eo uſque negligebant, ut ne ſe in præcipitia conjicerent, ab amicis deberent aſſervari. Atque idcirco alicubi admonui* neminem ſanæ mentis de talibus dubitare; *cum autem quidnam certiſſimè ab humano ingenio cognoſci poſſit inquiritur, planè à ratione alienum eſſet eadem nolle ut dubia, imò etiam ut falſa ſeriò rejicere, ad animadvertendum alia quædam, quæ ſic rejici non poſſunt, hoc ipſo eſſe certiora, nobiſque reverà notiora.* Ex quibus verbis ſatis patet in philoſophandi legitimo ordine, ſub initium

tium feriò tantum ut falſa eſſe rejicienda omnia judicia à ſenſibus hauſta & per eoſdem formata; ſed ex hypotheſi tantum & ficte Dei exiſtentiam & demonſtrationes mathematicas ac principia per ſe nota, ut nempe Scepticos & Atheos validius convincamus. Et hinc fictam ſuam hypotheſin orditur, & verſâ in contrarium voluntate, averſâ nempe à rebus, quas anteà ut certiſſimas crediderat, eaſdem in præſens falſas & imaginarias eſſe fingit. *Supponam igitur*, inquit, *non optimum Deum fontem veritatis, ſed Genium aliquem malignum, eundemque ſummè potentem, & callidum, omnem ſuam induſtriam in eo poſuiſſe, ut me falleret: putabo cælum, aërem, terram, colores, figuras, ſonos, cunctaque externa nihil aliud eſſe quam ludificationes ſomniorum, quibus inſidias credulitati meæ tetendit: conſiderabo meipſum tanquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non ſanguinem, non aliquem ſenſum, ſed hæc omnia me habere falſò opinantem.*

Atque ut tantò facilius voluntatem abſtrahat à priſcis opinionibus eaſque non modo ut dubias, ſed probabiles tamen, verum etiam ut prorſus fictas falſaſque conſideret & rejiciat, hinc fictam comminiſcitur hypotheſin, nempe in omnibus & ubique ſe illudi & falli. Et primò quidem fingit à Genio aliquo malitioſo, ſummâ potentiâ ſummâque calliditate prædito & inſtructo, qui non modò hanc pravam in mente voluntatem fovet, ut nos velit fallere, ſed inſuper omnem in eo ſtudium & operam impendit, ut nos actu fallat. Cum enim Dei naturam (etſi ejus exiſtentiam ordine Philoſophandi nondum demonſtravit, nec eſſentiam probè inveſtigavit) per anticipationem ex opinione menti inſitam contemplatur, advertit & intelligit eundem non tantum eſſe ſummè potentem, ſed ſimul quoque bonum, cui ſeducendi voluntatem & quidem ex malitiâ profectam aſſcribere nefas ſit. Atque ideò Genium introducit ex antiquorum opinione, qui Genios appellârunt Spiritus ſive οὐσίας ψυχικὰς *ſubſtantias animatas*, Dæmones Græci, quià ſunt δαήμονες id eſt juxta Macrobium, *ſcientes futuri.* Plut. 1. de Plac. c. VIII.

Apolog. c. XXXII. turi. Tertullianus: *Nescitis Genios Dæmonas dici & inde diminutiva voce Dæmonia.* Lactantius Lib. 2. cap. XIV. *Hi Spiritus sibi Geniorum nomen adsumunt: sic enim Latino sermone Dæmones interpretantur.* Vulgatissima autem veterum sententia Genios à natali die unicuique asserentium. Menander:

> Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
> Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου.
> *Cuique genius jungitur mortalium*
> *Statim edito, moderator ut vitæ siet.*

Genium nempe Viris, Junonem fœminis; id est Genium marem fœminamque pro sexu assignabant. Hinc Plinius: Lib. VII. c. VII. *Singuli ex semetipsis totidem Deos faciunt, Genios Junonesque adoptando sibi.* Hi sunt curatores & inspectores actionum humanarum. Epictetum audi: *Deus*, inquit, *nos curat*, ἀλλ᾽ οὐδὲν ἧττον καὶ ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε, τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον ἀκοίμητον καὶ ἀπαραλόγιστον. *Sed nihilominus curatorem unicuique addidit suum cujusque Genium, & custodiendum eum sibi commisit: atque eum qui nec conniveat aut dormiat, quique decipi non possit.* Hi autem diversi, ut ajunt, sunt affectûs; alii Boni, alii Mali. Hos Trismegistus πονηρούς, Pravos appellat, Plutarchus κακοδαίμονας, & scriptorum vulgus. Hi mali, culti etiam ab antiquis, sed ut Vejoves, ut *Læva* Numina, & quos (Plinii verbis) *placatos trepido metu cupiebant.* Ita prava & mala, errores & vitia malo alicui Genio tribuit antiquitas, & si quis perverse faceret à dæmone seductum putabant. Odyss. κ.

> Τίς τοι κακὸς ἔχραε δαίμων
> *Malo quo Dæmone es usus.*

Et rursum Odyss. λ.

> Ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ, καὶ ἀθέσφατος οἶνος.
> *Læsit me Dæmon malus, & mala copia vini.*

Ex his itaque Geniis aliquem fingit inducitque, quæ causa principalis omnium errorum ac origo sit & vaferrimus seductor: neutiquam enim Deum verum ut deceptorem introducit

ducit heic loci Philosophus; audiamus ipsum: *Ineptum est, quod subjungit* (adversarius,) *Deum ut deceptorem cogitari.*; *etsi enim in primâ meâ Meditatione de aliquo deceptore summè potenti loquutus sum, nequaquam tamen ibi verus Deus concipiebatur, quia ut ipse ait, fieri non potest, ut verus Deus sit deceptor, quia implicat contradictionem in conceptu, hoc est, ex eo quod concipi non possit.* In Epist. ad Voet. par. v.

Malo autem huic Genio seductori adjungit tanquam causas administras & instrumentales, cœlum, aërem, terram, colores, figuras, sonos, cunctaque externa, id est res sensibiles earumque modos & accidentia, quæ hactenus pro dubiis habita, jam prorsus falsa & imaginaria esse fingit, & nihil existimat esse præter vana figmenta & ludibria, quibus impostor ille versutus tanquam phantasmatis illudit. Non secus ac si diceret; Non externa tantum omnia rejicio, & tanquam ludibria ac figmenta considero, sed insuper omnia mea membra partesque corporis, manus, oculos, carnem, sanguinem imò & sensum ipsum abdicabo & meipsum his omnibus destitutum esse reputabo, & quidem tam firmâ persuasione, ut existimem falsò hæc à me esse credita. Objecta itaque sentiendi fingit extra se nulla esse reliqua; & siquæ futura sint reliqua non nisi vana mali Genii esse ludibria, quinimò in se ipso nulla sentiendi organa esse residua, sed & seipsum objectum malo Genio decipiendum relictum esse. Cæterum ne calumniandi ansam sibi datam quis existimet, noverit hæc omnia per fictam falsamque hypothesin supponi & cogitari, ut disertè in antecessum monuit, inquiens, *meipsum fallam, illasque* (opiniones veteres & res per eas creditas) *aliquamdiu omninò falsas imaginariasque esse fingam*; atque ita speculabor, anne certa quædam occursura sit via ad solidam scientiam perveniendi, omnibus obstaculis & aberrandi diverticulis jam detectis & abscissis. Cæterum dicet quis ridiculum hoc Philosophi est institutum & irritum vanumque, nemo enim mentem in tantum à rebus corporeis abducere valet. Sed quid possint qui intentis meditationibus assueti sunt, ineptè hi homines

 judi-

judicant ipsi inexperti. Non hæc tantum sed longè minus credibilia potuisse aliquos historiæ referunt. Plinius Lib. 7. author est *Hermotimi Clazomenii mentem corpore relicto vagari fuiſse ſolitam, & quæ in longisſimis viderat regionibus notare.* Non arte tamen magicâ, sed intentissimis id effectum fuisse scribit meditationibus. Sed esto fabulosum hoc sit; minimè tamen fabulosum in seriis studiis & fervidissimis ad Deum precationibus mentem à corpore in tantum abduci, ut nullam hujus non modò non curam, sed nec sensum habeat. Sed non sufficit facta & ficta ad momentum corporum externorum membrorumque propriorum illa omnimoda rejectio; sed aliquamdiu defixâ meditatione huic inhærendum est: *Manebo obstinatè*, inquit, *in hâc meditatione defixus.* Nec inutilis futurus est iste labos, finem enim, quem intendimus hâc ratione obtinebimus, experiemur enim quousque cognitio penetrare & pertingere nostra valeat, an aliquid omnino certi ac veri possit eruere, aut si id non possit obtineri, ut hoc saltem, quod nos jam posse experimur ex rejectione illâ omnium, obtineamus, nempe ne unquam falsis assensum præbeamus, aut deceptori isti, genio licet versuto & callido & fallendi longo usu exercitato fidem adhibeamus, atque ut ita seducamur & erremus: hâc ratione enim, si verum invenire non licet, id quod vero tamen proximum est inveniemus, nempe immunitatem ab erroribus. *Atque ita*, inquit, *siquidem non in poteſtate meâ ſit, aliquid veri cognoſcere, at certè hoc quod in me eſt, ne falſis aſſentiar, nec mihi quidquam iſte deceptor, quantumvis potens, quantumvis callidus, poſſit imponere, obfirmatâ mente cavebo.* Generosus hic quoque Marci Tullii in studiis Philosophicis mens & conatus fuit, quamvis non pari cum Philosopho successu. *Etſi*, inquit, *omnis cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, eaque eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine causâ, & doctiſſimi, & antiquiſſimi invenire ſe poſſe, quod cuperent, diffiſi ſint: tamen nec illi defecerunt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus, neque noſtræ diſputationes quid-*

quidquam aliud agunt, nisi ut eliciant & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum sit, aut ad id quam proximè accedat. Nemo igitur vitio vertat, nemo malè interpretetur, quod tanto apparatu & conatu veteres falsas opiniones exuere & deponere conatus sit Philosophus, ut veri & certi quid erueret.

Denique epilogum subnectit hujus Meditationis primæ quam à difficultate operis scopique propositi desumit; *sed*, inquit, *laboriosum hoc est institutum*; sive enim librationem mentis in meditullio inter præjudicia & assumptas hypotheses consideres, difficilis illa; nam veluti trutina bilancis æquatis etiam utrinque in lancibus ponderibus ægrè in suâ libratione & statione retinetur, quin alterutra lancium propendeat, idem & menti accidit, æquatis enim licet præjudiciorum ponderibus ad alterutram partem facilè, accurato examine nondum instituto, deflectit; sive veritatis inventionem spectes, difficilis illa tum propter infirmitatem mentis nostræ tum propter varias difficultates, quibus ab aliis involuta detinetur. Amplificat autem hoc suum institutum laboriosum à contrariâ vitæ in desidiâ transactæ consuetudine, denuò se philosophum pelliciente; veluti enim qui à teneris delicatè & mollicellè in otio & deliciis enutritus est ægerrimè ad duros labores perferendos astringitur, haud secus mens nostra secura præjudiciis suis ab ineunte ætate indormiens, ægerrimè molestias has novas profundarum contemplationum sustinet, sed suavitate pristinæ consuetudinis seducta præjudicia usque & usque affectat, & in iisdem securè indormire avet; *Desidia quadam*, inquit, *ad consuetudinem vitæ me reducit.* Et denique concludens difficultatem propositi sui exaggerat similitudine hominis captivi de libertate somniantis, quâ dum in somno per imaginationem fruitur, ubi paulò post suspicari incipit se dormire timet expergisci, ne in carcerem, quem jam se effugisse putabat, se detrusum adhuc hærere revera experiatur, & hinc blandis somni illusionibus placidè indulget: haud secus accidit philosophanti & novas certioresque sententias quam priscas indaganti, quotidiè enim & ille in priscas relabitur opiniones, imò veretur ne ex somno

errorum, quibus securè indormiebat, expergefactus per dubitandi rationes & confictas hypotheses, molestam laborisque plenam in indagandis & eruendis aliis & veris sententiis vigiliam sustinere cogatur. Et quidem talem forte vigiliam, quæ non novâ veritatis luce irradiet mentem veritatis siti inflammatam, sed quæ in tenebris dubiarum opinionum propter difficultates jam motas animum detineat, quoniam eventus in hoc abdicationis statu adhuc est incertus, aut saltem nondum in quo ea dubitatio & abdicatio, tanquam in inconcusso aliquo fundamento sistetur, clarè apparet. *Nec aliter*, inquit, *quam captivus, qui forte imaginariâ libertate fruebatur in somnis, quum posteà suspicari incipit se dormire, timet excitari, blandisque illusionibus lentè connivet:* hæc est πρότασις similitudinis; sequitur ejusdem ἀπόδοσις: *sic sponte relabor in veteres opiniones, vereorque expergisci, ne placidæ quieti laboriosa vigilia succedens, non in aliquâ luce, sed inter inextricabiles jam motarum difficultatum tenebras, in posterum sit degenda.*

ME-

MEDITATIO II.

DE

Naturâ Mentis Humanæ: Quod ipsa sit notior, quàm corpus.

MEns intentis & diuturnis meditationibus hesternis (ad numerum enim dierum hebdomadis operosorum meditationes suas distinxisse philosophum in limine Med. 1. diximus) delassata, postquam nocturnâ quiete refecta vires recollegit, denuò animosè opus meditandi aggreditur, & circumquâque respicit, anne viam aliquam inveniat, quâ ex his difficultatum motarum tenebris liberata in gratam veritatis lucem pervenire valeat.

Orditur itaque secundam hanc Meditationem exaggeratione dubitationum, in quas hesternâ Meditatione conjectus est: *In tantas*, inquit, *dubitationes hesternâ meditatione coniectus sum, ut nequeam amplius earum oblivisci, nec video tamen quâ ratione solvendæ sint; sed tanquam in profundum gurgitem ex improviso delapsus ita turbatus sum, ut nec possim in imo pedem figere, nec enatare ad summum.*

Et quoniam tot & tam difficiles, tam meditatas & validas dubitandi rationes in medium produxit philosophus, eò quidem pervenit, ut facilè animadvertat veteres opiniones prorsus esse rejiciendas, uti easdem proinde omnes rejecit & abdicavit; neutiquam tamen adhuc, quod cupit, obtinuit: nam rejectis veteribus illis opinionibus nondum novas, quas jure amplectatur, videt, atque ità velut nudus & exutus vestimentis veteribus, quid agat, penè ignorat. Vetera & abjecta resumere prorsus indecorum esse facilè videt, nova unde habere possit, non apparet: quò se igitur

tur vertat, dubius hæret. Priſtinis enim fundamentis veteris Philoſophiæ disjectis, nova nondum poſuit, nec ubi ponat, invenit; quid agat, dubius animi pendet, & maximè conturbatus eſt. Non ſecus ac viator, qui per invia & avia in ſpiſſis tenebris iter facit, ubi ex inopinato in profundum puteum vel foveam illabitur animo quam maximè conturbatur & angitur, nec ubi pedem figat invenit, nec ad oram vel marginem, de quo decidit, enatare valet. Haud ſecus quoque philoſophus in hoc veritatis indagandæ itinere, ubi novam prorſus elegit viam, à veteri, utpote quæ ad veritatem nunquam perducebat, prorſus diverſam, eò perrexit, ut amplius quâ eundum ſit non videat, tot enim tam & denſis carduis & ſentibus viam obſitam eſſe deprehendit.

Cæterum, ut ut ſit, concludendum tamen eſt quid aggredi oporteat; ſi enim immotus conſiſtat, certè nunquam ad optatam veritatis metam pervenire valet, ſi retrò pedem reflectat, ad veteres falſas relabitur opiniones; concludit itaque pergendum eſſe, declaratque ſuum propoſitum in eâdem methodo inquirendæ veritatis perſeverandi & pergendi, nimirum dubia etiam pro falſis habendo, uſque dum certi aliquid eruatur, vel illud ſaltem, nihil eſſe certi. *Enitar tamen*, inquit, *& tentabo rurſus eandem viam, quam heri fueram ingreſſus, removendo ſcil. illud omne quod vel minimum dubitationis admittit, nihilo minus quam ſi omninò falſum eſſe comperiſſem, pergamque porrò donec aliquid certi, vel ſi nihil aliud, ſaltem hoc ipſum pro certo, nihil eſſe certi, cognoſcam. Enitar*, inquit, omnibus animi viribus enixè contendam, ut firmum fixumque ſolum retegam & fundamentum ſtabile ponam, cui novæ veriorisque Philoſophiæ ædificium ſuperſtruam, quod adeò firmum fixumque ſit, ut nullo unquam dubitationum impetu labefactari, nedum dirui poſſit.

Et quoniam nulla alia patet via, eandem quæ heri ingreſſus fui, rurſus tentabo, removendo & rejiciendo quidquid dubium eſt, imò quicquid vel in dubii ſuſpicionem incurrere poteſt, idque tantâ cum aſpernatione

tione ac aversatione ac si omninò falsum esse comperissem.

Cæterum hic objiciat quis cum Gassendo & septimo Opponente dicendo, hoc propositum Philosophi ad verum inveniendum non conducere, sed à vero prorsus abducere; nam si omnia omninò ut falsa rejiciantur, nihil, quod verum existimari possit, superfuturum esse, ideoque nihil certi unquam inveniri posse. Sed fallitur quisquis hunc scrupulum movet & mente fovet, nec finem scopumque Philosophi percipit; nam non rejiciuntur omnia ut falsa, in eum finem ut in perpetuum rejecta maneant, sed ut id quod inter falsa, aut si forte quid sit extra illa; ut id, inquam, post examen justum jam institutum, si verum esse deprehendatur, sine ullo erroris periculo resumi possit, & pro vero sine falsitatis mixturâ retineri & reservari, ut ita ex uno vero cognito & invento, reliqua quoque vera detegantur.

Et proinde dicit *pergam donec aliquid certi cognoscam*; ac si diceret: Substiti quidem in primâ Meditatione, cum mentem ab omnibus præjudiciis liberâssem, & æquatis utrinque præjudiciorum ponderibus eò perduxissem, ut ad rectam judicandi rationem apta esset; nunc autem ulterius procedam, & justo examine inquiram, an quid certi sit, & quodnam illud sit detegere conabor. Confirmat autem se in hoc proposito suo generoso Archimedis exemplo, cujus verba erant; δός πꙋ̃ στῶ κὰι κινήσω τὴν γῆν. Quod si enim Archimedes dato uno stabili puncto extra terram universam terram se moturum esse confideret; haud minor fiducia mentem Philosophi subit, detecturum se nempe plurimas & certas veritates, ubi una inventa fuerit. *Nihil nisi punctum*, inquit, *petebat Archimedes, ut integram terram loco dimoveret, magna quoque speranda sunt, si vel minimum quid invenero, quod certum sit & inconcussum.* Insistens itaque eandem, quam heri ingressus est viam remotionis omnium, brevem reiterationem seu ἀνακεφαλαίωσιν instituit eorum, quæ præcedenti meditatione per fictam hypothesin falsa &

imaginaria esse supposuit, & quæ hâc repetitione adhuc falsa esse fingit; atque ita rursus mens pro libertate suâ, quâ uti potest, ut imaginaria abdicat omnia externa objecta, cœlum, terram, figuras, colores, quæ omnia pro falsis habet; nec tantum quæ præsenti tempore cernere videtur rejectat, sed præterito quoque, quæ memoria suggerere videtur vana existimat esse mendacia. Quinimo juxta eandem fictam & ad tempus admissam hypothesin & organa sensuum & sensus ipsos se habere negat, corpus, extensionem, motum locumque nil nisi mera judicat esse figmenta. *Suppono igitur*, inquit, *omnia quæ video, falsa esse, credo nihil unquam extitiße eorum quæ mendax memoria repræsentat, nullos planè habeo sensus; corpus, extensio, motus, locus sunt chimæræ.* Omnia tamen hæc eo fine rejiciuntur, ut resciscat, an quid veri, certi ac inconcussi eruere valeat, cui disciplina firma ac solida philosophica cognitio tutò inniti possit.

Sed quum omnia modò recensita falsa sunt, & nil nisi vana figmenta, mendacia, chimæræ & imposturæ; uti supposuit & finxit & etiamnum supponit & fingit; quid igitur veri quid certi inveniri aut esse potest? Sanè omnis spes decollâsse videtur ad ullam unquam veritatem & certitudinem perveniendi, nam ex rejectis illis omnibus & pro dubiis imò pro falsis habitis illud videtur consequi; *Nihil esse certi*, ait enim: *Quid igitur erit verum? fortaßis hoc unum nihil eße certi.* Quæ Academicorum vox est, Scepticismo affinis; sed cum his facere nunquam philosophi mens fuit, utpote qui semper propositum habuit, & cujus unicus scopus & finis fuit, ut veri & firmi quid erueret, cui dogmata cætera sua & veritates tanquam solido fundamento superstrueret.

Et proinde denuò se recolligit Philosophus novasque resumit vires, & attentâ meditatione considerat, an plenam rerum omnium recensionem fecerit? ân non aliud quid detur, quod revera diversum sit ab omnibus modò recensitis, quod neutiquam in suspicionem dubitationis trahi possit,

&

& cujus existentia adeò clarè attendenti innotescat, ut ne Sceptico quidem dubitandi ratio relinquatur; hoc modo enim denuò meditando pergit: *Sed unde scio nihil esse diversum ab iis omnibus quæ jam jam recensui, de quo ne minima quidem occasio sit dubitandi?* Inquirit autem primò anne Deus aliquis existat, qui à dubiis illis & rejectis rebus sit eximendus, ut qui has cogitationes multiplices, quas meditando volvit, ipsi immiserit, ut causa prima & principalis. *Nunquid est aliquis Deus, vel quocunque nomine ipsum vocem, qui has cogitationes mihi immittit.* Ratio autem, quod primò de Deo inquirat, post res cæteras dubias & falsas jam fictas, hæc est, quod Deum nunquam rebus illis dubiis annumeravit, sed ab iisdem exemit, quoniam insita naturæ opinio eum dari dictabat, licet quidem propter Scepticorum & Atheorum argutias, quas refellere per vetera principia non poterat, ex eorundem hypothesi Deum forsan non esse ad tempus concesserit; id factum fuit, non ut iis assentiretur, sed ut eos validius posteà refutaret. Quantum enim ad ipsum philosophum attinet, tantum abest, ut Deum negaverit, ut ex insitâ in naturâ opinione immensam ejus potentiam respiciens, de aliis omnibus dubitandi causam eum esse censuerit. Quod tamen adeò indefinitè loquatur inquiens; *nunquid est aliquis Deus, vel quocunque nomine eum vocem?* exinde est, quod natura ejus philosophando nondum satis evidenter perspecta sit. Et in præsenti inquirens, an necessariò Deus sit causa cogitationum, quas jam animo volvit; non tamen hoc affirmare potest, quoniam nihil sine evidente ratione in hâc veritatis accuratâ investigatione admittendum est: quamvis itaque Deo neutiquam existentiam deneget aut denegare unquam potuerit vel voluerit, non tamen ex cogitationum sibi jam præsentium consideratione ea satis validâ & dilucidâ consequentiâ asseritur. Nam dubitandi de firmitate illius consequentiæ præsto est ratio: quorsum enim putatur Deus esse causa cogitationum istarum, cum fortassis ipse author & efficiens esse possit? *Quare verò*, inquit, *hæc putem*,

cum forsan ipsemet illarum author esse possim? Licet autem Dei existentiam superiori ratione evincere non possit, atque ita aliquid certi invenire; nondum tamen fortis athleta animum despondet, sed novas denuò recolligit vires, inquiritque iterum; annon igitur hoc verum sit, seipsum esse, quum cogitationum suarum author esse possit. Interrogat enim seipsum; *Nunquid ergò saltem ego aliquid sum?* Sed quo minus id affirmare audeat, obstat insignis difficultas, quam jam dubitando de omnibus, imò rejiciendo sensus & corpus suum proprium, sibi fecerat; *sed jam negavi*, inquit, *me habere ullos sensus aut ullum corpus*, quâ certitudine igitur affirmare jam possum me esse. Circumspicit tamen denuò nondum omni spe propriæ sui ipsius existentiæ demonstrandæ dejectus, annon etiamsi sensus corpusque nullum habeat, tamen existere possit, meditando enim & dubitando inquirit: *hæreo tamen, nam quid inde? sumne ita corpori sensibusque alligatus, ut sine illis esse non possim?* Cæterum etiamsi sine corpore & sensibus esse possit, non tamen adhuc exinde certò consequi videtur, quod existat; nam non modo corpus sensusque suos esse negavit, sed persuasit sibi nihil planè esse in mundo; *sed mihi*, inquit, *persuasi nihil esse in mundo*, *nullum cælum*, *nullam terram*, *nullas mentes*, *nulla corpora.* Sed ulterius adhuc ex seipso inquirit, an ex omnibus, quæ in mundo sunt, à se negatis, necessariò etiam sequatur se non esse: esto enim omnia illa non esse *nonne igitur* exinde necessariò consequitur rogat, *etiam me non esse?* Respondet autem sibi, nequaquam hoc sequi, sed contrarium prorsus, nempe se omninò esse, ex illâ enim persuasione existentiam suam certè demonstrari, *imò certè*, inquit, *ego eram*, *siquid mihi persuasi.* Qua enim ratione sibi quid persuadere potuisset, si prorsus nihil fuisset, & illo tempore, quo persuasit aliquid sibi, quod sive verum, sive falsum fuerit, non extitisset? Cæterum necdum in hâc certitudine satis securè videtur posse acquiescere, objicit enim sibi se in eo etiam forte falli, quod necessariò, dum persuadet sibi omnia supra commemorata non

non existere, ipse tamen existere debeat, posse enim forte se à Genio aliquo potentissimo & summè callido, quem dari supra ex hypothesi assumpsit, in eo etiam illudi; scribit enim: *sed est deceptor nescio quis summè potens, summè callidus, qui de industriâ me semper fallit*; unde autem constat quod præ summâ illâ suâ potentiâ, & fallendi peritiâ me in hoc ipso non fallat, quod existere me judicem, quoniam mihi aliquid persuadeo. Respondet autem fieri non posse, ut in hoc illudatur etiam à potentissimo & vaferrimo aliquo Genio deceptore, quoniam is quantacunque demum sit præditus potentiâ, nunquam efficere poterit, ut nihil sit, quamdiu se esse aliquid cogitabit, & hinc quasi triumphans exclamat: *haud dubiè igitur ego etiam sum, si me fallit; & fallat, quantum potest, nunquam tamen efficiet, ut nihil sim quamdiu me aliquid esse cogitabo*. Atque ita tandem ex profundo dubitationum gurgite victor emergit, & id certi invenit ac evincit, se licet omnia extra se falsa esse sibi persuaserit, licet cœlum, terram, mentes cæteras, cæteraque corpora, imò licet ipsos sensus suos corpusque suum negaverit, seipsum tamen dum sibi hæc omnia persuadet esse falsa, necessariò debere existere; & quantumvis in eo fallatur, quod ea nulla esse sibi persuaserit & falsò finxerit, propterea etiam, quià & dum hæc omnia cogitat, quià cogitat, necessariò debere existere. Et hinc infert illud indubitatum & inconcussum pronuntiatum sive axioma, quod nullâ, licet maximè enormi dubitandi ratione labefactari valet; sed quod cuivis ordine philosophanti primùm certitudine infallibili innotescit, Ego sum, Ego existo, sive voce profero, sive mente concipio, necessariò verum est. Concludit enim: *Adeò ut omnibus satis superque pensitatis* per diuturnas & attentas meditationes *denique statuendum sit hoc pronunciatum: Ego sum ego existo, quoties à me profertur vel mente concipitur, necessariò esse verum. Adeò ut Cartesius* juxta ipsum Quartum Opponentem, *idem pro totius suæ Philosophiæ principio statuerit, quod statuit D. Augustinus, acerrimi vir ingenii &*

planè admirandus Lib. 2. de Liber. Arbitr. cap. 3. Alipius cum Evodio disputans probaturusque Deum esse, *Prius*, inquit, *abs te quæro, ut de manifestissimis capiamus exordium, utrum tu ipse sis; an tu fortè metuis ne hâc in interrogatione fallaris, cum utique si non esses, falli omnino non posses.* Quibus similia sunt Philosophi nostri verba, *Sed est deceptor, nescio quis summè potens, summè callidus qui de industriâ me semper fallit: haud dubiè ergo etiam sum, si me fallit.*

Cæterum non paucæ semper motæ fuére, & etiamnum moventur adversus hanc philosophandi methodum difficultates, quarum aliquas videamus, & brevibus dissolvamus. Objicitur primò, Non opus fuisse tanto apparatu ad probandam sui existentiam. ℞. Quoniam ægrè novam hanc demonstrandi certitudinem percipiunt homines, tanto apparatu omninò opus fuit, ut eandem melius caperent. Siquis tamen contractam hanc Meditationis primæ & quo usque processimus secundæ materiam ob oculos positam desideret, videat illam in septem primis Principp. part. primæ articulis ab ipso Philosopho in epitomen redactam; 1. *Quoniam infantes nati sumus, & varia de rebus sensibilibus judicia prius tulimus, quam integrum nostræ rationis usum haberemus, multis præjudiciis à veri cognitione avertimur: quibus non aliter videmur posse liberari, quam si semel in vitâ, de iis omnibus studeamus dubitare, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiemus.* 2. *Quin & illa etiam, de quibus dubitabimus, utile erit habere pro falsis, ut tanto clarius, quidnam certissimum & cognitu facillimum sit, inveniamus.* 3. *Sed hæc interim dubitatio ad solam contemplationem veritatis est restringenda. Nam quantum ad usum vitæ, quia persæpe rerum agendarum occasio præteriret, antequam nos dubiis nostris exsolvere possemus, non rarò quod tantum est verisimile cogimur amplecti; vel etiam interdum, etsi è duobus unum altero verisimilius non appareat, alterutrum tamen eligere.* 4. *Nunc itaque cum tantum veritati quærendæ incumbamus, dubitabimus inprimis, an ulla res*

res sensibiles aut imaginabiles existant: Primò, quia deprehendimus interdum sensus errare; ac prudentia est nunquam nimis fidere iis, qui nos vel semel deceperunt: Deinde, quià quotidie in somnis innumera sentire videmur aut imaginari, quæ nusquam sunt; nullaque sic dubitanti signa apparent, quibus somnum à vigilia certò dignoscat. 5. Dubitabimus etiam de reliquis, quæ antea pro maximè certis habuimus; etiam de Mathematicis demonstrationibus, etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus esse per se nota; tum quia vidimus aliquando nonnullos errâsse in talibus, & quædam pro certissimis ac per se notis admisisse, quæ nobis falsa videbantur; tum maximè quià audivimus esse Deum, qui potest omnia, & à quo sumus creati. Ignoramus enim an forte nos tales creare voluerit, ut semper fallamur, etiam in iis quæ nobis quam notissima apparent; quià non minus hoc videtur fieri potuisse, quam ut interdum fallamur, quod contingere ante advertimus. Atque si non à Deo potentissimo, sed vel à nobis ipsis, vel à quovis alio nos esse fingamus, quo minus potentem originis nostræ authorem assignabimus, tanto magis erit credibile, nos tam imperfectos esse ut semper fallamur. 6. Sed interim à quocunque tandem simus, & quantumvis ille sit potens, quantumvis fallax, hanc nihilominus in nobis libertatem esse experimur, ut semper ab iis credendis, quæ non planè certa sunt & explorata, possimus abstinere; atque ita cavere, ne unquam erremus. 7. Sic autem rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo possumus dubitare, ac etiam falsa esse fingentes, facile quidem supponimus nullum esse Deum, nullum cœlum, nulla corpora; nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum corpus; non autem ideò nos qui talia cogitamus nihil esse: repugnat enim, ut putemus id quod cogitat eo ipso tempore quo cogitat, non existere. Ac proinde hæc cognitio, ego cogito, ergo sum, est omnium prima & certissima quæ cuilibet ordine philosophanti occurrat.

Sed rursus arguet & obtendet aliquis, sibi displicere duram illam philosophandi rationem, quâ ipsius Dei existentiam

tiam videmur in dubium revocare. ℞. Siquis minus perſpicere valeat, quâ mente id Philoſophus agat, nempe non ex ſuâ, ſed ex hypotheſi tantum Atheorum ad ten pus admiſſâ, ille in uſum ſuum adhibere poterit compendium eorum omnium, quæ hactenus fusè explicuimus, ex Methodo §. IV. ubi nulla de Dei exiſtentiâ dubitandi fit mentio; ita enim privatam ſuam philoſophandi rationem in his Metaphyſicis proponit & exponit Philoſophus: *Dudum obſervaveram permultas eſſe opiniones; quas, etſi valdè dubiæ ſint & incertæ, non minus conſtanter & intrepide ſequi debemus, quatenus ad uſum vitæ referuntur, quam ſi certæ eßent & exploratæ, ut jam ante dictum eſt. Sed quia tunc veritati quærendæ, non autem rebus gerendis, totum me tradere volebam, putavi mihi planè contrarium eſſe faciendum, & illa omnia, in quibus vel minimam dubitandi rationem poßem reperire, tanquam apertè falſa eßé rejicienda; ut experirer an illis ita rejectis, nihil præterea ſupereſſet de quo dubitare planè non poßem. Sic quià nonnunquam ſenſus noſtri nos fallunt, quidquid unquam ab illis hauſeram inter falſa numeravi; Et quia videram aliquando nonnullos etiam circa res Geometriæ facillimas errare, ac paralogiſmos admittere, ſciebamque idem mihi poſse accidere, quod cuiquam alii poteſt, illas etiam rationes omnes, quas antea pro demonſtrationibus habueram, tanquam falſas rejeci. Et denique quia notabam nullam rem unquam nobis veram videri dum vigilamus, quin eadem etiam dormientibus poſſit occurrere, cum tamen tunc ſemper aut ferè ſemper ſit falſa; ſuppoſui nulla eorum quæ unquam vigilans cogitavi, veriora eſſe, quam ſunt ludibria ſomniorum. Sed ſtatim poſtea animadverti, me, quia cætera omnia ut falſa ſic rejiciebam, dubitare planè non poſſe quin ego ipſe interim eſſem: Et quia videbam veritatem hujus pronunciati; Ego cogito, ergo ſum, ſive exiſto, adeò certam eſſe atque evidentem, ut nulla tam enormis dubitandi cauſa à Scepticis fingi poſſit, à quâ illa non eximatur, credidi me tutò illam poße, ut primum ejus, quam quærebam, Philoſophiæ fundamentum admittere.*

Sunt

Sunt alii porrò qui nimiam obſcuritatem accuſant hujus philoſophiæ, & judicant conſultius fuiſſe, ſi abſtinuiſſet à talibus ſcribendis Renatus Deſcartes. Sed his ipſe reſpondet Philoſophus, inquiens: *Quod ea, quæ in primâ Meditatione atque etiam in reliquis continentur, ad omnium ingeniorum captum non ſint accommodata, planè concedo, idque ubicunque ſeſe obtulit occaſio teſtatus ſum, atque in poſterum teſtabor. Et hæc unica fuit cauſa cur eadem in diſſertatione de Methodo, quæ Gallicè ſcripta erat, non tractarim, ſed ad has Meditationes, quas à ſolis ingenioſis & doctis legendas eſſe præmonui, reſervarim. Neque dici debet rectius me facturum fuiſſe ſi abſtinuiſſem ab iis ſcribendis, à quibus legendis permulti debeant abſtinere; tam neceſſaria enim exiſtimo ut ſine ipſis nihil unquam firmum & ſtabile in philoſophiâ ſtatui poſſe mihi perſuadeam. Et quamvis ignis & ferrum ab imprudentibus aut pueris ſine periculo non tractentur, quia tamen utilia ſunt ad vitam, nemo eſt qui putet idcirco ipſis eſſe carendum.* Alii rurſus obtendunt & conqueruntur, viam Philoſopho tentatam multis non arridere, neque eam à plurimis teneri poſſe. ℞. Et illud author lubens fatetur, neque unquam author eſſe vult, ut eandem quis inſiſtat viam, audiamus ipſum: *Quamvis*, inquit, *quia meum opus mihi ipſi ſatis placet, ejus exemplar hic vobis proponam, non ideo cuiquam autor eſſe velim, ut ſimile quid aggrediatur; Poterunt fortaſſe alii, quibus Deus præſtantiora ingenia largitus eſt, majora perficere; ſed vereor ne hoc ipſum quod ſuſcepi tam arduum & difficile ſit, ut valdè paucis expediat imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes, quibus olim fuimus imbuti deponamus, non unicuique eſt tentandum. Et maxima pars hominum ſub duobus generibus continetur, quorum neutri poteſt convenire. Nempe permulti ſunt, qui cum plus æquo propriis ingeniis confidant, nimis celeriter ſolent judicare, nunquamque ſatis temporis ſibi ſumunt ad rationes omnes circumſpiciendas, & idcirco ſi ſemel auſint opiniones omnes vulgò receptas in dubium revocare, & velut à tritâ viâ recedere,*

In Reſpp. Quartis.

Method. §. 11.

non facilè illi semitæ, quæ rectius ducit, semper insistent, sed vagi potius & incerti in reliquam vitam aberrabunt. Alii verò fere omnes cum satis judicii vel modestiæ habent ad existimandum nonnullos esse in mundo qui ipsos sapientiâ antecedant, & à quibus possint doceri, debent potius ab illis opiniones, quas sequuturi sunt, accipere, quam alias proprio ingenio investigare.

Sed non deerunt fortassis & alii inquientes; Cupimus sanè cum Cartesio philosophari, sed dura & difficilis nobis est illa ineunda methodus ac via; nonne mitigari aliquâ ratione potest? ℞. D. Lipstorpius in suis speciminibus Philosophiæ Cartesianæ consilium de imitando Cartesio exhibuit, quod integrum exhibebimus, an fortè illud sequi allubesceret. *Sed quia jam alios*, inquit, *ad imitandum Philosophum nostrum incitavi, tum ipse quoque eum imitaturus sum in posterioribus, superest, ut quo pacto Nobiliss.* D. *Cartesium imitari debeamus atque etiam possimus, hic exponamus. Equidem tres sunt modi diversi imitandi Cartesium. Primus est quo quis institutum ejus quoad omnia sequi velit secundum lineas in methodo ductas: eorum nempe curatiori habitâ ratione, quæ, postquam à præceptorum custodiâ exiverat, & Illustri Collegio Flexiensi (ubi primam animi culturam acceperat) valedixerat, proprio marte aggressus est tam in mundi volumine, quam in seipso, & quidem juxta normam generalissimi decreti, ut omnes simul ac semel opiniones è mente suâ deleret, ut deinde vel alias meliores vel certè easdem, sed postquam maturæ rationis examen subiissent, admitteret, atque etiam ex præscripto regularum istius methodi, omniumque quæ postea egit. Secundus est, quo non quidem omnia Cartesii facta imitamur, sed per easdem vias cogitationes nostras ducimus, quæ in scriptis ejus expressæ sunt. Tertius denique modus eum imitandi is est, quo quis veram Philosophiam, ejusque veritates detectas, sive audiendo, sive continuè legendo & examinando addiscit, idque cum minori severitate & ἀκριβείᾳ, quam illius philosophemata præ se ferunt, nempe nonnihil remittendo de severitate expurgationis illius*

initio

initio necessaria: quod fit imaginando sibi, & more Mathematicorum supponendo, opiniones, quas antea sive à nobismet ipsis, sive à parentibus nostris hauseramus, non omnes ejusdem census esse atque valoris, sed quaslibet suspectæ fidei. Atque sic in ipsâ instauratione scientiæ nostræ non tam rigorosè leges methodi attendamus, quin interrupto ordine saltum quendam pro re natâ faciamus. Hi sunt tres modi imitandi Cartesium: quorum primus impossibilis omninò & supervacaneus est: Alter arduus & difficilis, & iis forsan non salutaris, qui studiis Academicis operam dant, & ad aliquam Facultatem aspirant. Ultimus denique optimus est, & minime negligendus ab iis, qui in veritatis studio laudabiles progressus facere allaborant. Nec est cur aliquis hâc viâ studiorum suorum rationem iniens de prosperrimo successu dubitare velit, siquidem in promptu sunt exempla illorum, qui hâc ratione ad exoptatum Veritatis tramitem pervenerunt, in quo posteà confirmati inoffenso pede perrexerunt. Hoc igitur si libet consilium sequere, & juxta hanc viam cogitationes mentis tuæ dirige.

Dum tamen hoc consilium illis qui infirmioris judicii sunt, nec ad arcem philosophicæ cognitionis prorsus ascendere cupiunt, sequi permittimus, neutiquam nimiæ severitatis atque affectatæ adeò ἀκριβείας vel tacitè Cartesii Philosophiam suspectam reddere volumus, ac si aliquâ ratione ad Scepticismum & Atheismum viam panderet; ex universo enim Exegeseos nostræ opere longissimè illam toties falsò impactam illi calumniam profligavimus, & à Cartesii mente illam philosophandi rationem alienissimam fuisse ostendimus. Si cui tamen ad retundendam illam calumniam à nobis dicta needum sufficiant, ipsius Renati verba se ab illa injuriâ solidissimè vindicantis perlegat, quæ scripta reperiuntur sub finem notarum ad programma Regii; quæ cum ad obstruenda calumniantium ora efficacissima sunt, asscribere non pigebit: Secundo, *inquit*, moneo *me nunquam etiam docuisse* Deum esse negandum, vel ipsum nos posse decipere, vel de omnibus esse dubitandum, vel fidem

 omnem

omnem sensibus abrogandam, vel somnum à vigiliâ non distinguendum vel similia, *quæ à calumniatoribus in pertus aliquando mihi objecta sunt; sed omnia ista expressissimis verbis rejecisse, validissimisque argumentis, imò etiam ausim addere, validioribus, quam ab ullo ante me refutata fuerint, refutâsse: quod ut commodius & efficacius præstarem, proposui, initio Meditationum mearum, ista omnia tanquam dubia, quæ non à me primum fuerunt inventa, sed à Scepticis dudum decantata. Quid autem iniquius, quam tribuere alicui scriptori opiniones, quas eo fine tantum refert, ut eas refutet? Quid ineptius, quam fingere saltem illo tempore, quo istæ falsæ opiniones proponuntur, & nondum refutantur, eas doceri, atque ideo illum, qui refert Atheorum argumenta,* esse Atheum temporarium? *Quid magis puerile, quam dicere, si moriatur interim, priusquam* speratam suam demonstrationem *scripserit vel invenerit, eum Atheum moriturum, ipsumque in antecessum perniciosam doctrinam docuisse*, non autem esse facienda mala ut eveniant bona, *& talia.* Dicet forte aliquis, *me istas falsas opiniones non retulisse tanquam aliorum, sed tanquam meas: verum quid hoc refert? quandoquidem in eodem libro, in quo ipsas retuli, omnes refutavi; atque ex ipso libri titulo potuit intelligi, me ab iis credendis esse planè alienum, quandoquidem in eo* Demonstrationes de existentiâ Dei promittuntur. *Estne aliquis adeò stolidus, eum, qui talem librum componit, ignorare, dum primas ejus paginas exarat, quid in sequentibus demonstrandum susceperit? Objectiones autem tanquam meas proposui, quia hoc exigebat stylus meditationum, quem rationibus explicandis aptissimum judicavi. Quæ ratio si nostris censoribus non satisfacit; velim scire, quid dicant de sacris literis, cum quibus nulla humana scripta sunt comparanda, quando vident in iis nonnulla, quæ non possunt rectè intelligi, nisi supponantur tanquam ab impiis, vel saltem ab aliis quam à Spiritu Sancto vel à Prophetis dicta esse; qualia sunt Eccl. cap. 2. hæc verba.* Nonne melius est comedere & bibere, & ostendere animæ suæ bona de labo-

laboribus suis & hoc de manu Dei est. Quis ita devorabit & deliciis affluet, ut ego?. *& in capite sequenti*: Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum & æqua utrisque conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, ut nihil habet homo jumento amplius, &c. *An credunt ibi Spiritum Sanctum nos docere, ventri esse indulgendum, & affluendum deliciis, animasque nostras non magis esse immortales, quam jumentorum? Non puto eos usque adeò esse furiosos. Sed neque debent etiam calumniari, quod iis inter scribendum non usus sim cautelis, quæ nunquam ab ullis aliis scriptoribus fuerunt observatæ, nec ab ipso quidem Spiritu Sancto.* Non video quid præterea quis desiderare possit ad abstergendam illam inustam Philosopho maculam. Plura tamen in hanc rem alibi à nobis congesta sunt, ubi ex professo illam injuriam à Philosopho propulsavimus. Sed siquis necdum acquiescat, audiat quam solidam & prorsus inconcussam de Dei existentia in mente suâ tenuerit scientiam, imo zelum maxime pium, adeò ut ad aspectum hominum θεομάχων in justam exarserit iram, & contra hos se Meditationes sive primam Philosophiam concinnâsse testetur. *Compendiosissima, quam noverim, via respondendi rationibus, quas adversus Divinitatem affert, & reliquis simul omnium Atheorum objectionibus hæc est, si nimirum inveniatur evidens aliqua demonstratio, quæ apud omnes fidem faciat Deum esse. Quod ad me attinet, ausim dicere me invenisse unam, quæ mihi penitus satisfaciat, & ex quâ certius scio Deum esse, quam Geometricæ ullius propositionis veritatem; sed nescio an possim efficere, ut illam eodem modo quilibet intelligat, ac ego; existimo autem satius esse hanc materiam planè non attingere, quam imperfectè tractare. Universus populorum omnium consensus satis asserit numen ab Atheorum injuriis, neque sanè privatus quisquam debet cum illis disputationem inire, nisi certissimus sit se illos convicturum. Experiar in Dioptricâ an possim cogitationes*

Epistolar. part. 2. Epist. CIII.

meas exprimere, & veritatem, quam mihi ipsi persuasam habeo, aliis persuadere, quod quidem nequaquam puto. Sed si experientiâ deprehenderem ita esse, absolverem fortasse aliquando exiguum Metaphysices tractatum, cujus in Frisiâ olim initium feci, & cujus præcipuus scopus est probare Dei & animarum nostrarum à corporibus separatarum existentiam, unde sequitur illarum immortalitas. Certè enim succenseo, cum video homines usque adeò audaces & impudentes, ut Deum oppugnent. Sed siquis Philosopho in re propriâ testanti (quanquam nemo melius de se quam ipse spiritus hominis, qui in ipso est, testari potest) neque illius scriptis, fidem dictis facientibus, neque denique fidelibus & eruditis interpretibus credere velit, fidem tamen, nisi planè perverso sit animo, ipsius Cartesii impugnatoribus denegare non poterit. Maresium alibi adduximus auctorem nostrum ab omni odiosâ comparatione cum Lucilio Vanino liberum declarantem & philosophemata illius magnificè deprædicantem. Addam hoc loco H. Mori Viri citra controversiam magni & qui non paucas quoque Cartesio quæstiones movit, de philosophia Cartesianâ judicium, an forte ad saniorem mentem infruniti obtrectatores reduci possent: *Est enim*, inquit, *in Philosophiâ Cartesianâ illud rerum pondus, veritatis pulchritudo, amplitudo ingenii & acumen omnium Theorematum, denique admirabilis ille ordo & consensus in scriptis Cartesianis, ut vel millies lecta non sordescant: non magis quam lux solis, cujus ortum singulis diebus aves, pecudes, ipsique adeò homines gratulabundi contemplantur. Nec certè solum lectu jucunda est hæc Cartesiana Philosophia, sed apprimè utilis, quicquid aut mussitent aut deblaterent alii, ad summum illum omnis Philosophiæ finem, puta Religionem. Cum enim Peripatetici formas quasdam contendant esse substantiales, quæ è potentiâ materiæ oriuntur, quæque cum materiâ ita coalescunt, ut absque illâ subsistere non possint, ac proinde necessariò demum redeunt in potentiam materiæ (cui ordini accenset viventium ferè omnium animas, etiam eas quibus sensum cogitationemque tribuunt,)*

Epistolar. part. I. Epist. LXV.

Epi-

Epicurei autem, explosis illis substantialibus formis ipsi materiæ vim sentiendi cogitandique inesse statuunt; solus, quod scio, inter Physiologos extitit Cartesius, qui substantiales illas formas, animasve materiâ exortas è philosophia sustulit, materiamque ipsam omni sentiendi cogitandique facultate planè spoliavit. Unde, si Principiis staretur Cartesianis, certissima esset ratio ac Methodus demonstrandi, & quod Deus sit, & quod anima humana mortalis esse non possit. Quæ sunt illa duo solidissima fundamenta, ac fulcra omnis veræ Religionis. Hæc breviter noto, cumposssim & alia benè multa adhuc adjicere, quæ eodem spectant. Sed summatim dicam, nullam extare Philosophiam, nisi Platonicam fortè exceperis, quæ tam firmiter Atheis viam præcludit ad perversas istas cavillas & subterfugia quo se solent recipere, quam hæc Cartesiana, si penitius intelligatur. Unde spero, quod omnes boni clementius ferent amplißimas illas laudes quibus incomparabilem Virum cumulo, in iis quas ad eum scripsi literis, credoque quicquid hæc præsens ætas senserit de Cartesio, (nam ut nunquam vivis, ità raro recenti defunctorum memoriæ parcit invidia) quod posteritas eum omni cum laude & veneratione sit exceptura, optimumque illius Philosophiæ usum agnitura.

Atqui ita Philosophiam Cartesianam ab atrocibus adversariorum injuriis satis vindicâsse videmur; paucis quoque refellendæ sunt præcipuæ quæ adversus primum illud Cognitum Cogito, Ergo sum, adferuntur objectiones. Arguunt primo; *Cogito, ergo sum* non est primum cognitum, supponit enim hanc majorem, *Qui cogitat, est*, atque ita jam aliquod præjudicium admissum est. ℟. Præjudicium est opinio per judicium nostrum à nobis vel sine satis sufficiente vel sine ullo examine admissa; adeò ut enunciatio aliqua sine attentione proferatur, & ideò vera esse creditur, quià talis antea fuit judicata. Sed hoc pronuntiatum Cogito, ergo sum, cum expenditur, præjudicium appellari non debet; propterea quod animo tam evidens appareat ut ab eâ credendâ sibi temperare nequeat, cum forte de eâ tum pri-

mum

mum cogitare incipiat, ac proinde mentem præjudicio imbutam nondum habeat. Neque etiam hæc veritas *Cogito, ergo sum*, ex illo generali *Qui cogitat est*, per ratiocinationem deducta est. Errant enim qui existimant enunciationum particularium cognitionem semper ex universalibus, secundum Syllogismorum Dialectices ordinem esse deducendam. Qui hoc enim supponunt, satis produnt se ignorare quomodo veritas indaganda sit. Constat enim inter omnes philosophos, ad eam indagandam initium semper à particularibus notionibus fieri debere, ut posteà ad universale accedatur; quum etiam gressu retrogando, universalibus inventis, aliæ particulares exinde deduci possunt. Ita si puer in Geometriâ instituendus est, hoc principium generale, *Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia*; aut, *Totum singulis suis partibus majus est*, non capiet nisi particularibus exemplis illustretur.

Objiciunt porrò: Prænoscere debemus quid sit cogitatio, existentia, certitudo: ergo, Cogito, ergo sum, non est primum cognitum. Respondet Cartesius, ubi dixi hanc propositionem, *ego cogito, ergo sum*, esse omnium primam certissimam, non ideò negavi, quin ante ipsam scire oporteat, quid sit cogitatio, quid existentia, quid certitudo: item quod fieri non possit, ut id quod cogitat non existat, & talia: sed quia hæ sunt simplicissimæ notiones, & quæ solæ nullius rei existentis notitiam præbent, idcirco non censui esse numerandas.

Princip. p. 1. art. 1.

Rursus ajunt; sed hæc propositio, *Quicquid concipio, est, aut non est*, æquè certa est, ac Cogito, ergo sum, imò & prior est. Resp. Illa inutilis est, & nullius rei existentiam nos docet; neque tam citò certus sum meæ existentiæ, quam meæ cogitationis, quia illam per hanc cognosco.

Ulterius adhuc instant: Sed Existentia nostra ex quâvis aliâ actione nostrâ æquè potest colligi, quam ex cogitatione nostrâ. ℞. Falsum illud est; Nam nullius actionis nostræ omninò certi sumus (nempe certitudine illâ metaphy-

sicâ,

ſicâ, de quâ ſolâ hic quæſtio eſt) præterquam ſolius cogitationis. Nec licet inferre, exempli causâ, *ego ambulo, ergo ſum*, niſi quatenus ambulandi conſcientia cogitatio eſt, de quâ ſolâ hæc illatio eſt certa, non de motu corporis, qui aliquando nullus eſt in ſomnis, cum tamen mihi etiam videor ambulare; adeo ut ex hoc quod putem me ambulare, optimè inferam exiſtentiam mentis, quæ hoc putat, non autem corporis, quod ambulat. Atque idem eſto de cæteris actionibus judicium.

Rurſus alii contendunt: Si illud pronunciatum, *Cogito, Ergo ſum*, per ſe notum eſt è lumine naturæ, adeò ut luce ſuâ & claritate ſummâ cuivis attendenti manifeſtum ſit; cur igitur multi illud primum & indubitatum principium eſſe negant? ℟. Multis litigandi cacoëthes ineſt, quibus contradicere ſumma voluptas eſt. Et hi Sophiſtæ, licet nihil, quod opponant, habent, obloqui tamen non deſinunt. Niſi enim ſemper haberent Sophiſtæ, quod obgannirent, jam Sophiſtæ non eſſent. Sed ad rem. Reſpondentem pro nobis audi Ariſtotelem Τὸ ἁπλῶς γνώριμον οὐ τὸ πᾶσι γνώριμόν ἐστι, ἀλλὰ τὸ τοῖς εὖ διακειμένοις τὴν διάνοιαν· 6. Topic. cap. 4. Καθάπερ καὶ τὸ ἁπλῶς ὑγιεινὸν τὸ τοῖς εὖ ἔχουσι τὸ σῶμα. *Quid ſimpliciter notum eſt, non id eſt, quod notum eſt omnibus, ſed quod notum eſt iis, qui ratione bene conſtitutâ præditi ſunt; quemadmodum & ſimpliciter ſalubre dictum id, quod ſalubre eſt iis, quorum corpus bene affectum eſt.* Mentem autem non eſſe ἐν διακειμένῃ ſeu non rectè ſe habere reſpectu communium notionum, quamdiu præjudicio, vel errore iis adverſo laborat, per ſe manifeſtum eſt; uti vice verſâ ſana dici poteſt ac benè diſpoſita ubi à duplici hoc morbo convaluit. Sed quemadmodum poſt diuturnas morbos virium quædam imbecillitas remanet, & oculi ægrè vim luminis perferunt; ità humanæ mentes, primæ ætatis tenebris erroribuſque aſſuetæ, noctuarum inſtar ad clariſſimas veritates cæcutiunt, ubi eos intueri incipiunt. Atque huc ſpectat illa Ariſtotelis comparatio. 11. Metaphyſ. cap. 1. Quemadmodum verſpertilionum oculi ad lumen diei ſe ha-

habent, ità & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima omnium sunt. Quapropter, ut illi, qui vitia quædam sibi familiaria declinare incipiunt, non continuò oppositas exercere possunt virtutes, verum peculiari ad id opus habent labore: eodem modo ad familiarem notionum illarum communium, quibus præconcepta quædam opinio repugnat, notitiam, haud satis est adversas iis errorum ac præjudiciorum tenebras fugere & arcere, sed attentè ac sæpius ipsæ illæ rationes inspiciendæ sunt ac perpendendæ, quò tandem quoties opus fuerit, absque ullâ difficultate occurrere & quam evidentissimè cognosci à nobis possint. Verba sunt magni ad Amitelam Philosophi, quæ mea feci. Idem consilium ad notiones communes rectè percipiendas veritatis studiosis jam exhibuerat auctor noster in Responsionibus ad objectiones secundas: *Peto*, inquit, *ut lectores propositiones per se notas, quas apud se invenient, quales sunt*; Quod idem non possit esse simul & non esse. Quod nihil nequeat esse causa ullius rei, *& similes diligenter expendant, atque ita perspicuitatem intellectus sibi à naturâ inditam, sed quam sensuum visa quam maximè turbare solent & obscurare, puram atque ab ipsis liberatam exerceant. Hâc enim ratione omnium notionum communium veritas facile innotescet.*

Denique alii arguunt: *impossibile est idem simul esse & non esse*, est primum & indubitatum in Metaphysicis principium, non ergo *Cogito, ergo sum*. ℞. Imo verò hoc principium *Cogito, ergo sum* sive *Ego cogitans sum* alio illo prius, notius & simplicius est. Simplex enim enunciatio prior est compositâ, affirmans negante, pura modali. Axioma illud *cogito ergo sum* de semetipso pronunciat unusquisque philosophaturus, quatenus cogitat & mentem habet. Atqui mentis suæ existentia, unicuique notissima præ cæteris aliis rebus. Porro prius est verbum *sum*, de primâ & certâ loquens personâ, quam est de tertio aliquo, τῷ δεῖνα, individuo vago. Substantiæ primæ semper fuerunt ante secundas. Prius de te hoc homine cogitasti, quam de homine in genere; prius de hoc ente singulari, quod offerebatur sensui

ſui vel intellectui, quam de ente generali atque universè. Præterea univerſale illud axioma, *Impoſſibile eſt idem eſſe ſimul & non eſſe*, per ſe nullius rei exiſtentiam probat. Sed potius præſupponit, *aliquid eſſe*, quod probandum erat in Philoſophiâ primâ. Certè præſupponit diviſionem ejus, quod cogitari poteſt, in ens & non ens, indeque natum axioma: *Quodlibet eſt, aut non eſt*. Sed hoc axioma *Ego cogitans ſum* demonſtrat exiſtentiam alicujus rei, uti demonſtrandum erat aliquod ſubjectum in initio Philoſophiæ, de quo philoſophandum eſſet. Et nihil præſupponit, cum ab eo qui reliqua omnia in dubium revocavit ac ſepoſuit, pronuncietur. Et ſanè hi termini, *ego*, *cogito*, *ſum* longè notiores, quam voces, *impoſſibile*, *idem*, *ſimul*, præterquam quod & hæ ambiguæ ſunt, illæ diſtinctæ. Hæ relativæ, illæ abſolutæ. Et denique *ego cogitans* ſive *mens mea cogitans* ſubjectum axiomatis clarâ ac diſtinctâ cognitione prius intelligitur, quam cætera. At conceptus entis de quo loquitur axioma, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*, primus eſt cognitione tantum confuſa & obſcurâ. Audiamus ipſum Philoſophum hâc de re diſſerentem expreſſis verbis. Atque hic à me ſatisfactum puto iis, qui omnia ſolidis putant rationibus; ſed quoniam multi vulgarium ſemper præceptorum veſtigiis inſiſtunt, ὥσπερ τὰ πρόβατα, πρὸς τὸν αὐτῶν ἡγέμενον, *Quomodo oves ſequuntur, ducem ſuum*; qui ſubinde ingeminant, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*; illud pro primo in Metaphyſicis principio venditantes & obtrudentes: hinc operæ pretium nobis viſum eſt aliorum de hoc axiomate philoſophorum judicia & rationes exponere. Suarezius, qui illud effatum, *Impoſſibile* &c. extollit, ut *principium ſimpliciter primum* in humanâ ſcientiâ & præſertim *in metaphyſicâ*; fatetur tamen diſertè ipſum *Ariſtotelem* non vocare id *principium primum*, quià illo utatur Metaphyſica ad ſuas proprias & directas demonſtrationes. Nam Ariſtotelem alibi dicere, non ſolere illud principium formaliter ingredi demonſtrationem: ſed quod ſit quaſi fundamentum univerſale

Diſp. 111. *ſ.* 3. *t.* 8. 9.

1. *Poſt.* *c.* 8. *t.* 26.

ſale, quo omnes demonſtrationes nitantur. Arriaga autem diſertè negat hoc primum eſſe principium. *Dices*, inquit, *Tota vis demonſtrationis conſiſtit in iis principiis* (nempe, quodlibet eſt aut non eſt. Nihil poteſt ſimul eſſe aut non eſſe) *ergo ſi ignorentur, non poterit fieri ulla demonſtratio; reſpondeo: demonſtrationem non inniti iis principiis, ſed iis:* quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. Notat autem in illa Suarezii verba à nobis ſuperius allata Revius ſequentia. *Eſtne*, inquit, *hoc pugnare an fugere? quæruntur principia per quæ passiones de ſubjecto, v. g. unum, verum, bonum, de ente demonſtrentur. adducitur principium quod demonſtrationem non ingreditur, quod nec cauſam nec effectum continet; ac proinde per quod nihil demonſtrari poſſit, nec à priori nec à poſteriori: & profectò nihil eò verius eſt. Quid enim, per Deum immortalem, hinc demonſtratur in ullâ ſcientiâ, quod impoſſibile ſit idem eſſe & non eſſe? imo nihil hinc aliud probabis, quam utrumque ſimul de ente non eſſe verum: utrum autem verum ſit in dubio relinques. Probabiſne Ens unum, verum aut bonum eſſe, ex eo quod hæc non poſſint ſimul eſſe & non eſſe? eadem ineptiæ. vagare per omnes ſcientias, & idem inventurus es. quomodo autem fundamentum eſt omnium demonſtrationum, quod in nulla demonſtratione locum invenit, & nullius medius terminus eſſe poteſt? video quid reſponſurus ſis, nempe concludi nihilominus aliquid per hoc principium, quoties adverſarius eo compellitur ut ſibi contradicat: tunc enim ſtatuit idem ſimul eſſe & non eſſe, quod per hoc principium damnatur. audio: ſed nec ſcientificus eſt ille procedendi modus, neque magnus ejus (quantum adhuc deprehendi) uſus in demonſtrandis passionibus entis, nec denique ullo modo ad Metaphyſicum, ſed ad Logicum ſpectat; fundatur enim* (verba ſunt ipſius Suarezii) *in oppoſitione & repugnantia contradictoriorum. unde primò ſequitur id non eſſe fundamentum reliquorum omnium, nec abſolutè primum, quum fundetur in alio (nempe in hoc; Contradictoria non poſſe eſſe ſimul vera.) Deinde, Metaphyſicam etiam hoc nomine fundari in*

Logi-

Logicâ, ac ut primum suum principium incomplexum, putà definitionem ab illa petiit, ità ab eadem primum suum principium complexum emendicare, puta canonem de contradictoriis, quæ formidabilis est consequentia.

Cum itaque propter tot & tam validas rationes decantatum illud in Scholis effatum: *Impossibile est idem simul esse & non esse*; pro principio absolutè primo in Metaphysicis recipi non possit; cum ab ipsis suis patronis adeò infelix nanciscatur patrocinium, ut illud potius prodant, quam defendant: cum denique ipse sectæ princeps Aristoteles Stagirita aliique ex ipsius asseclis evidentibus rationibus convicti illud pro primo principio non agnoscant, meritò igitur ab iis qui justo ordine philosophantur pro principio absolutè primò in primâ Philosophiâ admissum non est; & contra illud simplicissimum, ordine cognitionis primum & cuique attendenti per se notissimum axioma, *Cogito, ergo sum*, optimâ ratione in alterius locum substitutum est; & sanè qui hoc negat verberibus potius, quam verbis corrigendus videtur, Τοὺς μαχομένους γὰρ τοῖς φανεροῖς οὐ λόγων δέεσθαι μᾶλλον, ἢ πληγῶν, *eos qui manifesta negant*, inquit vetus veriverbium, *non tam verbis indigere, quam plagis.*

DEtectâ atque assertâ in superioribus primâ *veritate de existentiâ sui ipsius*, quam unusquisque justo ordine philosophando & meditando invenit, nempe *Cogito ergo sum*; atque ità explosâ & convictâ Scepticorum & Academicorum ἀκαταληψίᾳ, quâ *Nihil certi esse* statuebant, ubi pedem figamus habentibus ulterius progredi sententia est. Magna enim spes reliquas quoque veritates detegendi affulgere jam incipit; sed ne temerè nimis ab uno ad aliud transiliam, inventam veritatem penitius contemplari & mei existentis id est mentis meæ naturam accuratius indagare & perscrutari volupe erit & perutile:

O fortunati nimium bona nostra scientes.

Divina enim est illa sui ipsius cognitio id est animi sui, ad

quam Apollinem homines admonuisse fert antiquitas. Notanda in hanc rem Ciceronis verba: *Est illud quidem vel maximum*, animo ipso animum videre *& nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis*, *quo monet ut* se quisque noscat. *non enim, credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego tibi dicens, hoc corpori tuo dico, cum igitur*, Nosce Te, *dicit, hoc dicit*, Nosce animum tuum. *Nam corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. ab animo tuo quidquid agitur, id agitur à te, hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic, ut tributum Deo sit, hoc, seipsum posse cognoscere.*

Tuscul. Quæst. Lib. 1.

Mentis itaque nostræ naturam penitius perscrutemur, parum enim prodest, scire nos esse, nisi simul cujus essentiæ & quales simus cognitum & perspectum habeamus; ut itaque promoveatur hâc in parte cognitio nostra, cujus jam firmum & inconcussum fundamentum posuimus & felix initium fecimus, premamus vestigia authoris nostri, ille enim jam porrò demonstratâ suæ id est mentis humanæ existentiâ essentiam illius pervestigat & rimatur; non tantum ut hâc ratione cognitio sua magis magisque promoveatur, verum etiam ne in posterum quid diversum à se in sui locum assumat & substituat, cum Ixione nebulam pro Venere complectens; atque ita quoque ex illâ cognitione suæ existentiæ, quam evidentissimæ & certissimæ veritatis esse affirmat & evicit, errores periculosi & noxii pepullulent; quo hæc prima quoque ad veritates cæteras via errorum fæcunda evaderet parens. *Nondum tamen*, inquit, *satis intelligo, quisnam sim ego ille, qui jam necessariò sum, deincepsque cavendum est, ne forte quid aliud imprudenter assumam in locum mei, sicque aberrem etiam in eâ cognitione, quam omnium certissimam esse contendo. Nondum*, ait, *satis intelligo, quisnam sim ille ego.* Noverat jam se non esse nihil, sed esse aliquid, ens aliquod, sed quale & quodnam ens præcisè esset nondum satis novit, aut potius fingit se nondum nôsse, ut

ut hâc ratione occasionem habeat ejus naturam penitius contemplandi & explicandi. Dixit *se necessariò esse*, non quod existentiam suam talem esse velit, ut non possit non esse, quæ existentia soli Deo propria est; sed quod demonstratione necessariâ & infallibili suam existentiam demonstrâsset, quæ nullâ dubitandi ratione amplius ullo modo labefactari aut in falsitatis suspicionem trahi potest. Proponit autem porrò modum aggrediendi hanc meditationem & adjicit medium, quo veritatem hâc in re firmam eruere & detegere valeat; nempe examinando & ad trutinam expendendo opiniones priscas, quas fovit, antequam novas has meditationes & cogitationes animo volveret; eam enim in veritate inquirendâ methodum, nempe de omnibus esse dubitandum id est omnia denuò ad accuratum examen esse revocanda, initio meditationum præscripsit, hanc ipse proinde sequi constituit; exigit autem illa, ut id quod vel in minimam falsitatis suspicionem incurrere vel ullatenus infirmari potest, rejiciatur, tanquam falsum; quoniam heic certitudo, quam metaphysicam appellant, sola inquiritur & admittitur, ubi de principiis cognitionis humanæ agitur. *Quare*, inquit, *jam denuò meditabor quidnam me olim esse crediderim, prinsquam in has cogitationes incidissem. Ex quo deinde subducam quidquid allatis rationibus vel minimum potuit infirmari; ut ità tandem præcisè remaneat illud tantum quod certum est & inconcussum.* Estque hæc optima veritatem firmissimam inquirendi via & unica penè ratio, siquidem ut ait Justinus Martyr. Ἡ γὰρ τῶν πραγμάτων ἀκριβὴς ἐξέτασις, καὶ δόξαντα καλῶς ἔχειν, πολλάκις ἀλλοιότερα δείκνυσιν ἀκριβεστέρᾳ πείρᾳ τ' ἀληθὲς βασανίζουσα. *Nam accurata rerum inquisitio, sæpe etiam ea, quæ primâ fronte speciosa videntur, exactiore veritatis examine adhibito, longè aliter se habere demonstrat.* Ut igitur in antecessum perlustratis omnibus, quæ in mundo esse sibi olim persuaserat, solam *sui existentiam* certissimam esse, post dubiorum omnium recensionem & remotionem invenit: ità & nunc enumerando omnia quæ in seipso esse olim credidit, inquiret illud quod præ cæteris ad sui naturam

Cohortatione ad Gentes pag. 1.

ram

cepta, repetant in definitione speciei nempe *hominis*, quod positum est in definitione generis nempe *animalis*: vel denotat cognitionem *noëticam* sive simplicem mentis apprehensionem, quæ mentis actio perfectior; sed tum explicare satis nequeunt, quantum differat hæc hominis perceptio ab eâ, quam brutis asscribunt: vel denotat *cognitionem dianoëticam*, quæ est actio mentis imperfectior; cum mentes perfectiores Deus & angeli sine discursu, solo intuitu res percipiant; atque ita homo ab imperfectiori & ignobiliori mentis actione definiretur, quod absurdum: cum enim denominationes rerum à potiori fieri debeant, longè igitur majori ratione definitiones. Quid multis? Definitio dicta hominis indicat tantum, quâ ratione homo conveniat cum brutis & ab iisdem discrepet, ac si cum nullâ aliâ re magis affini conferri posset, quam cum brutis; cum meliori ratione cum geniis ratione mentis intelligentis atque immortalis conferendus esset, hæc enim pars hominis longè melior, respectu cujus & imaginem Dei gerit. Cum itaque tot ac tantis nævis laboret illa recepta in Scholis definitio, & heic loci nihil admittendum sit à nobis, nisi quod certissimum & evidentissimum, summâ ratione negat Philosophus se in sui accuratâ inquisitione hanc definitionem velle adhibere. *Sed quid est homo?* rogat: *dicamne animal rationale?* *non*, respondet; assignatque rationes: *quià posteà quærendum foret quidnam animal sit, & quid rationale, atque ità ex unâ quæstione in plures difficilioresque dilaberer; neque jam mihi tantum otii est, ut ipso velim inter istiusmodi subtilitates abuti*, ne mentem meam aliis spinosis & inutilibus fatigando disputationibus à proposito scopo inquirendæ meæ essentiæ abducar. Quâ igitur methodo heic procedendum est? non illâ spinosâ scholasticâ tot subtilitatibus intricatâ, sed ea potius, quam mihi ipsa natura mea suggerere videtur. *Sed hic potius*, inquit, *attendam quid sponte & naturâ duce cogitationi meæ antehac occurrebat, quoties quid essem considerabam.* Et hinc orditur recensere cogitationes illas, quæ spontaneo naturæ ductu, sensibus mi-

Z nistris,

nistris (iis enim solis ducibus nitebatur) sibi quoties de seipso cogitabat incidebant. Primò autem occurrebant corporis partes integrantes, sensibus externis obviæ, vultus, collum, humeri, brachia, manus, pectus, venter, crura, pedes, & universa membrorum præsertim externorum compages: res enim sensibiles præcipuè & ferè solæ in considerationem veniebant, ad internas enim partes non adeò attendebatur; sed ea membra, quæ etiam in cadavere oculis conspiciuntur, præcipuè considerabantur: atque hæc coagmentata membrorum machina, à cadavere non distincta, *Corporis* nomine veniebat: *nempe*, inquit, *occurrebat primò me habere vultum, manus, brachia, totamque hanc membrorum machinam, qualis etiam in cadavere cernitur, & quam corporis nomine designabam.* Porrò seipsum consideranti occurrebat, se nutriri, incedere, sentire, & cogitare; hæ autem actiones animæ asscribebantur, cum interim ad essentiam & naturam animæ vel non attenderetur, vel sanè quid esset non intelligeretur; aut si intelligere & percipere se putaret, eam repræsentabat phantasiæ suæ instar venti, vel aëris, vel ætheris vel subtilis alicujus materiæ crassioribus sui partibus infusæ. Ait enim: *Occurrebat præterea me nutriri, incedere, sentire & cogitare, quas quidem actiones ad animam referebam: sed quid esset hæc anima vel non advertebam, vel exiguum nescio quid imaginabar instar venti vel insignis, vel ætheris, quod crassioribus mei partibus esset infusum.* Et profectò hæc ferè vel hujus farinæ est universa cognitio, quam plerique è Philosophis, tam antiquis quam recentioribus Peripateticis & Scholasticis, de animæ essentia se habere profitentur. Illi enim præter cogitandi facultatem, nutriendi & loco movendi & sentiendi facultatem animæ rationali asscribunt, putantes omnem augmentationem, motum ac sensum à sola animâ, non autem à corpore fieri. Et has animæ rationali proprietates ut actiones asscribebat quoque Philosophus; quas dictante naturâ se in animâ suâ cognoscere putabat, & quæ tamen maximam partem falsæ erant, utpote à præjudiciis infantiæ promanantes & sine justo examine receptæ, uti

uti in Physicis demonstrandi locus est, & in sequentibus ex occasione ostensuri sumus, Sed quid de ipsâ animæ essentiâ existimabat? hujus vel nullam penitus se habuisse cognitionem fatetur, quoniam de essentiâ & naturâ ipsius intelligendâ nunquam erat solicitus, aut si forte de eâ cogitaret, veluti *tenue*, *subtile*, *invisibile*, *insensibile* quid imaginabatur, quod quid propriè esset ignorabat, & cum tamen quid esset conabatur concipere, eam instar venti, vel aëris, vel ætheris, vel subtilis materiæ phantasiæ suæ repræsentabat: adeò ut revera eam subtile aliquod corpus esse putaret; & se ex duplici corpore conflatum esse existimaret, uno subtili, altero crassiori, cui subtile esset permixtum & infusum. Nec mirum sensibus magistris, tanquam veritatis infallibilibus usus testibus & ducibus, secundum eosdem quoque judicabat. Et hæ ferè priscæ de essentiâ animæ opiniones erant, quales quoque multi ex philosophis de eâdem animo conceperant, uti passim apud philosophos aliosque scriptores videre est. Sed de his quoque in progressu latius. Quid autem de corporis essentiâ occurrebat, quoties de eo cogitabat? Ejus naturam se plenissimè & perfectissimè perspectam habere opinabatur, adeò ut nulla de eo amplius dubitatio remaneret, utpote quam exactissimè se mente posse concipere & juxta conceptus posse describere putabat, quia nempe corpus res est quæ in sensus incurrebat externos, quarum rerum essentiam accuratissimè à se cognosci existimabat, adeò ut nulla amplius de eo quæstio moveri posset. *De corpore verò*, inquit, *ne dubitabam quidem, sed distinctè me nôsse arbitrabar ejus naturam, quam si forte qualem mente concipiebam, describere tentâssem, sic explicuissem:* Nimirum hunc in modum: *Per corpus intelligo omne quod aptum est figurâ aliquâ terminari, loco circumscribi, spatium sic replere, ut ex eo omne aliud corpus excludat, tactu, visu, auditu, gustu vel odoratu percipi; nec non moveri pluribus modis, non quidem à seipso, sed ab alio quopiam à quo tangatur.* Multis modis verò vitiosa est hæc definitio 1. Quià non definit quid sit corpus, sed quid

esse possit, dicit enim corpus *aptum esse figurâ terminari, loco circumscribi &c.* non quod terminetur, circumscribatur; cum tamen per definitionem non sit explicandum quid res esse possit, sed quid sit revera. 2. Deinde si hæc descriptio naturam corporis benè explicat, fatendum est Corpus esse ens in potentiâ, & non actu existens, quod absurdum. Quod autem, uti hic definitur corpus, tantum ens in potentiâ sit, patet, quoniam illud quod revera illis omnibus attributis caret, actu existens dari non potest, esset enim vel figuratum vel circumscriptum &c. quod cum hic esse negetur & saltem id posse esse affirmetur, apparet satis corpus uti ens in potentiâ definiri, non autem reale & physicum. Porro si partes spectes, est vitiosa. 1. Quia omnia attributa corporis quæ hic recensentur sunt respectiva, ut figurâ aliquâ terminari seu rotundâ seu quadratâ. 2. Nec sunt priora ut in legitimâ definitione esse debent, extensio enim his omnibus prior est. Apparet itaque, quam falsa sit illa è Scholasticis studiis & veteri philosophiæ innitentibus fundamentis ac principiis hausta ac deducta cognitio, de naturâ Corporis nostri & Animæ.

Videamus jam porrò an quidquam ex iis, quæ olim ad naturam nostram pertinere existimabat, revera ad eam pertineat, Progreditur autem hac methodo Philosophus, ut primò quidem consideret naturam proprietatesque corporis & an quidquam ex iis ad se pertinere in præsens asseverare audeat, ubi statuit deceptorem aliquem potentissimum, & si fas est dicere malignum, se deludere & in omnibus quæ in mundo sunt pro viribus decipere: idque ex sententiâ impiorum & Manichæorum, quoniam eorum argumenta refutare ordine philosophandi nondum potest; & proinde illa Hypothesis, Meditatione primâ admissa, adhuc admittitur. Quid igitur affirmare valet de eis, quæ ad naturam corporis antehàc pertinere existimavit? Circumspiciens autem & attentè omnia illa animo volvens atque revolvens, adeò ut delassetur eadem iterum atque iterum repetendo, nihil invenit, nihil detegere potest, quod de naturâ corporis sui affirmare possit, imò ne hoc quidem

quod

quod Corpus habeat, asserere audet, quoniam nihil nisi intelligendi vim se exercere hactenus deprehendit, adeóque se esse rem cogitantem. *Quid autem nunc, ubi suppono deceptorem aliquem potentissimum, & si fas est dicere, malignum datâ operâ in omnibus, quantum potuit, me delusisse, possumne affirmare me habere vel minimum quid ex iis omnibus, quæ jam dixi ad naturam corporis pertinere?*

Cum itaque nihil, quod ad naturam seu conceptum substantiæ corporeæ pertinet, ad se pertinere audeat affirmare, imò cum se corpus habere nondum affirmare possit, quia supposuit nullum corpus in mundo esse; pergit porrò & inquirit, an proprietates, quas Animæ olim ascripsit, cum vulgari philosophiæ inhæreret, revera ad se pertineant, quales sunt incedere, nutriri. *Quid verò*, inquit, *ex iis quæ animæ tribuebam nutriri vel incedere?* Sed respondet has proprietates esse corporis, si quod datur; non autem animæ, uti vulgus putat: imò addit, quoniam jam corpus suum nullum esse supposuit, nutriri & incedere, respectu sui non esse nisi figmenta.

Maximoperè autem mirandum est, quâ fronte & quâ fide Gassendus Cartesio asscribat quod nutriri, incedere, sentire ad animam referat; cum disertis verbis nutritionem heic referat ad solum corpus; incessum verò & sensum maximâ ex parte etiam ad corpus, solam autem cogitationem ad animam. Disertè enim *Sensum* ad se, qui est res cogitans, pertinere negat, idque geminâ ratione: primò, quià *hoc non fit sine corpore*; nam quemadmodum incessus fit pedibus, ita visus oculis, auditus auribus, gustus linguâ, tactus manibus, olfactus naribus; quæ membra cum sanè asscribere mihi non possum nec me sentire affirmare possum. Deinde probat sentiendi actionem de se non posse se affirmare, quoniam contingit sæpe, quod putemus nos sentire, quum revera nihil sentimus, uti in somnis; & adhuc incertum est, an somniemus an vigilemus? quoniam genuina inter utrumque distinctio nondum satis detecta est. Non igitur nutriri, incedere, sentire ad sui

Respp. Quintis num. 2.

naturam, quià tantùm res cogitans est, nec corpus habet, pertinet.

Cæterum objicit Gassendus animam nutriri, quoniam adolescit ac debilitatur cum corpore; *nonne, rogat, corpore adolescente ipsa adolescis? & dum illud debilitatur, debilitaris quoque ipsa?* Interrogatio ex Epicuri Scholâ, hujusque discipulo digna. Audi enim Lucretium eodem modo ratiocinantem.

Præterea gigni pariter cum corpore, & unà
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem.
Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore: sic animi sequitur sententia tenuis.
Inde ubi robustis adolevit viribus ætas;
Consilium quoque majus, & auctior est animi vis.
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus, & obtusis ceciderunt viribus artus;
Claudicat ingenium: delirat linguaque mensque;
Omnia deficiunt, atque uno tempore desunt.

Cæterum in hanc Lucretii argutationem lege sodes eruditam Florentini Censoris animadversionem: *Humana profectò anima*, inquit, *simul & cum corpore oritur, infunditur nempe à Deo, tota simul perfecta, cui subsequens ætas, nec adjicit, nec demit quicquam. Oritur, nunquam interitura, & quæ temporis noscit exordia, auctori suo in posterum coæva, mensurabitur æternitate. Dives illa muneribus, molli, infirmoque præficitur corpori, quum tamen ex animalibus quamplurima, eaque præsertim quibus firmior contigit membrorum compages, inculpatos edant motus, à vitæ usque incunabulis. Non invidet tandem nobis Natura organorum absolutionem; sed quæ caducæ rei est conditio, flaccescunt tandem, atque attenuantur illa ævi decursu.*

Contrahimur, miroque modo decrescimus ipsi; *Corn. Gallus.*
Diminui nostri corporis ossa putes.

Non hæc animæ vitia, sed organi impotis debitum animæ præstare obsequium: neque secus fit in ægritudine, ubi nulla inabsolutæ animæ suspicio unquam oboritur. Hæc de communibus operibus animæ cum corpore, vel primæ nostræ vitæ in tyro-

tyrocinio; subsequuntur propria; intelligere, scilicet, & velle. Quum autem intelligere non sit reminisci, ut credidit Plato, sed in veri cognitionem contendere genuinis animæ viribus, non absque tamen sensuum satellitio, dubiò procul vitiabitur nonnunquam præstantissima illa actio improbo horum servitio: actionis verò læsio triplex observatur à Medicis, imminuta, ablata, & depravata: quod & voluntati contingit, suopte nisu contendenti in bonum. Verum trepidat inexperta mens in puero donec venientibus annis, secura vagatur, comparatâ sibi ex longo usu rerum notitiâ, sensim tamen illa fatiscit internorum sensuum vitio; quanquam verò

—— Prima languescit senum
Memoria, longo lassa sublabens situ; *Seneca in Oedipo.*

Vegeta tamen superest mens

—— —— nec tarda senectus
Debilitat vires animi mutatque vigorem. *Virg. 9. Æneid.*

Quin & scitum illud est, quod revelavit quandoque supremus ille Naturæ à secretis, si senex haberet oculum juvenis, videret ut juvenis; *per aliud enim animæ functiones labefactantur in communibus, per accidens in propriis, ubique tamen incolumi animâ, miniméque labefactatâ.* Eodem ferè sensu Gassendo interroganti respondet Renatus: *Primum itaque hic notabo tibi non credi, cum ais mentem adolescere, ac debilitari cum corpore, nullâque ratione id probas, nam ex eo quod non tam perfectè agat in corpore infantis, quam adulti, ac sæpe à vino aliisque rebus corporeis possint actiones ejus impediri, sequitur tantum illam, quamdiu corpori est adjuncta, ipso uti ut instrumento ad eas operationes, quibus ut plurimum occupatur, non autem perfectiorem vel imperfectiorem reddi à corpore: nec melius hoc inde infers quam si ex eo quod artifex non rectè operetur quoties malo utitur instrumento, inferres ipsum artis suæ peritiam ab instrumenti bonitate nancisci.* *Arist. lib. de Anima.* Cæterum cum nullam rei corporeæ proprietatem sibi attribuere valet, nec nutritionem, nec incessum, nec sensum, quid igitur reliquum est, de quo videndum restat, an sibi conveniat? sola superest *Cogitatio*: & hanc solam ad se perti-

pertinere asserit? rogat enim; *Cogitare? hic invenio, Cogitatio est.*

Sed dicat aliquis, dicit quidem Cartesius solam *Cogitationem* ad se pertinere sive ad naturam suam; quâ ratione autem id probat & certum esse deprehendit. Resp. Id probat & certissimum esse deprehendit hoc modo; quod nulla tum quæ ad corpus, tum quæ ad animam olim pertinere credidit, post accuratum examen ad se pertinere observat. *Examinantes enim quinam simus nos, qui omnia, quæ à nobis diversa supponimus falsa esse, perspicue videmus, nullam extensionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid simile, quod corpori sit tribuendum, ad naturam nostram pertinere, sed cogitationem solam: quæ proinde prius & certius quam ulla res corporea cognoscitur; hanc enim jam percepimus, de aliis autem adhuc dubitamus: atque ita distinctionem inter rem corpoream & cogitantem sive inter corpus & animam evidenter agnoscimus.*

Art. 8. P. 1. Princip.

Sed non tantum videt, nihil quod ad naturam pertinet corpoream, ad se quatenus est res cogitans pertinere; sed id ratione quoque probat, quoniam *cogitatio à se jam existente divelli nequit*, cum ne cogitare quidem possimus, cogitationem à nobis abesse; si enim & hoc cogitamus, adest utique cogitatio. *Cogitationis enim nomine intelliguntur illa omnia, quæ nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est.* Atque ita experimur nos assiduò cogitare, quià semper immediatè nobis nostræ cogitationis sumus conscii. Sed hic objici posset; sentire & incedere, quatenus à nobis fiunt, ad cogitationem pertinere, quoniam actionum sentiendi & incedendi conscii sumus. Si τὸ sentire & incedere de actione, quæ corpore peragitur, intelligatur; cognitio istius actionis non est absolutè certa; nam, uti dictum est, in somnis sæpe accidit, quod putemus nos sentire, incedere, quum nulla sentiendi vel loco movendi actio à nobis exercetur, imo etiam fortè, quum corpore caremus. Sed si intelligatur de ipso sensu sive conscientiâ sentiendi vel incedendi, quià tunc refertur ad mentem, quæ sola sentit, sive cogitat se senti-

ſentire vel incedere, eſt planè certa: Nam ſi de conſcientiâ ſentiendi vel incedendi loquamur, non modò intelligere, velle, imaginari, ſed etiam ſentire, idem eſt quod cogitare. Confer Carteſium in Principiis. Et ex hac igitur Cogitatione *Art.* IX. P. I ſive cogitandi conſcientiâ, quæ inſeparabilis & eſſentialis eſt, infallibiliter concludit & infert: *Ego ſum, ego exiſto, certum eſt*.

Cæterum quamdiu hæc exiſtentiæ certitudo durat & infallibilis eſt. *Quamdiu autem*? rogat. Et reſpondet: *Quamdiu cogito*. Nam quoniam è ſuâ cogitandi actione & facultate ſuam exiſtentiam certiſſimam eſſe perſpicit; fieri non poteſt, quin, dum cogitat, exiſtat; hinc ſuam exiſtentiam tam diu neceſſariò durare aſſerit, quamdiu cogitat. Sed quià nondum inquiſivit, anne ſublatâ cogitatione etiam mox intereat, hinc nihil heic loci eâ de re affirmat, ſed in medio relinquit, an ſublatâ cogitatione totus eſſe deſinat, nec ne? *Nam*, inquit *fieri poſſet, ſi ceſſarem ab omni cogitatione, ut illico totus eſſe deſinerem*. Et ipſe rationem aſſignat quare nihil hâc de re certi aſſerat, an nempe ſublatâ cogitatione exiſtat, nec ne: quoniam hic nihil verum eſſe affirmat, niſi quod indubitatâ certitudine verum eſſe cognovit, quam cognitionem hac de re nondum habet, aut potius ſe nondum habere fingit: & propterea ſcribit: *nihil nunc admitto, niſi quod neceſſariò ſit verum*; & quidem certitudine metaphyſicâ; hic autem hoc tantum unicum deprehendere potui, quod cogitem, & quod *cogitando exiſtam* & ſubſiſtam; & quod proinde *præcisè tantum ſim res cogitans id eſt, mens, ſive animus, ſive intellectus, ſive ratio*. Summa autem eorum, quæ hactenus certò de ſuâ eſſentiâ ſive naturâ cognovit, hæc eſt: Nempe advertit cogitandi ſeu actionem ſeu facultatem à ſe eſſe inſeparabilem & divelli non poſſe, adeò ut ſemper immediate & intimè adſit; imò ut ſepoſitis etiam & abdicatis omnibus nihil præter cogitationem in ſe id eſt mente ſuâ reperiat; unde infert & concludit ſolam cogitationem eſſe attributum eſſentiale ſive proprietatem talem per quam mens ſua ab omnibus aliis rebus differt ac diſtinguitur; & in quâ mentis eſſentia conſiſtit, id eſt

 con-

concludit mentem suam esse rem cogitantem sive rem facultate cogitandi præditam, per quam facultatem à cæteris omnibus distinguitur.

Et nequis cavillaretur, uti faciunt antagonistæ, quod mentis essentiam ità consistere in cogitatione affirmaverit, ut substantiam sive rem & ens per se subsistens eandem esse negaverit, hinc disertè inculcat & subjungit; *se esse rem cogitantem* id est, *mentem, sive animum, sive intellectum, sive rationem.*

Notandum autem Philosophum prorsus abstinuisse à vocabulo *anima* ad exprimendam & describendam naturam rei cogitantis, sed utplurimum vocabulo *mentis* usum fuisse. Ratio autem, quæ ipsum ad hoc impulit, assignatur; *Quiâ primi homines non distinxerunt in nobis illud principium, quo nutrimur, crescimus, & reliqua omnia nobis cum brutis communia sine ullâ cogitatione peragimus; utrumque unico* Animæ *nomine appellârunt, ac deinde animadvertentes cogitationem à nutritione esse distinctam, id quod cogitat vocârunt* mentem, *hancque animæ præcipuam partem esse crediderunt:* uti *Platonici*, qui dividentes animam in tres partem, quam τὸ ἡγεμονικὸν appellabant, in cerebro collocabant. *Ego vero*, pergit Cartesius, *animadvertens principium quo nutrimur, toto genere distingui ab eo, quo cogitamus, dixi* Animæ *nomen, cum pro utroque sumitur, esse æquivocum; atque ut specialius sumitur pro* actu primo, *sive* præcipuâ hominis formâ, *intelligendum tantum esse dè principio quo cogitamus; hocque nomine* mentis *ut plurimum apellavi ad vitandam æquivocationem:* Mentem *enim non ut animæ partem, sed ut totam illam animam quæ cogitat, considero.*

In Respp. Quintis num. 4.

Et quoniam *Anima* quæ cogitat nomine *Mentis* & *Animi* sæpe venit apud authores, uti quandoque etiam nomine *Intellectus & Rationis*; hinc principium illud, quo cogitamus, quatuor his vocibus *Mentis*, *Animi*, *Intellectus & Rationis* expressit.

Ita Lucretius principem partem Animæ quam solam sapere ait, *Consilium* sive *Rationem*, item *Animum* appellat.

Sed

Sed caput esse quasi & dominari in corpore toto
Consilium: *quod nos* Animum Mentemque *vocamus.* *Lib.* III.
Cætera pars animæ per totum dissita corpus
Paret & ad numen mentis momenque movetur;
Idque sibi solum per se sapit.

Addit autem Renatus, *has voces prius fuisse sibi significationis ignota*, quoniam ignorabat, qualis naturæ res, hæ voces propriè designarent; nec mirum; quià ipsarum rerum per has voces denotatarum essentias cognitas non habebat, cum mentem animum, intellectum, rationem non nisi mera corporis adjuncta esse existimaret, ita corpori immersa & infusa ac permixta, ut nec esse nec intelligi nisi in corpore & per illud possent; siquidem cum Lucretio ex priscis cogitationibus inferre cogebatur;

Ergo corpoream naturam animi esse necesse est: *Lib.* III.
Corporeis quoniam telis, ictuque laborat.

Jam vero dum naturam suam penitissimè consideravit, dum corpus nullum in mundo esse suppofuit, animadvertit se interim existere, ideoque corporeæ nequaquam esse essentiæ, sed alterius prorsus essentiæ, & existentiæ à corpore nequaquam dependentis, adeò ut sit res vera & verè existens, substantia & ens per se subsistens, subjectum variorum cogitationum. Nam ne quis ex his vocibus, mens, animus, intellectus, ratio, novam cavillandi ansam arriperet, dicendo eas voces solas facultates denotare, non verò rem sive substantiam cogitandi facultate præditam; hinc per πρόληψιν illi objectioni occurrit eumque scrupulum de significatione harum vocum exemit dubitantibus, subdit enim: *Sum autem res vera, & verè existens; sed qualis res? dixi, Cogitans.* Et proinde Hobbesio de his vocibus difficultatem moventi respondet; *Non intellexi per ista nomina facultates, sed res facultate cogitandi præditas, ut per duo priora*, nempe mens, animus, *vulgo intelligitur ab omnibus; & per duo posteriora*, puta intellectus, ratio, *frequenter: hacque tam expressè totque in locis explicui, ut nullus videatur fuisse dubitandi locus.* Ita explicat

 quo-

In Respp. Quintis num. 4. quoque quo significatu vocem mentis acceperit nempe pro anima rationali substantiâ cogitante. *Mentem*, inquit, *non ut partem animæ, sed ut totam illam animam, quæ cogitat, considero.* Et quo sensu mentis, intellectus, rationis vocibus usus sit declarat, & hæc de quibus agimus dilucidius alibi exponit: *Quæsivi an aliquid in me esset ex iis, quæ animæ prius à me descriptæ tribuebam, cumque non omnia quæ ad ipsam retuleram invenirem, sed solam cogitationem; ideo non dixi me esse animam, sed tantum rem cogitantem, atque huic rei cogitanti nomen* mentis, *sive* intellectus *sive* rationis *imposui, non ut aliquid amplius significarem nomine mentis, quam nomine rei cogitantis, atque ideò* εὕρηκα, εὕρηκα *exclamarem, ut hic* (Septimus Opponens) *ineptissimè cavillatur. Nam contra expressè addidi voces illas mihi prius fuisse significationis ignotæ; adeò ut dubitari non possit, quin præcisè idem tantum per illas ac per nomen rei cogitantis intellexerim.*

In Objectionibus ac Responsionibus Septimis

Atque ità suprà quoque audimus Lucretium *consilii sive rationis*, item *mentis* & *animi* vocabula usurpâsse ad denotandam partem Animæ, quâ cogitamus; quam Animæ partem substantiam quoque facit, licet impiè corpoream, ut mortalem esse evinceret.

Deprehendi & percepi in antecessum satis evidenter & certò me esse *rem cogitantem.* Jam porrò tentabo meam cognitionem ulterius promovere inquirendo, num quid *præterea* sim. Quid *præterea?* rogat. Nunc autem alia cogitationis specie sive alio cogitandi modo utar nimirum imaginatione, quum hactenus purâ intellectione usus fuerim, quoniam jam inquisiturus sim anne sim res corporea, cujus natura imaginandi facultate solet concipi, *imaginabor* itaque.

Procedam autem eâdem methodo, quâ incepi, removendo omnia dubia, & hoc solum quod certò mihi patet asserendo & assumendo. Imaginando itaque cogito & mentis meæ naturam considero, & nihil tamen quod sub imaginationem cadit in illâ reperio, cum præcisè ipsius naturam, quatenus non est juncta corpori, sed res tantum cogitans,

con-

considero; ita enim seipsum explicat Cartesius Epistol. cv. Vol. 1. *Non mihi videtur difficile esse intelligere*, inquit, *quod facultates imaginandi & sentiendi ad animam pertineant, quandoquidem illæ sunt cogitationum species; quæ tamen non pertinent ad animam, nisi quatenus illa juncta est corpori, quia nempe tales hæ sunt cogitationum species, ut possit sine illis concipi anima pura.* Cui rationi accedit & hæc, quod supposui omnes res corporeas nihil esse, & adhuc eadem hypothesis durat, suspecta enim adhuc & lubrica est sensuum & imaginationis fides, à quâ omnis harum rerum cognitio dependet, quæ proinde adhuc meritò judicatur dubia, & proinde ut falsa est rejicienda. *Non sum igitur compages illa membrorum, quæ corpus humanum appellatur: non sum etiam tenuis aliquis aër istis membris infusus, non ventus, non ignis, non vapor, non quidquid mihi fingo*; uti olim hujus naturæ, sed falsò, sed fictitiè animam meam esse putavi, cum de eâ cogitarem. *In Objectionibus Quintis num. 2.*

Objicit autem Gassendus seu rogat potius, quâ ratione Cartesio constet, quod non sit ventus, halitus, aër aut simile quid corporeum. Audiamus integram difficultatem à Gassendo motam & Renati ad eandem responsionem: *Hoc loco*, inquit Gassendus, *jam non spectas te, quasi hominem integrum, sed quasi interiorem occultioremve partem, qualem cogitâras esse animam. Quæso te ergo, ô Anima, seu quocunque velis nomine censeri, emendasti ne hactenus eam cogitationem quâ prius imaginabaris te esse quidnam instar venti, similisve rei his membris infusæ? Non fecisti sane: Cur non possis igitur esse adhuc ventus, vel potius tenuissimus Spiritus, qui calore cordis ex purissimo sanguine, aliundeve, aut ab aliâ causâ exciteris, serveris, & fusus per membra vitam illis tribuas; & cum oculo videas, cum aure audias, cum cerebro cogites, cæteraque, quæ vulgò tibi tribuuntur munia, exsequaris? id si ita sit, cur non habeas eandem figuram, quam totum hoc corpus, uti aër eandem quam vas continens? Cur non censearis circumscribi ambiente, quo corpus, aut ab epidermide? Cur non replere spatium, sive partes spatii, quas*

crassum corpus, seu partes ipsius non replent? Quippe corpus crassum habet porulos, per quos ipse diffunderis; adeò ut ubi partes tuæ fuerint, partes illius non sint: eodem modo, quo in vino & aquâ mistis ubi sunt partes unius, non sunt partes alterius, quantumcumque visus discernere nequeat? Cur non excludere corpus aliud ab eodem spatio? Cum in quibuscunque spatiolis fueris, partes corporis crassioris simul esse nequeant. Cur non moveri pluribus motibus? Cum tu enim plureis ipsis membris tribuas, quomodo id possis, quin movearis ipse? Certè neque moves immota, cum opus contentione sit: neque potes non moveri ad ipsius corporis motum. Si hæc igitur ita sint, cur dicas in te nihil esse eorum, quæ ad naturam corporis spectant? Hæc Gassendus. Respondet autem Cartesius: *Incipis non injucunda prosopopoeia me non amplius ut hominem integrum, sed ut animam separatam interrogare, quo me videris admonuisse eas objectiones non à mente subtilis Philosophi, sed à solâ carne factas esse. Quæso te igitur, ô caro, seu quocunque velis nomine censeri, habesne tam parum cum mente consortii, ut advertere non potueris quandònam emendavi illam vulgi imaginationem, per quam fingitur id quod cogitat esse instar venti, similisve corporis? Emendavi illam profectò cum ostendi supponi posse nullum ventum nec aliud corpus in mundo esse, ac nihilominus illa omnia, ex quibus me ut rem cogitantem cognosco, remanere. Ac proinde quæcunque posteà interrogas, cur non possim igitur adhuc esse ventus, cur non replere spatium, cur non moveri pluribus motibus, & talia; tam inania sunt, ut responsione non egeant. Siquidem notissimum est sublato subjecto sive corpore tolli prædicata id est omnes corporis proprietates.*

In Respp. Quintis num. 2.

Rursus objicit Gassendus: Deprehendis tandem te cogitare. *Id verò abnuendum non est: sed probandum superest tibi, vim cogitandi ita esse supra naturam corpoream, ut neque spiritus, neque aliud corpus agile, purum, tenue, ullâ dispositione parabile sit, quod cogitationis efficiatur capax. Probandum simul animas brutorum esse incorporeas, videlicet quæ cogitent,*

tent, seu præter functiones sensuum externorum, aliquid interne, non vigilando modo, sed somniando etiam cognoscunt. Probandum rursus crassum hoc corpus ad cogitationem tuam nihil prorsus conferre (cum absque illo tamen nunquam fueris, neque ab illo sejuncta aliquid huc usque cogitaveris) ac te idcirco independenter ab eo cogitare: adeo ut neque impediri, neque turbari valeas à vaporibus, sive fumis tetris crassisque, qui tam male cerebrum interdum afficiunt. Respondet Cartesius. *Denique quià sæpe à me petis rationes, cum ipsa, ô caro, nullas habes, & tibi probandi onus incumbit, advertendum est ad rectè philosophandum non opus esse ut ea omnia quæ non admittimus, quià ignoramus, an sint vera, probemus falsa esse. Sed tantummodo summopere cavendum esse nequid ut verum admittamus quod non possimus probare verum esse. Ita cum deprehendo me esse substantiam cogitantem, formoque clarum & distinctum istius substantiæ cogitantis conceptum, in quo nihil eorum quæ ad conceptum substantiæ corporeæ pertinent, continetur, hoc planè sufficit, ut affirmem me, quatenus meipsum novi, nihil aliud esse quam rem cogitantem, quod solum in secundâ Meditatione, de quâ jam agitur, affirmavi: Nec debui admittere istam substantiam cogitantem esse quoddam corpus agile, purum, tenue, &c. quandoquidem nullam habui rationem quæ id mihi persuaderet; tu si quam habes, tuum est ipsam docere, non autem exigere à me ut probem id falsum esse, quod non aliam ob causam admittere recusavi, quam quià mihi erat ignotum. Idem enim facis ac si dicenti me jam in Hollandiâ, negares esse credendum nisi probarem me non esse etiam in Chinâ, nec in ullâ aliâ mundi parte, quià forte fieri potest ut idem corpus per Divinam potentiam duobus in locis diversis existat. Cum vero addis, mihi etiam probandum animas brutorum esse incorporeas, & crassum corpus nihil conferre ad cogitationem, testaris te non modo ignorare cujus sint partes probandi, sed etiam quid à quoque sit probandum: nam ego neque animas brutorum puto esse incorporales, nec crassum corpus nihil conferre ad cogitationem, sed tan-*

tum

tum, istarum rerum considerationem nullam esse hujus loci.

Erroneas autem illas opiniones, quas de mente ejusque essentiâ conceperat Gassendus aliique, de eâdem Gentilium pars longè maxima animo fovebat. Quorundam opiniones recenset Stobæus. *Eclog. Physica Lib. I.* Ἀναξαγόρας, Ἀναξιμένης, Ἀρχέλαος, Διογένης ἀεροειδῆ· οἱ Στωϊκοὶ πνεῦμα νοερὸν, θερμόν· Παρμενίδης δὲ καὶ Πήγαθος, πυρώδη· Δημόκριτος πυρῶδες σύγκριμα ἐκ τῶν λογων θεορικῶν, σφαιρικὰς μὲν ἐχόντων τὰς ἰδέας, πυρίνην δὲ τὴν δύναμιν, ὅπερ σῶμα εἶναι. Ἡρακλείδης φωτοειδῆ τὴν ψυχὴν ὡρίσατο. Λεύκιππος ἐκ πυρὸς εἶναι τὴν ψυχὴν ἀπεφήνατο. Διογενης ὁ Ἀπολλωνιάτης ἐξ ἀέρος τὴν ψυχήν. Ἵππων ἐξ ὕδατος τὴν ψυχήν. Χέναρχος ὁ Περιπατητικὸς, καὶ τινες ἕτεροι τῆς αὐτῆς αἱρέσεως, τὴν κατὰ τὸ εἶδος τελειότητα καὶ ἐντελέχειαν, καθ᾽ ἑαυτὴν οὖσαν ἅμα καὶ μετὰ τοῦ σώματος συντεταγμένην. Ἐπίκουρος κρᾶμα ἐκ τεττάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους, ἐκ ποιοῦ ἀερώδους, ἐκ ποιοῦ πνευματικοῦ, ἐκ τετάρτου τινος ἀκατανομάστου, τοῦτο δ᾽ ἦν αὐτὸ τὸ αἰσθητικόν. id est, *Anaxagoras, Anaximenes, Archelaus, Diogenes Apollionates aëris naturam animæ tribuunt. Stoici Spiritum intelligentem & calidum dicunt. Parmenides & Pegathus igneæ naturæ. Democritus igneam misturam rerum ratione percipiendarum, quæ globosas quidem formas habeant, vim autem igneam quod sit corpus. Heralitus lucis naturæ: Hippo aquæ: Chenarchus Peripateticus cum aliis aliquot ejusdem sectæ, formæ perfectionem simul per se & cum corpore subsistentem. Epicurus quatuor rerum mixtionem, igneæ, aëreæ, spiritalis, & quartæ nomine carentis, quâ sentiendi vim indicat.*

Cicerò autem, ut ipse ait, ferè omnium de anima sententias recenset: *Tuscul. Quæst. Lib. I.* nec pigeat audire principem Romanæ Eloquentiæ & Philosophiæ. *Quid sit porrò ipse animus, aut ubi, aut unde, magna dissensio est. Aliis cor ipsum animus videtur: ex quo excordes, vecordes, concordesque dicuntur: & Nasica ille prudens, bis consul, Corculum, &*

Egregiè cordatus homo catus Ælius Sextus.

Em-

Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem. Aliis pars quædam cerebri visa est animi principatum tenere: aliis nec cor ipsum placet, nec cerebri quandam partem esse animum: sed alii in cerebro dixerunt animi esse sedem & locum: animum autem alii animam, ut ferè nostri, declarant nominari: nam & agere animam, & efflare dicimus, & animosos & benè animatos & ex animi sententiâ: ipse autem animus ab anima dictus est. Zenoni Stoico animus, ignis videtur. Sed hæc quidem quæ dixi, cor, sanguinem, cerebrum, animam, ignem vulgò: reliqua fere singuli, ut multi ante veteres, proximè autem Aristoxenus musicus, idemque Philosophus, intentionem ipsius corporis quandam, velut in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur; sic ex corporis totius naturâ & figurâ varios motus cieri, tanquam in cantu sonos. Hic ab artificio suo non recessit, & tamen dixit aliquid, quod ipsum quale esset, erat multò ante & dictum & explanatum à Platone. Xenocrates animi figuram & quasi corpus, negavit esse, verum numerum dixit esse, cujus vis, ut jam anteà Pyhagoræ visum erat, in naturâ maxima esset. Ejus doctor Plato triplicem finxit animam: cujus principatum id est rationem, in capite, sicut in arce, posuit: & duas partes separare voluit, iram & cupiditatem: quas locis disclusit; iram in pectore, cupiditatem subter præcordia locavit. Dicæarchus autem dicit nihil esse omninò animum, & hoc esse nomen *totum* inane, *frustraque animalia & animanteis appellari: neque in homine inesse animum vel animam, nec in bestiâ: vimque omnem eam, quâ vel agamus quid vel sentiamus, in omnibus corporibus vivis esse æquabiliter fusam, nec separabilem esse à corpore, quippe quæ nulla sit, nec sit quidquam nisi corpus unum, & simplex ità figuratum, ut temperatione naturæ vigeat, & sentiat. Aristoteles cum quatuor illa genera principiorum esset complexus, è quibus omnia orirentur,* quinctam quandam naturam *censet esse, è qua sit mens, quam* ἐντελέχειαν appellat *novo nomine, quasi* quandam continuatam motionem, & perennem. *Nisi quæ nos fortè fugiunt, hæ sunt ferè omnium de ortu animæ sen-*

tentiæ. Democritum enim magnum quidem illum virum, sed levibus & rotundis corpusculis efficientem animum *concursu quodam fortuito, omittamus: nihil est enim apud istos quod non atomorum turba conficiat.* Audiamus & Senecam: *Habere nos animum cujus imperio impellimur & revocamur, omnes fatebuntur; quid tamen sit animus rector ille dominusque nostri, non magis tibi quisquam expediet, quam ubi sit. Alius dicet esse* spiritum. *Alius* concentum quendam. *Alius* vim divinam & Dei partem. *Alius* tenuissimum aërem. *Alius* incorporalem potentiam. *Non deerit qui* sanguinem *dicat, qui* calorem. Adeò variantes, obscuros, confusos & erroneos de mente humanâ conceptus formavit antiquitas, hâc in parte à vero, ut in plurimis, longè aberrans; quâ de re si plura desideres Macrobium, Nemesium, Zachariam Mitylenæum, Æneam Gazæum aliosque consule. Cicero adeò difficile censuit inter has recensitas sententias, quæ vera sit, dijudicare, ut Dei id alicujus perspicaciam requireret. *Harum*, inquit, *sententiarum, quæ vera sit, Deus aliquis viderit.: quæ verisimillima magna quæstio est.* Conatur tamen citato loco ab absurdo refellere sententias plurimorum ante dictorum philosophorum: *Nam si cor, aut sangius, aut cerebrum est animus, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore. si anima (id est, aër) est, fortasse dissipabitur: si ignis, exstinguetur: si est Aristoxeni* harmonia, *dissolvetur. Quid de Dicæarcho dicam, qui* nihil *omninò animum dixit esse. His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest.* Et rursum: *In quo igitur loco est* (anima?) *credo equidem in capite: & cur credam rationes afferre possum; sed de hoc alias: nunc ubi ubi sit animus, certe quidem in te est. Quæ est ei natura? Propria puto, & sua. Sed fac igneam, fac spirabilem, nihil ad id de quo agimus. Illud modò videto, ut Deum noris, etsi ejus ignores & locum & faciem, sic animum tuum tibi notum esse oportere, etiam si ejus ignores & locum, & formam. In animi autem cognitione dubitare non possumus, nisi planè in physicis plumbei sumus, quin nihil sit ani-*

Nat. Quæst. Lib. VII. c. 24.

animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum ita sit, certè nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur. est enim interitus quasi secessus & secretio, ac direptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliquâ tenebantur. Ita vidimus quomodo eorum sententias, qui animam aliquo modo corpoream & mortalem statuunt, refutet, & quidem non malè, Tullius. Alibi tamen in eundem, quem hic evitat, impingit scopulum. Aristoteles autem adeò ambiguè, &, uti solet, obscurè ac diversimodè de Animâ locutus est, ut Oedipo conjectore opus sit, quid de eâ senserit. Id sanè constat, quod ipse hâc in re dubius hæserit & admodum fluctuaverit, unde Lactantius meritò scripsit, *Aristotelem secum ipsum dissidere & repugnantia sibi dicere & sentire.* Sentententiam tamen suam de mentis naturâ expressisse judicatur, cum inquit: Ἀναγκαῖον ἄρα τ̀ ψυχὴν ȣ̓σίαν εἶναι, ὡς εἶδος σώματος φυσικȣ̃ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος. Hæc enim verba, tanquam exactam animæ rationalis definitionem, passim prædicant. Quæ tamen si accuratius excutias versutum Aristotelis ingenium satis produnt, cum hæc verba neutiquam naturam mentis explicant, sed, quodcunque demum fuerit, ei applicari potest, instar cerei nasi; sive enim ignis, sive aër, sive aqua, sive ventus, sive halitus, sive cor, sive cerebrum, sive sanguis, sive pars Dei, sive aliud quidvis fuerit anima, potest dici *essentia, tanquam forma corporis physici potestate vitam habentis.* Obscura itaque & ambigua est hæc Aristotelis definitio quæ mentis naturam, uti in se est, neutiquam declarat; sed saltem quomodo se relatè ad corpus, sive hominis sive bruti, habeat; dicit nempe, quod solummodò informando & movendo corpori inserviat. Nemesius eruditus sanè scriptor cum hanc Aristotelis definitionem, quâ *entelechiam primam corporis naturalis, instrumentis præditi, potestate viventis,* eam describit, perpendisset, ait: perspicuum esse, quod Aristoteles à substantiâ animam removeat faciatque ἀνȣ́σιον. At Aristotelis sententiam

Lib. 5.

De Anima Lib. II. c. I.

Tusc. Quæst. Lib. 1. tiam longè benignius interpretatur Tullius: *Sin autem*, inquit, *anima est quinta quædam natura ab Aristotele inducta primum; hæc & deorum est, & animorum. Hanc nos sententiam secuti, his ipsis verbis in consolatione hac expressimus: Animorum nulla in terris origo inveniri potest: nihil enim est in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terrâ natum, atque fictum esse videatur: nihilve aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat; quod & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti possit præsentia: quæ sola divina sunt, nec invenietur unquam unde ad hominem venire possint, nisi à Deo. Singularis est igitur quædam natura, atque vis animi sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit necesse est. Nec verò Deus ipse qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi potest nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno.* —— *Hoc è genere atque eâdem è naturâ est humana mens?* Sed quocunque modo explicet Cicero, sana doctrina de Mentis essentiâ in Aristotelis scriptis nusquam reperitur, quippe qui nunquam animam ab omni materiâ liberam pronunciavit, vel esse intellexit: quod me alicubi solide evicisse arbitror, cum inter cætera hæc dissererem: Sed acriter heic insurgent Aristotelis vindices, suis nos armis confossuri; obtendent enim Aristotelem satis sanè & orthodoxè de origine mentis humanæ sensisse, quomodocunque demum de ortu corporis statuerit: cum enim apertis docere verbis, animam θύραθεν ἐπεισιέναι,
2. De Gen. Animal. cap. 3. „ *extrinsecus accedere* & solam Divinam esse, quoniam „ nihil cum ejus actione actio corporalis communicat. Sed nos ad declinandum ictum Aristotelem Aristoteli committimus, verbis allegatis mox subjungentem: Omnis igitur „ igitur animæ vis & potestas corpus aliud participare videtur, „ quam quæ elementa vocantur. Verum prout nobilitate

„ igno-

„ ignobilitateve animæ inter se differunt, ita & natura hu- „ jus corporis differt. Manet igitur actio & essentia animæ corporea, licet formata sit de corpore nobiliore & diviniore, quam elementaria hæc corpora, ignis, aër, aqua & terra; cum sit de corpore stellis analogo. Divinitatem enim toti mundo omnibusque ejus partibus, in quibus aliqua vita aut motus est, asscribit. Si autem motum, actum, vitam ex seipsis habent, divinitate præstantiore gaudent; si motu, vitâ, actu participato fruantur, Divinitatem minus præstantem possident. Hinc primo cælo, ubi stellæ fixæ sunt, vitam ac divinitatem præstantissimam assignat, eo quod ex seipso perpetuum habet motum & vitam, ut vult, perennem. Et reliqui quoque cæli, quià primi cæli motum imitantur, aut de ejus motu participant, juxta cum primo cœlo æterni sunt & Divini, atque ita perennant. Et licet revera plura sint cœlorum corpora, quia tamen Cælum se toto unum est, sic unum quoque τὸ θεῖον, quod nihilominus secundum partes considerari potest. Atque de hoc θείῳ, cælesti & Divino corpore, nobiliore, quam elementa, ignis, aër, aqua & terra, anima humana facta est. Corpora autem sublunaria, quia nimis à cælo supremo remota sunt, mutationi sunt obnoxia, & ideò cum in individuo perennare non possint, propter cæli tamen motum & influxum secundum speciem per generationem & successionem continuam perennant; atque ità quoque τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχει, æternitatis & divinitatis participant. Eadem igitur Aristoteli mens cum reliquis ethnicis, qui è semine Divino id est ejusdem materiæ, aut ut Aristoteles ipse mavult, analogæ cum stellis animas fieri hominum & inde mitti *in terras, tanquam in colonias*, ut loquitur Arnobius, existimant. Ità Cicero in Somnio Scipionis animas hominum è stellis factas scribit. Quo nomine Hipparchum quoque laudat Plinius quod nemo magis ipso approbâsset cognationem cum homine siderum, animasque nostras esse partem cæli. Hoc sensu Horatius: Animam *Divinæ particulam auræ* appellat id est cæli; eamque *Sensum æthereum* nuncupat Virgilius; & *Sensum à cælesti*

IX. Metaph. c. 8. I. De Anim. cap. I.

2. De Cælo. cap. 12. & XII. Metaphysic. cap. 7. & 8.

2. de Anim. cap. 4. & 2. de Gen. cap. 10.

lesti demissum arce, Juvenalis. Quid multis? Ut Hippocrates libro de Carnibus scribit: Quod calidum vocamus id „mihi immortale esse videtur, cunctaque intelligere, vide„re & & audire, sentireque omnia, tum præsentia, tum „futura. Cujus maxima pars, cum turbata essent omnia, „in supremum ambitum secessit, quod mihi videntur ve„teres æthera appellasse. Et ex hoc æthere seu calido, sic omnes in se actus vitales habente, animam & mentem componit, quam idcirco in corde constituit, quatenus ibi fons omnis caloris & principium vitæ est, ac instar ignis ex sanguine ceu pabulo incenditur ibi ac nutritur. Haud secus Aristoteles Animam in corde esse, & ibi quoque *incendi* dicit libro de Republ. licet in libris Metaphysicis, Physicis & de Animâ omnia obscuris ænigmatis & notionibus Logicis involvat ac tegat. Manet itaque Aristotelis anima corporea, cui ineptè & falsò, (subtilissimæ & tenuissimæ sit licet substantiæ & infinitis gradibus præ corporibus elementaribus attenuatæ & comminutæ) intelligentiam & mentem asscribit, quæ sua naturâ dissipabilis & mortalis est. Observent autem & Tyrones ex Antonio Le Grand quot modis in genuinam Logicam dicta Aristotelis Animæ definitio impingit: *Generalibus*, inquit, *tantum verbis definiit, vir naturâ versutus, ut ita sibi caveret, ne à posteris carperetur, ac proinde talem protulit definitionem, quæ omnibus penè rebus conveniret, & veluti commune emplastrum, omnibus mederetur. Nam secundo libro de Anima, Animæ essentiam explanaturus hoc modo eandem definit:* Perfectio, seu actus corporis organici naturalis potestate vitam habentis. *Quam vaga autem sit hæc definitio, ex eo colligi potest, quod Theologi, Medici, Chymici eam usurpent, & diversis rebus propriam reddant. Nam asserunt Theologi, sacrique Textus interpretes,* sanguinem *Brutorum esse* Animam, *aut spiritum è sanguine emanantem: præsto est Aristoteles suggeritque sanguinem esse* Actum corporis naturalis organici potestate vitam habentis. *Placet Medicis* Animam esse temperamentum *corporis, & humorum, qui in eo sunt, harmoniam. Hæc* Actus *erit,*

Hippocr. lib. de corde.

Cap. XVI.

De Carent. sensuum in brutis

erit, secundum Aristotelem corporis organici potentiâ vitam habentis. *Asserunt antiqui Philosophi*, Animam aërem *esse, ore conceptum defervefactum in pulmone, & in corpus diffusum: Huic quadrat Aristotelis Animæ definitio, nempe quod aër sit* perfectio corporis naturalis potestate vitam habentis. *Arbitrantur alii Animam esse* calorem, *aut tenuem spiritum corpori sensum motumque tribuentem; haud obluctabitur Aristoteles, sed mordicus tuebitur, hujusmodi* calorem, *aut spiritum, aliud non esse, quam* actum corporis naturalis organici, potentiâ vitam habentis. *Adeò ut, quidquid assignaveris, imò quidquid quantumvis obscurum comminiscaris, hâc definitione comprehendetur, & genus, differentiamque sibi vendicabit.*

Sed quantumvis non itâ spatiaretur hac definitio, & certis duntaxat rebus assignaretur, non esset propterea inter philosophos retinenda. Nam quid in eâ continetur, quod reprehendi non debeat? Nullum enim in eâ habetur attributum absolutum, *quod Animæ essentiam explicet: sed* respectiva *duntaxat prædicata, & generalia, quæ cum aliis mixta, & quodammodo colligata sint, non nisi confusam notitiam pariunt. Præterea, quid nobis distincti per Actus vocem innotescit? nihil amplius mehercules, quam si quis* lucem, *Actum corporis lucidi esse definiat, &* Calorem, *actum corporis calidi. Quæ definitiones, tantum abest, ut nos doctiores efficiant, quinimò in inextricabilem labyrinthum nos detrudunt, & rem per se claram verborum ambagibus obnubilant. Unde* Hermolaus Barbarus, *vir eruditus, & inter suos ob animi dotes celebris, cum aliquando cum Dæmone convenisset, & aspirante fortunâ, colloquium nactus esset, nihil ab eo efflagitâsse ajunt, quam ut nominis* ἐντελέχεια *quod vertunt* Actus *in prædicta Aristotelis definitione, significationem aperiret, & tanti Philosophi, hâc in re saltem discipulum efficeret.*

Sed redeamus ad rem. Cum autem vidimus & per πρόληψιν quodammodo probavimus mentem nostram non esse aërem, ventum, halitum, ignem, vaporem, aut aliquod aliud subtile corpus; jam sibi ipsi objicit Philosophus secum solus medi-

meditans: *Fortassis verò contingit, ut hæc ipsa, quæ suppono nihil esse, propterea tantum quia mihi sunt ignota, tamen non differant àb eo me quem novi* id est à mente meâ seu à meipso, quatenus sum res cogitans. Respondet autem, *nescio de hâc re jam non disputo:* & subjungit rationem, primo cur hoc se nescire dicat, *de iis*, inquit, *quæ mihi nota sunt judicium ferre possum:* & deinde quoque, cur hoc inpræsens non disputet nec inquirat, quoniam sui jam existentis essentiam, quatenus est res cogitans, hoc tempore solummodo investigat; *novi* ait, *me existere, quæro quis sim ille ego quem novi*; de nullis aliis rebus nunc disquirere libet, antequam mei pleniorem cognitionem adeptus fuero. Illud interim certissimè mihi constat mei sic præcisè sumpti notitiam, quà me cognosco ut rem existentem & cogitantem, non dependere ab iis quæ existere nondum novi; notitia enim non dependet ab ignotis, nec ab ullis aliis rebus quas imaginatione effingo. Objicit Gassendus: *si nescis, si non disputas, cur te nihil esse istorum assumis.* Acsi Cartesius aliquid assumpsisset quod ignoraret, & de quo non disputaret nec quod inquisivisset. Sed respondet Cartesius: *Falsum est me quicquam assumpsisse quod nescirem, nam planè è contra, quia nesciebam essetne corpus idem quod mens nec ne, nihil eâ de re assumpsi, sed solam mentem consideravi, donec posteà in sexta Meditatione illam realiter à corpore distingui, non assumpsi, sed demonstravi. Tu verò, ô caro, in hoc plurimum peccas, quod cum nullam vel minimam habeas rationem ad probandum mentem à corpore non distingui, nihilominus tamen id assumis.* Porrò autem probat se nihil esse ex iis quæ imaginatione effingit; quandoquidem eò ipso quod aliquid effingit, illud in se reverà nihil est, atque ita erraret, si affirmaret se esse ex iis aliquid, quæ imaginatur. Quod probat ex ipsâ naturâ imaginationis, quià nihil aliud est imaginari quam rei corporeæ figuram seu imaginem effingere eamque contemplari. Et quâ ratione ullatenus fieri possit ut ego sive res cogitans sim ipsa imago sive phantasma, quod concipio, cum imagines istæ omnes

Objectio Gassendi, num. 4.

omnes & res corporeæ omnes fortassis nihil sint nisi phantasmata per somnum visa, in se verò prorsus nihil, cum ego è contrà me esse & existere jam certissimè novi. *Atque* inquit, Effingo, *hoc verbum admonet me erroris mei, nam fingerem revera si quid me esse imaginarer, quià nihil aliud est imaginari, quam rei corporeæ figuram contemplari: jam autem certò scio me esse, simulque fieri posse ut omnes istæ imagines, & generaliter quæcunque ad corporis naturam referuntur, nihil sint præter insomnia.* Atque hinc infert se in perquirendâ sui naturâ, quam clarè & distinctè cognoscere cupit, ineptè & stultè imaginationis facultate usum fuisse; *quibus animadversis*, inquit, *ineptire videor dicendo, imaginabor, ut distinctius agnoscam quisnam sim.* Exaggerat autem hanc suam ineptiam, eamque magnam esse ostendit comparando cum alio quodam facto, quod manifestò stolidum & insulsum esse omnis, cui sanum sinciput est, evidenter agnoscit. *Non minus*, inquit, *ineptire videor dicendo, imaginabor, ut distinctius agnoscam quisnam sim, quam si dicerem, jam quidem sum experrectus, videoque nonnihil veri; sed quià nondum video satis evidenter, datâ operâ obdormiam, ut hoc ipsum mihi somnia verius evidentiusque repræsentent.* Et sane vanum & stultum est per insomnia veritatem velle inquirere, cum somniorum phantasmata sæpissimè nihil sint nisi mera ludibria & mendacia: unde somnia pro ipsis mendaciis & vanis figmentis usurpari apud eruditos autores reperimus:

Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.

Et hinc concludendo indicat, quem fructum ex hâc penitiori & accuratiori consideratione de naturâ imaginandi percepit & quem usum exinde facere oportet. Nempe cognoscit imaginandi facultatem, quæ omnes res sub specie corporeâ repræsentat, ad accuratam & distinctam mentis nostræ cognitionem inquirendam & acquirendam prorsus esse inutilem, quoniam omnia, quæ imaginationis ope comprehendimus, sub corporeâ specie offeruntur, quæ tamen ad illam quam de mente nostrâ habemus notitiam ne-

quaquam pertinent; unde sequitur mentem, si suam essentiam clarissimè & ab aliis omnibus rebus distinctissimè velit perspicere à rebus imaginatione perceptis omni industriâ & studio esse removendam. *Itaque cognosco*, inquit, *nihil eorum quæ possum imaginationis ope comprehendere, ad hanc quam de me habeo notitiam pertinere, mentemque ab illis diligentissimè esse avocandam, ut suam ipsa naturam quam distinctissimè percipiat.* Opponit rursus se Gassendus Renato, aitque imaginationis descriptionem pro lubitu à Philosopho nostro esse effictam, ut inferret aliâ cogitationis specie, quam imaginatione, mentis nostræ naturam cognosci; dum, ut urget, mens, cum forte sit corporea, imaginatione comprehendi omninò possit. Audiamus ejus verba: *Describis consequenter quid sit quod imaginationem appellas. Dicis quippe* imaginari nihil aliud esse, quam contemplari figuram, imaginemve rei corporeæ. *Videlicet, ut inferas te aliâ cogitationis specie, quam imaginatione, cognoscere naturam tuam. Attamen, cum tibi pro tuo arbitratu imaginationem definire liceat: quæso te, si corporea sis, ut nondum probâsti contrarium, cur non contemplari te possis sub figurâ imagineve corporeâ? Et quæso, te dum contemplaris, quidnam experiris tibi obversari, præter substantiam quandam puram, perspicuam, tenuem, instar auræ universum corpus, vel cerebrum certè, illiusve partem pervadentis, animantis, functiones tuas illeic obeuntis?* Cognosco, *inquis*, nihil eorum, quæ possum imaginationis ope comprehendere, ad hanc, quam de me habeo, notitiam pertinere. *Verum quomodo cognoscas non dicis, & cum paulò antè statuisses nescire adhuc istane ad te pertinerent; undenam quæso id jam concludis?* Respondet Cartesius se imaginationem ex naturâ ipsius rei itâ clarè descripsisse, ut unicuique satis attendenti clarum sit & manifestum; unumquemque enim facile percipere posse, quod ea, quæ imaginatione id est sub specie corporeâ comprehenduntur, ad notitiam, quam de mentis suæ natura habet, nihil pertineant. *Quæ de imaginatione scripsi, satis clara sunt attendenti; sed nihil miri, si fortè iis,*

In Object. quintis num. 5.

In Resp. Quint.

iis, qui non meditantur, sint perobscura. Moneo autem ipsos, ea quæ ad hanc quam de me habeo notitiam non pertinere affirmavi, non pugnare cum iis, quæ dixeram anteà me nescire, an ad me pertinerent? quià planè aliud est pertinere ad meipsum, quam pertinere ad eam quam de me habeo notitiam.

Cum itaque in antecessum jam sæpius removimus illa omnia, quæ nos, quatenus mentes cogitantes sumus, non constituunt, reponamus denuò id quod unusquisque nostrum est, nempe res cogitans: *Sed quid igitur sum?* rogat: respondetque iterum: *Res cogitans?* Sed dicat quis! Id sæpius jam repetiisti clarius explica, distinctius interpretare, quid illud sit; ut cognoscamus quid per illud intelligas. *quid est hoc?* satisfaciens autem huic petitioni declarat quænam in re cogitante contineantur, respondens; *sum res dubitans, intelligens, affirmans, negans, volens, nolens, imaginans quoque, & sentiens.* Non exigua nec pauca numero hæc sunt attributa, & sanè non parum profecero in cognitione mei ipsius id est mentis meæ; si cognovero hæc omnia ad meam naturam pertinere & mihi inesse. *Non pauca sanè hæc sunt si cuncta ad me pertineant.* Ad nostram autem pertinere illa omnia naturam citrà controversiam esse dicit, & unicuique accuratè attendenti manifestissimum. *Sed quidni*, ait, *pertinerent?* Pertinere autem ad se ex indubitatâ experientiâ probat, quâ hæc omnia sibi quatenus est res cogitans, inesse certò cognoscit & perspicit; fieri enim non potest, ut cum sit res merè cogitans, cogitationes suas non habeat cognitas & perspectas: *Nonne ego ipse sum qui jam dubito fere de omnibus, qui nonnihil tamen intelligo, qui hoc unum verum esse affirmo, nego cætera, cupio plura nôsse, nolo decipi, multa vel invitus imaginor, multa etiam tanquam à sensibus venientia animadverto. Dubito ferè de omnibus*, quià judicium meum de rebus omnibus mihi hactenus ignotis, exceptâ solâ mente meâ, suspendo & ab assentiendo cohibeo. *Nonnihil tamen intelligo*, nempe me existere ut rem cogitantem, & hoc ipsum

solummodo *affirmo*: vetera adhuc omnia, utpote mihi nondum perspecta & explorata, & proinde, tanquam apertè falsa, rejicio, & *nego*, donec mihi major eorum certitudo appareat. *Volo* autem & *cupio* plura nôsse & cognitionem meam magis magisque extendere, quod me obtenturum *spero*, si mei ipsius accuratam cognitionem acquisivero, ex illius enim accuratâ notitiâ me quoque in aliarum rerum certam notitiam perventurum esse *spero* & confido: & interim hoc unicè ago ne decipiar, *nolo* enim *decipi*, ut olim in philosophando sæpissimè delusus & deceptus fui; & in huncfinem illa, quæ *imaginor* vel per imaginationem mihi vel invito occurrunt, dum meditando in mentis meæ naturâ distinctissimè inquirendâ occupatus sum, studebo amoliri, omnesque sensuum perceptiones ut falsas abdicabo, etiamsi à *sensibus* multa mihi advenire *animadvertam* & *sentiam*.

Ex recensitis autem illis attributis nullum est, quod non æquè certum est mihi inesse ac ego ipse sum. Dicat & obtendat aliquis, me dormire & somno obrutum esse ac somniare. Me tamen dubitare, affirmare, negare, velle, nolle, & cætera mente agitare certissimum est. Objiciat aliquis me à Deo potentissimo meo Creatore vel à Genio aliquo maligno deludi; Deludat quantum potest; certum tamen est me dubitare, intelligere, affirmare, negare, velle, cupere, & reliqua cogitare; nam licet immeritò dubitem, licet perversè intelligam, licet malè affirmem, mala velim & cupiam, me tamen dubitare, intelligere, affirmare, velle, cupere, æquè certum est ac me esse. Nihil enim horum à meâ cogitatione distinguitur, omnes enim non nisi diversi sunt cogitandi modi; nihil quoque quod à me, qui res cogitans sum, separatum dici potest, siquidem modi inseparabiles sint à cogitatione, imò à me cogitante. Si enim dubito cogito; si percipio, cogito; si affirmo, cogito; si nego, cogito; si volo, cogito; si nolo cogito; at non viceversa si cogito, statim etiam dubito; si cogito, statim etiam affirmo; si cogito etiam volo, & ita de cæteris. Et proinde non ad dubitationem, non ad affirmatio-

tionem, non ad voluntatem; ſed ad cogitationem refero omnia, quæ nunc in me ſive in mente meâ eſſe experior, hancque ut primum & præcipuum ex omnibus meis attributis & quaſi fundamentum reliquorum conſidero.

Quinimò ipſa mea exiſtentia, ſeu quod ego ſim, per nihil quicquam evidentius, quam per has facultates & operationes dubitandi, intelligendi & volendi explicari poteſt; hæ enim omnes vitam meam actuoſam cum conſcientiâ vivendi conjunctam, clariſſimè exprimunt. Sed nec has tantum in me experior facultates, quoniam præterea *Ego* etiam *ſum* qui *imaginor*; nam quamvis fortè, ut ſuppoſui, res imaginatione percepta ſit nihil, imo nulla res imaginabilis exiſtat; Vis tamen ipſa imaginandi revera eſt, atque ad Cogitationem meam pertinet, haud ſecus ac quadratum ad figuram.

Idem denique *Ego ſum* qui *ſentio*, ſive qui facultates habeo imagines rerum ſenſibilium recipiendi & cognoſcendi: videlicet jam lucem video, ſtrepitum audio, calorem ſentio.

Sed objiciat quis, falſa hæc ſunt, quoniam in præſens dormis. Reſp. At certè videre videor mihi, audire, caleſcere mihi videor, hoc ità mihi videri, ita apparere falſum eſſe nequit. Et hoc videri propriè illud eſt quod in me ſeu in mente meâ *ſentire* ſeu *percipere* appellatur; atque ita hoc ſenſu dictum fuit olim à Menandro: Νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει. *Mens videt, mens audit.* Hoc autem *ſentire* ſigillatim conſideratum & à motu corporis, v. g. oculi, auris, aliorumque membrorum, quæ à luce, ſono & ſimilibus objectis affici dicuntur, diſtinctum, nihil aliud eſt quam *cogitare*. Manetque illud inconcuſſæ veritatis: *Ego ſum res cogitans, id eſt dubitans, affirmans, negans, pauca intelligens, multa ignorans, volens, nolens, imaginans etiam & ſentiens, ut enim ante animadverſum eſt, quamvis illa quæ ſentio vel imaginor extra me fortaſſe nihil ſint, illos tamen cogitandi modos, quos ſenſus & imaginationes appello, quatenus cogitandi quidam modi tantum ſunt,*

in me esse esse sum certus. Aut ut brevius proponam: Ego sum substantia cogitans, id est, actus vitalis & essentialis; adeòque à me (quatenus mens sum) inseparabilis, est *cogitare*, cujus duæ speciæ sunt percipere & velle. Inque hoc τῷ *cogitare* sita est mentis essentia, quià ab omnibus aliis rebus, per hoc mentem meam distinguo; sita quoque est existentia, quia per hoc me existere immediatè & intimè mihi conscius sum, & per hoc omnes functiones meas exerceo id est vivo; & ubi hoc desinit, verè esse desino.

Et sanè fuere omni ævo Philosophi, qui hanc veritatem de Existentiâ & Essentiâ Mentis in Cogitando agnoverunt & constituerunt, licet ex professo hâc de re non egerint, aut pro *Lib.* IX. *ad Nicomachum.* rei dignitate explicuerint. In primâ acie collocamus ipsum Aristotelem, ut pote quo ex antiquis nemo clarius & distinctius convenientiam cum mente Philosophi nostri expressit. Τὸ ζῆν ἐστὶ κυρίως τὸ αἰσθάνεσθαι ἢ νοεῖν. αἰσθανοίμεθα δ' ἄν, ὅτι αἰσθανόμεθα, καὶ νοοῖμεν, ὅτι νοοῦμεν. τὸ δὲ ὅτι αἰσθανόμεθα ἢ νοοῦμεν, ὅτι ἐσμέν. Τὸ γὰρ εἶναι ἢ τὸ αἰσθάνεσθαι ἢ νοεῖν, καὶ τὸ ζῆν τοῦτο. *Vivere est propriè sentire aut intelligere sive cogitare: nec fieri potest quin, dum sentimus, sentiamus, &, dum intelligimus, sive cogitamus, intelligamus: sentire autem quod sentimus, aut intelligere quod intelligmus aut cogitamus, est intelligere, quod* simus. Esse *enim in sentiendo & in cogitando consistere, idemque diximus esse vivere.* In quibus verbis ipsa Cartesii mens veraque de mentis essentiâ & existentiâ ratio vivis quasi delineamentis depicta cernitur. Et ante ipsum, obscurius licet, eandem sententiam propo- *De Legib. Dialog.* X. suit Plato: *Vivit, quod à seipso movetur; à seipso autem moveri ratio est illius substantiæ, quam omnes nomine animam appellamus:* ubi nota, motus nomine latius sumpto cogitationem quoque includi; nam & ipse varios cogitationum modos, quos motus appellat, posteà recenset. *Velle, considerare, curare, consultare, rectè & non rectè opinari, lætari, dolere, audere, metuere, odisse, diligere,* & reliqua. Et ità Aristoteles *Cœlis perennem motum tanquam sempiternam quandam vitam & immortalitatem* asscribit.

Quin

Quin *rerum omnium Divinarum proprietatem* ait *esse, continuò & semper moveri:* Motus tamen propriè corporum est, cogitare animorum, uti serior & sapientior ætas rectissimè distinxit. Socrates in Phædro ex Platonis mente inter cætera de animo: *Hæc est propria natura animi atque quæ seipsam semper moveat,* id est, ex seipsâ cogitet. Unde infert Cicero: *Sentit igitur animus se moveri; quod cum sentit, illud unà sentit, se vi suâ, non alienâ moveri: nec accidere posse, ut ipse unquam à se deseratur, ex quo efficitur æternitas.* Sentire & intelligere antiquis æquipollent; moveri autem animi cogitare est: unde apertè hæc Ciceronis mens conficitur: Intelligit animus se cogitare, quod cum intelligit, unà intelligit se vi suâ non alienâ cogitare: nec accidere posse, ut ipse unquam à se deseratur, ut ex seipso illum cogitandi actum unquam amittat, utpote nullum habens principium sui destructivum in se, ex quo efficitur æternitas, & evincitur eum ex se nunquam interiturum nec unquam à cogitatione cessaturum esse. Interno itaque essentiæ suæ principio animus cogitat & vivit. Apertè etiam Cicero cogitationem sumit pro vitâ mentis, cum ait: *Loquor de homine docto & erudito, cui vivere cogitare est.* Libet quoque beatum Augustinum audire, qui ipsam mentis essentiam in cogitatione ejusque variis modis collocat: *Mens,* inquit, *cui nihil seipsâ præsentius est, interiori, non simulatâ, sed verâ præsentiâ videt se in se, nihil enim tam novit mens, quam id quod sibi præsto est: nec magis menti quicquam præsto est, quam ipsa sibi: nam cognoscit se vivere, se meminisse, se intelligere, se velle, cogitare, scire, judicare: hæc omnia novit in se, nec imaginatur, quasi extra se illa aliquo sensu corporis tetigerit, sicut corporalia quæque tanguntur; ex quorum cogitationibus nihil sibi affingat, ut tale aliquid se putet. Quicquid ei de se remanet, hoc solum ipsa est, nihil enim tam in mente est, quam ipsa mens, nec quicquam sic mentem novit, quemadmodum ipsa mens. Cum enim quærit mens, quid sit mens; profectò novit, quod ipsa sit mens, quæ seipsam quærit. Nec aliunde* se

Physic. 8. c. 8. Lib. 2. de Cælo c. 8.

Tusc. Quæst. 1.

Arist. 3. de Anim. c. 6. & 7.

Tusc. 5.

se quærit. Quum ergo quærentem se novit, se utique novit & omne quod novit, tota novit, atque ita totam se novit: etsi forte parte inventâ non se totam quærat: quia tamen se tota quærit, tota sibi præsto est, nihil enim sibi seipsâ præsentius esse potest. Nec reticere possum illustre testimonium Claudiani Mamerti magni inter Christianos Philosophi, qui inter cætera contra Faustum Regiensem, Creaturis nihil incorporei inesse opinantem, hoc modo disserit: *Tu cum dices aliud esse animam, aliud animæ cogitationem; melius fortasse dixisses, illa de quibus cogitat anima, cum de se non cogitat non esse animam, ipsam verò cogitationem non esse nisi animam. Quia illud quod subjiciendum esse dixisti, eâtenus animam solere requiescere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima nempe variare cogitata potest, non cogitare non potest. Quid autem illud est, quod somniare dicimur, nisi quod ne fesso quidem corpore insomnosque resoluto animæ vis à cogitationibus vacat. Tota verò ibi est; ubi cogitat, quia tota cogitat. Verum Tu idcirco vel maximè de animæ statu falleris, quia aliud animam aliud esse animæ potentias credis.*

Cæterum non parvâ animorum contentione contrà nituntur haud pauci, pernegantes Mentis naturam in Cogitatione consistere, cum Cogitatio non sit aliquid reale. Sed si omnia vocis τȣ̃ reale significata percurras ea in summâ ἐμφάσει Menti conveniunt. Si per τὸ reale designes id quod certum & inconcussum est, & quod ficto falsoque opponitur, hoc significatu cogitatio maximè quid reale est. Omnia enim corpora negari, & ut ficta falsaque rejici possunt, & pro nihilo reputari; sola cogitatio negari non potest: quamdiu enim mentem me habere concipio, tamdiu cogito, nec id sine contradictione negare possum. Si τὸ reale idem Tibi denotet quod evidens & clarum? Quid evidentius? quid clarius meâ cogitatione à me percipitur? Si affirmo, nego, volo, nolo, imaginor & sentio, istorum omnium certissimè & evidentissimè mihi conscius sum. Nulli cogitationis modi me ipsum unquam latent; in corpore contra hoc ipso meo

meo multa mihi ignota sunt, nec numerum nec figuram omnium partium teneo; varii sanguinis & spirituum motus me fugiunt. Porro si τὸ reale idem tibi sit quam permanens, & corruptioni ac alterationi minus obnoxium? Talis utique cogitatio est, quæ constanter cogitatio permanet; corpore nil magis mutabile, in continuo fluxu est, accrescit, decrescit, alteratur, rarò, imo nunquam idem est. Denique si reale sit idem quod perfectum? Mente nihil inter res creatas perfectius. Vivida sanè cogitatio brutâ extensione excellentior: intelligere, velle, & plurimas facultates præstantissimas possidere longè profectò nobilius, quam extensum esse, moveri, dividi posse, cæterisque passionibus sine ullâ actione & conscientiâ subjacere. Cogitatio omnia sibi vividè sistit præsentia, clarè & distinctè percipit, solidè judicat, rectè ratiocinatur. Corpus iners & bruta moles, agitatur, dividitur, transfiguratur merumque passionis sine ullâ perceptione subjectum est.

Urgent secundò; Unumquemque habere plurimas & maximè mutabiles cogitationes, ac proinde si cogitatio sit mentis essentia, diversas easque maximè mutabiles cuilibet esse asscribendas mentes. Sed sciendum est Cogitationem, in quâ mentis essentiam collocamus, non sumi pro certâ aliquâ & determinatâ hâc vel illâ actione seu modo cogitandi, sed pro ipsâ re & substantiâ cogitante, in quâ plurimæ cogitationes sive cogitandi modi & actiones successivè reperiuntur, quæ continuò mutantur & variantur; suntque hæ cogitationes particulares; Sed mentis essentia consistit in cogitatione generali, quæ hos modos & actiones omnes complectitur, estque intima perceptio omnium, quæcunque unquam in illâ sunt: nam quamvis objecta diversa sint; quamvis etiam diversis modis, intellectu puro, imaginatione vel etiam sensu percipiantur; ad hoc unum tamen redeunt, quod sint perceptio, id est cogitatio una, diversis modis variata; sed propter tot tantasque variationes mens non magis variatur, quam corpus propter varios extensionis modos & figuras: uti ex. gr. aurum remanet aurum id

est naturam sive essentiam non mutat, licet in bracteas diducatur, in fila tenuia extendatur, & denuò calore liquetur in clibano & extractum frigore in palam concrescat, inde in poculum malleo efformetur, rursus denuò in annulos, torques & armillas transfiguretur, aut aliam quamlibet assumat figuram; veluti eadem, inquam, natura tamen permanet & superstes perstat. Eâdem prorsus ratione manet una & fixa mentis essentia Cogitatio, diversitate objectorum, & applicatione sui ad ea subinde mutabilis.

Porrò objiciunt; Cogitatio est in substantiâ; Non est ergo ipsa mentis essentia & substantia. Sed nihil absurdi inseo, quod & cogitatio in substantiâ sit, & tamen ipsa quoque sit substantia, sed diverso respectu. Nempe, primò cogitatio est in substantiâ seu in ipsâ mente, ut modus inest ipsi corpori à quô realiter non differt, sic cogitatio id est varii cogitandi modi particulares, intelligendi, volendi, affirmandi, negandi, nolendi, volendi cæterique insunt ipsi menti, à quâ realiter non differunt: & interim mens est ipsa cogitatio id est est substantia cogitans, quæ solo concursu Dei, & nullâ planè re creatâ, indiget ad existendum; quæque cum per se subsistat, nullo, præter se, subjecto in quo sit, eget. Deinde, Cogitatio est in substantiâ, id est, Substantiæ conceptui generali & indeterminato ex se potest, imò debet superaddi conceptus cogitationis ad distinctam determinatamque repræsentationem Mentis faciendam: sed non ità, menti jam existenti superindui & addi debet cogitatio, tanquam aliquid ab eâ realiter diversum, & ipsi jam creatæ superaccedens; cogitatio enim est ipsissima substantia, cui cæteræ particulares cogitationes, ut judicare, meminisse, lætari, tristari, sperare, metuere, tanquam modi insunt; hi enim non possunt esse, imò ne concipi esse, nisi insint subjecto id est Cogitationi, quæ proinde est Mentis substantia.

At inquiunt, Mens aliquando à cogitando vacat & sine eo est. Sed negamus mentem unquam extitisse non cogitantem; nam omni sublatâ cogitatione in nihilum redacta fuisset; sublatâ enim cogitatione nihil restat quod

menti

menti assignare possis, quod ejus essentiam actu constituit. Nec requiritur ut Mens meminerit semper se cogitâsse, præsertim quatenus corpori juncta est, ita enim requireretur, ut mens se super sua cogitata semper reflectat, utaturque cerebro benè parato, firmo & tranquillo, ut vestigia facilè imprimantur, impressaque constanter serventur: quæ cum in pueris & infantibus non fiant; & sæpissimè ab ipsis viris negligantur, non mirum innumeras, quas etiam nuper habuimus, nos fugere cogitationes.

Postquam verò in superioribus vidi & observavi me corpus non esse, imò nihil corporeum ad meam essentiam pertinere, sed me rem cogitantem esse intellexi, cui dubitandi, intelligendi, affirmandi, negandi, volendi, nolendi, imaginandi quoque & sentiendi facultates insunt, utpote quæ omnes modi cogitandi sunt & sub cogitatione tanquam generè seu communi principio continentur, postquam, inquam, hæc perspexi, mea natura planius & accuratius ex tot præsertim attributis positivis innotescit. Nam quo quis plura alicujus rei attributa novit, eò rem accuratius & clarius & distinctius novit.

Sed licet jam accrescat cognitio mea meiipsius, vix tamen, imò ne vix quidem me cohibere possum, quin ex pristinâ & diuturnâ perversâ judicandi consuetudine, quâ omnes res corporeas aut corporeæ cujusdam naturæ esse olim judicavi, recurrant adhuc veteres erroneæ opiniones, & inprimis illa ipsa, quâ existimo res corporeas, quas imaginatione mihi præsentes sisto & quas tanquam in cerebro meo depictas contemplor, imò quas visu, auditu, gustu, tactu, olfactu percipio, multò clariore & distinctiore cognitione à me intelligi, quam istam partem mei nondum satis cognitam, quam imaginandi facultate comprehendere non possum, & quæ in sensus non incurrit. *Ex quibus*, inquit, *equidem aliquanto melius incipio nôsse quisnam sim. Sed adhuc tamen videtur nec possum abstinere quin, putem, res corporeas, quarum imagines cogitatione formantur, & quas ipsi sensus explorant, multò distinctius agnosci, quam istud nescio quid mei, quod sub imaginationem non venit.*

Objectio. Cæterum dicat aliquis. Quâ ratione Cartesius dicit se ignorare mentem suam illiusque naturam, cum appellat eam *istud nescio quid mei*? an non in antecessum dixit se id est mentem suam esse rem cogitantem? an non varia istius rei cogitantis attributa se perspexisse & cognovisse scripsit? & ex iis cognitionem suam de seipso accrevisse & profecisse? annon sibi ipsi igitur contrarius est cum eodem penè halitu in notitiâ mentis suæ se proficere scribit, & simul mentem appellat partem sui ignotam? Resp. Nullâ ratione sibi ipsi contraria loquitur Philosophus. Verè dixit se certò cognovisse & adhuc cognoscere mentem suam esse rem cogitantem; verè scripsit se observâsse & certissimà experientiâ comperisse, quod omnia illa dubitandi, intelligendi, affirmandi, negandi attributa reverà menti suæ insint & suâ cogitatione comprehendantur; & nihilominus verè quoque mentem appellat istud sui ignotum, *nescio quid mei*: nempe postquam pristinæ cogitationes recens inventam hanc suam cognitionem denuò quasi obnubilant & obliterant, eò quasi relabitur ut solas res corporeas cognitas & clarè ac distinctè perceptas esse existimet; reliquas autem res intellectuales & incorporeas, quoniam sub sensum non cadunt, intellectum quoque fugere: Quoniam recurrit menti illud vetus: *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu.* Abreptus itaque pristinâ pravâ judicandi consuetudine solum corpus sibi probè cognitum, mentem autem partem sui sibi ignotam esse dicit. Quippe tanta vis est pristinarum licet falsarum istarum opiniorum, ut penè invitos nos abducant, ut suprà ex Medit 1. intelleximus.

Reluctatur igitur erroneæ huic opinioni, & se in rectam, quam incepit jam ingredi viam, reducere conatur, & ut veritatem de perceptâ mentis suæ essentiâ nuper acquisitam retineat se ipsum hortatur; sed licet hortetur recidit tamen in pristinam malè judicandi consuetudinem, licet contrarium agnoverit esse verum; & quæ hujus rei causa sit summoperè miratur. *Quanquam profectò sit mirum res quas animadverto esse dubias, ignotas, à me alienas, distinctius quam quod verum est, quod*

cog-

cognitum, quam denique meipſum à me comprehendi. Ac ſi diceret: Quæ ratio? Quæ cauſa eſt? quod res corporeæ, quæ an exiſtant nec ne dubium eſſe propter fallax ſenſuum judicium, propter Genii maligni impoſturas & propter multiplices ſomniorum ludificationes ſuppoſuimus, aſſeruimus, & adhuc ſupponimus, aſſerimus: & poſitò quod exiſterent, cujus naturæ tamen ſunt adhuc ignoramus, quoniam id nondum inveſtigavimus; & poſito quoque quod natura ipſarum cognita eſſet, à me tamen id eſt à mente meâ alienæ ſunt, nec ad eam pertinent, non enim ſum ignis, non aqua, non aër, non halitus, non ventus, nec ullum aliud corpus, quoniam mentem meam ſine his & extra ea clarè & diſtinctè percipio, & proinde ad me non pertinent. Quæ cauſa inquam? quod res tales mihi magis cognitas eſſe exiſtimem, quam mentem meam ejuſque attributa, quæ certiſſimè vera eſſe deprehendi, imò quam meipſum à me comprehendi? Aſſignat tamen veram hujus ſuæ ſtupiditatis cauſam, quod nempe præjudiciis aſſueta mens ægerrimè ea deponat, ſeque ab eis liberet, ſunt enim veluti morbi mentis, qui diuturnitate invaluerunt, & mentem quaſi captivam detinent, etiam penè invitam: aſſiduò enim recurrunt conſuetæ opiniones, occupantque credulitatem noſtram, tanquam longo uſu & familiaritatis jure ſibi devinctam, ferè etiam nobis invitis, *Sed video quid ſit*, inquit, *gaudet aberrare mens mea, necdum ſe patitur intra veritatis limites cohiberi. Eſto igitur, & adhuc ſemel laxiſſimas habenas ei permittamus, ut illis paulò poſt oportunè reductis facilius ſe regi patiatur.* Haud ſecus ac domitores equorum ferocium laxiſſimas illis ſolent permittere habenas, ut curſu celeri & diuturno fatigati manſueſcant: ita animo ſuo à veritate divagari aſſueto adhucdum ſemel priſtino more exſpatiari permittet, ut rationi in poſterum tantò promptius obſequatur. *Contemplemur eum in finem res illas, quæ vulgò putantur diſtinctiſſimè comprehendi, corpora ſcilicet, quæ ſub viſum & tactum cadunt, & in ſenſus noſtros incurrunt.* Sunt enim plurimi homines in illâ opinione, quod corpora ſola cog-

nosci possint, non autem mentes: imò sunt in illâ hæresi non pauci, ut existiment omnes res esse corporeas, nullasque substantias nisi corpora dari. *Contemplemur itaque corpora, sed non universalia & corpora in communi, generales enim istæ perceptiones aliquantò magis confusæ esse solent: sed unum speciale corpus, & quidem hanc, quam manibus palpamus & oculis conspicimus, ceram.*

Consideremus autem in illâ accidentia, quæ in sensus quam maximè incurrere & ideò notissima esse, ac certissimè in rebus corporeis deprehendi judicantur, & in quibus essentia istarum rerum consistere & è quibus dignosci existimatur. Primò occurrit, quâ ratione & quando confecta sit, *educta est nuperrimè è favis:* occurrunt deinde varia accidentia sive qualitates, quas tactiles vulgò appellant, sapor, odor, color, sonus, *nondum enim amisit omnem saporem sui mellis*, quoniam nuperrimè exinde deducta est, & particulæ mellis nondum omnes avolârunt; nonnihil quoque retinet odoris florum ex quibus collecta est; ejus color flavus in oculos quoque incurrit: quin & figura seu rotunda, seu quadrata, seu orbicularis, ut & magnitudo sesqui circiter palmi & visu & tactu deprehendi potest: durities quoque & firigiditas itidem tactui manifestæ sunt; & si digito percutias, emittit sonum. Et quid multis opus? Omnia deprehenduntur in cerâ & accidentia sensibilia communia, ut magnitudo & figura; & accidentia propria, ut sapor, odor, color & reliqua, suis determinationibus & circumstantiis ab aliis distincta, ex quibus omnibus rerum corporearum essentiam juxta veterem opinionem, quâ nempe omnem cognitionem à sensibus hauriri existimabamus, distinctissimè cognosci judicabamus, & proinde ceræ naturam & essentiam satis clarè quoque & distinctè ex illis esse perspectam.

Sed probè attendamus & consideremus, an ex his omnibus, sensibus obviis, natura ceræ clarè & distinctè ac certò innotescat; & satis manifestò patebit ceræ essentiam ex his non clarè & distinctè dignosci. Vix namque hæc imaginatus sum de cerâ; quin paulò post omnia in cerâ evanescant: Cera enim

enim igni admovetur, & mox grati saporis, quem de melle reliquum habebat, reliquiæ expurgantur; odor itidem suavis ex floribus fragrantibus residuus exhalatur; hinc alium quoque induit colorem; quin & figura alia fit, rotunda enim immutatur ad figuram vasis sive ollæ continentis: magnitudo quoque alia fit, major enim fit in liquidâ & ferventi, quam fuit in frigidâ, siquidem particulæ magis à se invicem sejunguntur per intercedentes particulas igneas, quæ se in poros insinuant ceræ liquescentis; mox erat consistens, jam liquida est; mox erat frigida, jam est calida; mox dura, jam cedit tactui & mollis est, particulis vi ignis aliquatenus motis; audibilis quoque qualitas recessit, si enim articulo ferias, non amplius præ mollitie emittit sonum.

Quidnam ergò jam dicendum? quid statuendum est? anne dicemus & statuemus propter sublata hæc accidentia communia & propria, in quibus naturam & essentiam ceræ consistere vulgò putant, & à quibus ejus natura distinctissimè & certissimè dignosci arbitrantur; anne, inquam, dicemus essentiam quoque ceræ adeòque & ipsam ceram periisse? an verò adhuc remanet cera? *remanetne adhuc eadem cera?* remanere autem quis non fatetur? ipsi sensuum patroni concedunt, ipsi ita existimant. Sed quandoquidem tamen sensibilia illa omnia, per quæ cera adeò distinctè dignosci putabatur, evanuére? si nihil ex iis remansit? quâ ratione igitur sensuum propugnatores defendere posse se putant, quod per accidentia illa evanida, quæ ab essentiâ ceræ sunt separabilia, cera ipsa ejusque natura dignosci possit? evanuisse autem ista omnia certissimum est, nihil enim ex iis, quæ sensibus externis deprehendebantur, amplius adest: nam quodcunque sub gustum, olfactum, visum, tactum vel auditum veniebat, id omne periit & mutatum est; at cera nihilominus remanet, unde manifestò patet, ipsam ceram ejusque essentiam in accidentibus, ut vocant, sensibilibus non consistere, uti censent & arbitrantur sensuum propugnatores.

Sed quidnam est illud, quod sublatis & immutatis illis omnibus quæ sub sensus veniunt, immutatum & integrum remanlit,

mansit, quod in sensus externos non incurrit, & quod tamen ceræ nomine apud omnes venit. Fortassis (ita respondet Philosophus) est illud quod cogito; non quidem (ut putavi, cum res corporeæ sensibus externis distinctissimè cognosci arbitrarer;) ista dulcedo mellis modò adhuc residua, nec è floribus fragrantia, nec ista albedo, nec figura rotunda, nec sonus, quem audiebam; sed cera est corpus ipsum, quod sensibus meis externis paulò ante aliis modis vestitum se offerebat, sed jam rursus diversis. Quamprimum enim ista accidentia prius conspicua periére, mox rursus alia in eorum locum successére; dulcedini mellis, sapor ingratus, & penè insipiditas; fragrantiæ florum odor insuavis, frigori calor, duritiei mollities, flavedini albedo, figuræ rotundæ figura triangularis; modo spissè concreverat, nunc liquida est; adeò ut nunquam accidentibus omnibus denudata sit, sed modò his modò aliis appareat vestita, quæ tamen non sunt ipsa cera. Attendamus enim & consideremus quid præcisè sit illud corpus, quod imaginamur, quod sub tam variis & diversis modificationibus sive accidentibus, modo sub aliis, modo rursus sub aliis apparet. Et ut illud probè & accuratè pernoscamus, removeamus omnia modo recensita accidentia sensibilia & ceram nobis, tanquam his vestibus detractis, nudam sistamus, ut ita videamus quid revera sit, quod ad ceram pertinet & ejus naturam constituit, & per quod nunc eadem manet, quæ ante fuit.

Hoc ipsum autem nihil aliud esse potest, nec est, quam extensum quid, flexibile, mutabile.

Quod autem extensum quid & flexibile & mutabile hoc ipsum sit, hinc liquet; quoniam extensio & flexilitas & & mutabilitas, quæ ante mutationem jam dictam aderant, (secus enim mutari non potuisset) post eandem etiamnum in cerâ remanent, suntque identitatis ceræ, quod nempe eadem remanserit, quæ ante fuit, fundamenta.

Sed in quo consistit hæc ipsa ceræ flexilitas seu mutabilitas? *quid est hoc flexibile seu mutabile?*

Est

Eſtne illud fortaſſis quod imaginor hanc ceram ex figurâ rotundâ in quadratam, vel ex hâc in triangularem verti poſſe? An hujuſmodi converſionis ratio, imaginando percepta, eſt ipſa eſſentia ſeu natura mutabilitatis?

Reſp. Nullo modo; nam mutabilitas illa ſe longè latius extendit, quam ego imaginando concipere poſſum; quippe innumerabiles tales variationes ſive mutationes cera ſubire poteſt; & imaginandi facultas tamen innumerabiles percurrere nequit: unde manifeſtò conſequitur comprehenſionem hanc, quâ ceram innumerabilium mutationum capacem eſſe percipio & intelligo, ab imaginandi facultate non pendere nec procedere. ex gr. Non poſſum imaginatione percipere quomodo cera ſexaginta habens latera diſtinguatur ab eâ quæ ducenta habet, tot enim latera in cerebro veluti depicta præſentia mihi ſiſtere nequeo.

Sed quoniam ceram quoque extenſum quideſſe deprehendimus; nunquid etiam extenſio illius imaginandi facultate imperceptibilis eſt & ignota manet? Reſp. Ita ſanè eſt: nam extenſio major fit in cera liqueſcente, major adhuc in ferventi, major rurſus ſi calor adhuc augeatur; & quantò majus incrementum calor, tantò majorem cera extenſionem capit; quippe quò calor major fit, eò plures particulæ ſe poris ceræ inſinuant, unde ceræ externam dimenſionem augeri & magis magiſque extendi neceſſe eſt; iſtæ autem extenſionis varietates & mutationes tam multiplices ſunt, ut eas imaginando aſſequi nequeam; unde rurſus ſequitur, me non rectè de cerâ judicaturum, ſi varias ejus quoad extenſionem mutationes imaginando me complecti putarem.

Atque hinc concludendum & concedendum eſt, nos non tantum ſenſibus externis non poſſe aſſequi nec comprehendere quid ſit cera, ſed nec etiam imaginatione ſeu ſenſu communi, ut ajunt: & proinde licet putaverim me anteà ſenſibus externis & imaginandi facultate percepiſſe quid ſit cera, nunc animadverto erroneum & falſum fuiſſe illud judicium; ſiquidem jam manifeſtò deprehendo, quod ſolâ mente & intellectu puro intelligam, quid ſit.

Loquor autem de cerâ hâc particulari & ſigillatim conſideratâ, quod illa ſub imaginationem non cadat; nam de cerâ in communi & generatim ſpectatâ res adeò manifeſta eſt, quod ſolâ mente & puro intellectu percipiatur, ut id nemo facilè negaverit.

Evicimus itaque & oſtendimus ceram ſolâ mente, ſolo puro intellectu percipi; videamus adhuc ſemel & breviter repetamus ea, quæ jam quadantenus dicta fuére: *Quænam eſt hæc cera, quæ non niſi mente percipitur?* Eſtne alia & diverſa ab illâ, quam anteà ſub ſenſus externos cadere & me imaginatione percipere arbitrabar, ſed quam jam me ſolo mente percipere deprehendo? Reſp. Non eſt alia, ſed eſt eadem, quam antea me videre, tangere, quam imaginari me exiſtimabam, imò eſt eadem cera prorſus, quæ fuit ab initio, illa enim remanſit; ſed quum anteà eam inter res tactiles, viſibiles & imaginabiles retulerim, nunc eandem inter res ſolas intellectu perceptibiles refero & numero: illud enim notandum probè eſt, quod eam non viſu, non tactu, non imaginandi facultate perceperim unquam, quamvis olim ità cum vulgò Philoſophorum erroneè judicaverim, cum omnem perceptionem, & inprimis rerum corporearum, à ſenſibus externis dependere arbitrarer; ſed quod eam ſolâ mentis inſpectione id eſt ſolo intellectu puro perceperim. Et quidem hæc mentis perceptio & inſpectio vel *imperfecta* eſſe poteſt & *confuſa*, uti prius erat; tum nempe, cum eam perceptionem non menti vel intellectui puro, ſed ſenſibus aſſcribebam cum philoſophantium cohorte. Vel *clara & diſtincta*, uti nunc eſt, poſtquam ſolâ mente obſervavi, ea, quæ ceræ ſemper inſunt, nempe eam extenſum, flexibile & mutabile quoddam corpus eſſe.

Cæterum licet hæc antedicta omnia veriſſimè & certiſſimè ſe ita habeant, uti diximus; & licet illud percipiam; experior tamen mentem meam, quod admirandum eſt, adhuc in errores pronam & proclivem eſſe: & licet menti meæ jam crebrò oſtenderim quod ſolo intellectu & per ſeipſam res percipiat, illa tamen in errores prona remanet. Idque eò magis miran-

mirandum, quod, quandoquidem hæc omnia tacitus mecum id est solâ mente & apud mentem animumque meum meditor, & sine ullo sermone externo cogito; ipsis tamen verbis & phrasi ac formulâ loquendi communi, quam olim auribus percepi & quam memoria mea mihi adhuc suggerit, quod hâc inquam decipiar ac seducar.

Hæc enim communis Loquendi formula usu recepta est, quod dicamus nos *ceram ipsam videre*, quum tamen dicendum esset, nos ex calore & figurâ judicare ceram ad esse; nam revera sensus dictant quod res sint; quid autem sint præcisè dictare nec docere possunt. Ego tamen adhuc ad receptam illam longo usu loquendi formulam relabor, & per eam penè seducor, ut opinionem veterem amplectar, nempe ceram visione oculi,non solius mentis contemplatione cognosci, quam opinionem erroneam esse supra demonstravi.

Sed emendat tamen opinionem illam erroneam & me rectè hac de re judicare docet alia non minus usitata de hujusmodi re corporeâ loquendi formula: Nimirum dum per fenestram prospicio, ut me aliquando fecisse novi & modò adhuc feci, ipsos homines in plateâ ambulantes me contueri dico, non minus usitatâ loquendi formulâ, quam eâ quâ ceram ipsam me videre ajo; & certum tamen est, me nihil præter pileos, pallia, togas & vestes videre, sub quorum tegumentis automata sive machinæ ad figuram corporis humani extructæ latere possint; possent quoque sub istis vestibus latere simiæ, ursi aliæve bestiæ, ore ad cœlum erecto ad instar hominum incedere doctæ; miræ enim in his hominum artes sunt & inventa. Experientiâ quotidianâ constat agyrtas phallos seu pupas saltantes & discurrentes ignaræ multitudini sæpe ostendere, quas simplices & rerum inexperti existimant vivos esse homunciones. Simias quoque & canes humano more vestitos miras actiones à circumforaneis edoctos patrare notissimum est; quibus seducta stupida plebecula eos non raro homines esse existimat. Homines sub ferarum pellibus latitantes in scenam fuisse productos narrant Historici. Et ne quid de priscis Romanis re-

feram; en maximè admirandum hujus rei ſpecimen, quod exhibitum fuit Legatis Batavorum ad Magnum Tartarorum Chamum ſive Sinenſium Cæſarem, & narrante viro fide digniſſimo Johanne à Nieuhof hoc modo ſe habet: *Proregis miniſter, qui à Secretis erat, cum juſſu abſentis Domini ſui lautè & opiparè Legatos excepißet, peracto jam convivio Spectaculum ex feris artificiosè adornatis (admirandum ſanè viſu) inſtitui & celebrari curavit. Quippe Hiſtriones aliqui, arte promptiſſimi & valde expediti Leonum, Tigridum, Leopardorum aliorumque ferocium & ferorum animalium exuviis ſive pellibus ſe induerant; eorundemque geſtus, greſſus, ſonos & actiones adeò accuratè & vividè imitari noverant, ut vel perſpicaciſſimum quemque (niſi hujus techna & fraudis notitiam jam antè habuiſſet) perquam facilè deluſiſſent. Horrenda enim illa monſtra tam immani impetu in ſe mutuo irruebant, ora terribili adeò rictu diſtendebant, acutos ſuos ungues adeò acriter mutuis tergoribus infligebant, & hinc voces ac clamores adeò lamentabiles edebant, ut unuſquiſque geſtibus hiſce fictitiis in ſtuporem raperetur.*

In Itinerar. p. 54.

Artificum admiranda hic quoque reperta fuit induſtria; illi enim, uti inquit Poëta, *Vivos ducunt de marmore vultus.*

Inſigne apud Claudianum Eidyllium ubi Martis & Veneris imagines de magnete & ferro artificio admirabili formatas fuiſſe canit. Nec pigebit aſſcribere verſus arte & venuſtate plenos:

Mavors, ſanguinea qui cuſpide verberat urbes,
Et Venus, humanas quæ laxat in otia curas,
Aurati delubra tenent communia templi.
Effigies non una Deis: ſed ferrea Martis
Forma nitet, Venerem magnetica gemma figurat.
Illis connubium celebrat de more ſacerdos.
Ducit flamma choros. Feſtâ frondentia myrto
Limina cinguntur, roſeiſque cubilia ſurgunt
Floribus, & thalamos dotalis purpura velat.

Hic

Hic mirum consurgit opus. Cytheréa Maritum
Sponte rapit, cælique toros imitata priores
Pectora lascivo flatu Mavortia nectit,
Et tantum suspendit onus, galeaque lacertos
Implicat, & vivis totum complexibus ambit.
Ille lacessitus longo spiraminis actu
Arcanis trahitur gemma de conjuge nodis.
Pronuba fit natura Deis, ferrumque maritat
Aura tenax, subitis sociantur Numina furtis.
Quis calor infundit geminis alterna metallis
Fœdera? quis duras jungit concordia mentes?
Flagrat anhela silex, & amicam saucia sentit
Materiem, placidosque chalybs cognoscit amores.
Sic Venus horrificum belli compescere Regem,
Et vultum mollire solet, cum sanguine præceps
Æstuat, & strictis mucronibus asperat iras.
Sola feris occurrit equis, mollitque tumorem
Pectoris, & blando præcordia temperat igni.
Pax animo tranquilla datur, pugnasque calentes
Deserit, & rutilas declinat in oscula cristas.
Quæ tibi, sæve puer, non est permissa potestas?
Tu magnum superas fulmen, cœloque relicto
Fluctibus in mediis cogis mugire Tonantem.
Jam gelidas rupes, vivoque carentia sensu
Membra feris: jam saxa tuis obnoxia telis,
Et lapides suus ardor agit, ferrumque tenetur
Illecebris; rigido regnant in marmore flammæ.

Nullâ profectò ratione sensus indicare valuissent hæc simulacra vivos verosque non fuisse homines, sed sola mens hâc facultate pollet; & quidem tum solummodò cum attentissimâ consideratione rem examinat. Unde manifestum est quam verè Philosophus asserat, quod res sive substantiæ, quæ homines vocantur, minimè sint eæ, quæ oculos è fenestra prospectantes afficiunt, sed solâ judicandi facultate, quæ in mente nostrâ est, id quod exterioribus istis involucris tectum latet dignosci esse homines ac discerni. Atque ita argumentum

à consuetâ de re sensibili loquendi formulâ petitum, nempe quod *ceram ipsam videamus*, quâ penè seducti eramus, ut putaremus ipsos oculos & sensus externos rerum essentias percipere, alio argumento, à simili de re sensibili loquendi formulâ deductum, cum autore nostro elisimus & profligavimus: adeò ut mens nostra, quæ sensibilibus nimio amore quasi agglutinata erat & ad intellectualia attendere recusabat, ipsis rebus sensibilibus quodammodo refellatur.

Cæterum nonne revera pudore suffundi me oportet, quod ego qui philosophum ago, atque ita accuratiorem me sapientiam quam vulgus affectare profiteor? *anne*, inquam, *pudet me ex formulis loquendi vulgaribus* sive a vulgò usitatis *dubitandi occasionem quæsivisse*, & passum fuisse ut iisdem in veritatis investigatione impedirer?

Sed extricabo me; non patiar his me diutius detineri diverticulis; pergam sepositis his obstaculis diligenter perpendendo, anne *clarius distinctiusque perceperim quid esset cera cum primùm aspiciendo* eam superficie tenus *credidi me eam sensu externo, vel saltem sensu communi*, ut appellant, *id est imaginandi facultate cognoscere? An verò potius nunc postquam diligentius* consideravi & inveni *quid ea sit, & quomodo cognoscatur?* Inveni enim quod extensum quid & mutabile sit; perspexi quod illa accidentia, quæ à cerâ sic tolli videbam, ut alia in eorum locum substituerentur, non sint ipsa cera; deprehendi quoque quomodò cognoscatur; dum separari scilicet perceptionem vulgarem ejus & confusam, quam sensualem credideram, à reflexâ & distinctâ, quam verè intellectualem esse cognovi. Et profectò satis patet ex hâc posteriori intellectuali perceptione perfectius & evidentius me *ceram* cognoscere, quam ex sensuali, ut vulgò dicitur, perceptione, quæ reverà perceptio non est, utpote, quæ nobis cum brutis, communis est; in brutorum enim sensus, quos habent, externos, æquè ac in nostros externæ illæ qualitates & accidentia incidunt, imò eorum organa sensuum non raro expeditius & citius moventur, quam nostra: quâ ratione verum est,

Nos

Nos aper auditu, linx visu, simia gustu,
Vultur odoratu præcellit, aranea tactu.

Sed quia hæc perceptio (si tamen, ut rursus moneo, ulla sit, quum nondum constet ordine philosophandi, an ullâ imaginandi facultate prædita sint bruta, ut hactenus persuasum habuimus) confusa & obscura est, intellectualis verò clara & distincta, jure hanc præfero & per hanc solam corpora propriè percipi adverto & denuò moneo.

Verum postquam Ceræ naturam satis diu contemplatus fui, tempus est ad mentem meam redeam, cujus caussâ potissimum ea de naturâ ceræ investigatio fuit instituta, nempe ut ex illâ mentis meæ natura distinctius intelligeretur; quod an probè successerit jam dispiciam. *Quid autem jam dicam de hâc ipsâ mente, sive de meipso, nihildum enim aliud admitto in me esse præter mentem*; nihil enim hactenus præter eam in hoc philosophandi principio solidè demonstratum est. *Quid*, inquam, *ego qui hanc ceram videor tam distinctè percipere, nunquid me ipsum non tantum multò verius, multò certius, sed etiam multò distinctius, evidentiusque cognosco?* non modo quoad *existentiam*, sive *quod sit*; sed etiam *quoad essentiam*, sive *quid sit*. Nam cum in antecessum demonstratum sit, mei *existentiam* longè certiorem esse, quam ullius rei corporeæ; quoniam si judicem res corporeas existere propterea quod eas videam, audiam, gustem, odorer, tangam, aut alio aliquo sensu percipiam; longè utique certius colligere & concludere mihi licet meipsum existere, qui video seu videre me cogito, qui audio, aut audire me mihi imaginor. Unde liquidò patet; si quæstio instituatur de *Certitudine Existentiæ alicujus rei*, sive *an aliquid sit*? Me de nullius rei existentiâ adeò citò, clarè & evidenter certiorem reddi, quam de meiipsius, sed mei existentis cognitionem præ cæterarum existentiâ priorem clariorem & evidentiorem esse: siquidem id quod video, aut, quod adhuc idem est, me videre puto, fortassis possit esse nihil; quum ego interim dum video aut me videre puto vel cogito, necessario esse debeam.

Cæte-

Object. 5. In Medit. 2. num. 1. Cæterum heic obtendunt aliqui cum Gassendo, frustra tanto molimine ex cogitatione suâ philosophum, & nos cum eò conari demonstrare certitudinem existentiæ nostræ, quoniam aliunde certi eramus, & verum erat nos esse; & poteramus idem vel ex quavis aliâ nostrâ actione colligere, cum lumine naturali notum sit, *Quicquid agit, esse.* Ad quam objectionem cum philosopho respondemus, falsum esse ex quâvis aliâ nostrâ actione præter cogitationem ejusque varios modos eandem existentiæ nostræ certitudinem potuisse colligi, quià nullius nostræ actionis omninò certi sumus (nempe certitudine illâ Metaphysicâ, de quâ hîc quæstio est) præterquam solius cogitationis. Non enim licet inferre *Princip. p. 1. §. 9.* exempli causâ, ego video, ego ambulo, ergo sum, nisi quatenus ambulandi & videndi conscientia cogitatio est, de quâ solâ hæc illatio est certa, non de motu corporis; nam si dico, ego video, vel ego ambulo, ergo sum; & hoc intelligam de visione, aut ambulatione quæ peragitur corpore, conclusio non est absolutè certa, quia, ut sæpe fit in somnis, possum putare me videre, vel ambulare, quamvis oculos non aperiam, & loco non movear; atque etiam forte, quamvis nullum corpus habeam; sed si intelligam de ipso sensu, sive conscientiâ videndi aut ambulandi, quià tunc refertur ad mentem, quæ sola sentit, sive cogitat se videre aut ambulare, est planè certa. Pari itaque modo, ex illa cogitatione sive judicio aliisve cogitandi modis de existentiâ Ceræ demonstrat autor, nec existentiam Ceræ, nec corporalem videndi actionem simpliciter certam esse, sed saltem sui ipsius id est mentis suæ existentiam, dum ita ratiocinatur. *Nam si judico ceram existere ex eo quod hanc videam, certè multò evidentius efficitur meipsum etiam existere: fieri enim potest ut hoc quod video non verè sit cera, fieri potest ut ne quidem oculos habeam, quibus quidquam videatur; sed fieri planè non potest cum videam, sive (quod jam non distinguo) cum cogitem me videre, ut ego ipse cogitans non aliquid sim: simili ratione si judico ceram esse ex eo quod hanc tangam, idem rursus efficietur, videlicet me esse: ex eo quod imagi-*

vel quâvis aliâ ex causâ, idem planè. Certitudo verò tanta *Existentiæ* nostræ non tantum exemplo Ceræ demonstrari potest, sed etiam ex cogitatione quacunque de aliis rebus extra nos positis, sive de corporibus sive de mentibus fuerit; nam ubi modo cogitationem de his instituo, etiam si res illæ non existerent, me tamen, dum de illis cogito, necessariò existere certissimum est.

Verum heic denuò insurgunt aliqui, experientiam ipsam in subsidium vocantes, ex quâ satis apparere ajunt corporis nostri notitiam priorem, clariorem & evidentiorem esse, quam mentis nostræ, cum omnes homines ita judicare experiamur. Iis dicimus, omnes, qui ità judicant, nunquam legitimo modo ac ordine philosophatos fuisse, nec unquam satis accuratè mentem à corpore distinxisse. Et quum cer *Princip.* tius esse putarent, se ipsos existere, quam quidquam aliud, *p. 1. §.* non adverterunt, per seipsos, mentes solas hoc loco fuisse intelligendas: sed contrà potius intellexerunt sola sua corpora, quæ oculis videbant, & manibus palpabant, quibusque vim sentiendi perperam tribuebant; hocque ipsos à mentis naturâ intelligendâ avocavit. Illud autem præjudicium falsumve judicium esse, ut per seipsos corpora potius sua, quam mentes suos intellexerint, non solus & omnium primus Philosophus monuit, sed suo jam tempore philosophorum è Latinis coryphæus Cicero: *Est il- Tuscul. 1. lud quidem vel maximum*, inquit, animo ipsum animum videre: *& nimirum hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, ut* se quisque noscat. *Non enim, credo, id præcipit, ut membra nostra, aut staturam, figuramve noscamus: neque nos corpora sumus: neque ego tibi dicens hoc, corpori tuo dico. Cum igitur*, Nosce te, *dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. Nam corpus quidem, quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Hunc igitur nôsse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cujusdam animi præceptum, sic ut tributum Deo sit hoc*, seipsum posse cognoscere. Et hæc quidem de Certitudine quâ Mens se existere novit & *quod sit*. Inquirendum jam denuò ex-

emplo Ceræ *Certitudo* quanta sit & quam firma, quâ Mens suiipsius *Essentiam* & *quid sit* cognoscit; nam nisi hæc posterior cognitio à nobis acquisita fuerit, & prior quoque irrita erit, imò ne erit quidem. Nam ut rectè inquit Tullius loco mox citato: *Si qualis sit animus, ipse animus nesciat: dic, quæso, ne esse quidem se sciet, ne moveri* id est cogitare *se*. Et hinc quia cogitat se rem cogitantem esse novit, & hoc quia novit, novit quoque se existere, itemque se cogitare. Adeo indivulso igitur nexu Certitudo Existentiæ & Certitudo Essentiæ Mentis inter se connexa sunt, ut neutiquam separari possint.

Sed jam tempus est Certitudinem de essentiâ mentis nostræ majorem esse quam de essentiâ corporis exemplo ipsius Ceræ ostendamus. Cuivis attendenti patet, rem aliquam, quò ex pluribus innotuit attributis, eò clarius & distinctius cognosci, quia attributa sunt tanquam ejusdem notæ & characteres, quibus non modò essentia rei clarè, sed etiam distinctè ab aliis percipitur; uti ex gr. Magis mihi notus est homo cujus & nomen, & vultus, & indoles & doctrina sunt cognita; quam is cujus tantum nomen & vultus cognita sunt. Sic de cerâ pariter judica; *nam si magis distincta mihi visa est perceptio ceræ, postquam non solo visu vel tactu, sed pluribus ex causis innotuit:* postquam, inquam, non tantum ejus colorem visu, duritiem & frigus tactu, saporem dulcem gustu, fragrantiam olfactu, sonum auditu, & reliqua, quæ antequam mutaretur, ipsi aderant, cognovi: sed postquam prætereà ejus extensionem, flexilitatem sive mutabilitatem variam, imò postquam insuper varia alia accidentia prioribus contraria, puta mollitiem, calorem, fragrantiæ, grati saporis, & soni carentiam observavi; hinc ceræ essentia mihi clarius & distinctius innotescere visa est; ejus enim naturam non modò, quatenus in se est, clarè mihi perspectam, sed & & ab aliis omnibus rebus sejunctam ac distinctam me deprehendisse judicabam.

Cæterum si Ceræ distinctior visa est perceptio, quod mihi ex pluribus attributis & causis innotuit, quidnam igitur mihi

mihi de mente dicendum erit meâ, anne illius essentia & natura longè quoque clarius & distinctius cognita est facta, postquam ex tot & tam variis eam perspexi attributis? Negari profectò id non potest, sed fatendum est omninò se ita rem habere. Idque geminâ ratione probari potest; prior est: *Quandoquidem nullæ rationes vel ad ceræ vel ad cujuspiam alterius corporis perceptionem poßunt juvare, quin eadem omnes mentis meæ naturam naturam melius probent.* Quot enim & quam varia attributa in cerâ vel in alio quopiam corpore dignosco, totidem in mente meâ distincta percipio. ex. gr. Uti in cerâ observo nuper ex favis esse expressam, fragrantiam florum adhuc referre, albo, flavo vel rubro imbutam esse colore, frigidam, duram, sonoram esse; & contrà paulò post contraria omnia deprehendo, nempe fragrantiam esse depositam, nigredinem flavedini successisse; calidam, mollem, insonoram esse factam; imò & flexilem & extensam esse: pariter quoque in mente totidem attributa & facultates distinctas dignosco; primò quod habeat vim cognoscendi ceræ confectionem; deinde vim cognoscendi ejus odorem; præterea vim cognoscendi colorem, eumque vel album, vel flavum, vel rubrum, vel nigrum; porrò quod habeat vim cognoscendi frigus; imò quod tot facultates diversas cognoscendi in se habeat, quot diversa attributa in cerâ unquam observo. Cæterum heic insurgent iterum dicentque, Mentis attributa pro objectorum, quæ considerat, varietate non esse distinguenda; quippe mentem ejusque vim cognoscentem esse unam eandemque & semper manere, & proinde perperam à se invicem quasi divelli. Mentem esse unam eandemque omninò fatemur. Nihil tamen obstat, quin pro objectorum varietate attributa & modos mentis liceat distinguere, eaque ut alia atque alia numerare; quoniam & distinctam à se invicem, quæ ipsorum naturæ conveniens est, essentiam habent. Si quis enim possit nôsse mollitiem, qui non ideò novit colorem, uti qui cæcus natus est; & siquis potest nôsse colorem, qui non ideò novit fragrantiam, uti qui pituitâ ni-

miâ & catharro laborat, atque ita de cæteris. Cur non igitur distinguere licet potentiam cognoscendi mollitiem à potentiâ cognoscendi rubedinem; & potentiam cognoscendi alborem à potentiâ cognoscendi fragrantiam; atque ita porrò.

Verum quid his immorari opus est? quid enim necesse, ut ex corporis attributis menti cognitis ea, quæ in mente sunt ejusque naturam penitius perscrutemur? Præter illa enim attributa, quæ in eâ deprehenduntur, quatenus circa res corporeas versatur, tot prætereà & tam evidentia in mente se offerunt attributa, quæ ad clariorem ejus distinctioremque perceptionem conducunt, ut priora cum his collata nihili planè æstimanda sint. *sed & alia insuper tam multa sunt*, inquit Philosophus, *in ipsâ mente, ex quibus ejus notitia distinctior reddi potest, ut ea quæ ex corpore ad illam emanant, vix numeranda videantur.* Nam quando sepositis rebus corporeis mens in seipsam descendit suaque quæ sibi propria habet contemplatur bona, innumerum illic deprehendit variarum facultatum numerum, è quibus inter cæteras sunt vis judicium suspendendi, verum à falso dignoscendi, admirandi, amandi, metuendi, gaudendi, dolendi: nec solum semetipsam cognoscendi, & se sibi, sed & alias mentes repræsentandi; & suos aliarumque mentium actus cognoscendi & discernendi, aliaque plurima in se aliisque mentibus percipiendi; ex quibus omnibus luce meridianâ clarius video, longè plura me in ipsâ mente meâ, quam in ullo corpore attributa percipere; quod demonstrandum susceperam, & jam à me invictissimè factum esse confido; liceatque mihi tandem exclamare εὕρηκα, εὕρηκα, & voti compos factus sum mei.

Sed nec eum tantum, quem modò dixi, consecutus sum ex vagâ mentis meæ aberratione fructum; sed & hunc insuper, ut sponte meâ videam & luculentissimè cognoscam, ipsa quoque corpora, non modo universalia, sed & singularia solo intellectu percipi; *Ecce enim sponte sum reversus eo quo volebam; nunc enim mihi notum est ipsamet corpora non propriè à sensibus, vel ab imaginandi facultate, sed à solo*

à solo intellectu percipi; nec ex eò percipi quod tangantur aut videantur, sed tantum ex eo quod intelligantur.

Et profectò hanc veritatem, quæ menti soli rerum etiam corporearum cognitionem vindicat, tanto acumine, tanto rationum pondere & tam artificiosè concatenatâ earundem serie assertam, luculentissimo quoque inter Philosophos Latinos Coryphæus in Tusculanis suis sermone expressit: *Nos*, inquit, *ne nunc quidem oculis cernimus ea, quæ videmus, Neque enim est ullus sensus in corpore. Sed, ut non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta & patefacta viderunt, viæ quasi quædam sunt ad oculos, ad aureis, ad nareis à sede animæ perforatæ. Itaque sæpe aut cogitatione, aut aliquâ vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis & auribus, nec videmus, nec audimus: ut facilè intelligi possit*, animum & videre, & audire, non eas parteis, quæ quasi fenestræ sunt animi: *quibus tamen sentire nihil queas, mens nisi id agat, & adsit. Quid quod eâdem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quæ nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, & is omnium judex solus esset.* Lib. I.

Et jam mihi ex demonstratis, quod nempè longè plura mihi de mente meâ, quam de ullâ re corporeâ, nota sint; quod & ipsa corpora non propriè sensu, sed mentis intellectu solo cognoscantur; jam mihi, inquam, ex demonstratis firmissimè concludere & inferre licet, nihil faciliùs & evidentius meâ mente à me percipi & comprehendi. *Nihil facilius*, inquam, quià mens ipsa seipsam per seipsam & in seipsâ videt: *Nihil evidentius*, quià longè plura in mente meâ attributa, quam in ullâ aliâ re, præsertim corporeâ cognosco.

Sed præter dictos usus & utilitates, ex hâc meditatione jam factâ emanantes, & hic inde fluit, quod evidentissimè percipiam non modò meam mentem, sed & omnes res intellectuales, nempe mentes alias, Deum & angelos, non imaginandi facultate, nedum sensu; sed solo quoque intel-

lectu purâque mentis contemplatione debere intelligi, omnesque ideas rerum sensibilium, quam longissimè esse semovendas. Hinc Philosophus in Meditatione Tertiâ perrecturus in mentis suæ consideratione atque ulteriori ejus essentiæ indagatione, ut & Dei existentiæ demonstratione sensus externos abdicat, imò & ipsas ideas per imaginandi facultatem formatas ex mente suâ delere allaborat. *Claudam*, inquit, *nunc oculos, aures obturabo, avocabo omnes sensus, imagines etiam rerum corporalium omnes vel ex cogitatione meâ delebo, vel certè, quià hoc fieri vix potest, illas ut inanes & falsas nihili pendam.* Quanto enim sint impedimento imagines rerum corporalium in indagandâ rerum intellectualium essentiâ Princeps Philosophorum priscorum agnovit, eosque qui phantasmata in hoc studii genere contemplantur seriò redarguit, inquiens: Ἄνθρωποι μὲν ἀπὸ τοῦ τῆς αἰσθήσεως πάθους ἐμπιπλάμενοι, ὥστε καὶ ὁπότε νοεῖν προαιροῖντο τὸ νοητὸν ἐμφανταζόμενον ἔχειν τὸ νοητὸν, ὡς καὶ μέγεθος συνεπινοεῖν, ἢ σχῆμα καὶ χρῶμα πολλάκις, οὐ καθαρῶς τὰ νοητὰ νοοῦσι. *Homines sanè utpote perturbatione sensuum occupati, quoties intelligibile quiddam contemplari student, in phantasiam mox alicujus sensibilis recidunt, adeò ut sæpenumero ei quod intelligendum est, vel magnitudinem vel figuram applicent, vel colorem: quo fit ut illud sincerè intelligere nequeant.*

Med. III. *In Princip.*

Alcinous in Doctr. Platon. cap. x.

Sed hic reprehendit Gassendus Cartesium, quod cum nihil in se admiserit præter mentem, & corpus nondum cognitum nec demonstratum habeat, nihilominus loquatur de cerâ, ejusque exemplo ostendat mentis, quam corporis cognitionem esse clariorem & faciliorem; absurdum enim existimat, ut is qui oculos, manus, cæteraque organa corporea excludat; nihilominus loquatur de cerâ, ejusque accidentibus, quæ videat, quæ tangat, &c. & quam profectò neque videre sine oculis, neque tangere sine manibus potest. Respondet Philosophus se jam accuratè monuisse non ibi agi de visu & tactu ceræ, qui fiunt ope organorum, sed de sola cogitatione videndi & tangendi, ad quam organa ista non requiri, quotidiè in somnis experimur.

Object. 5. *in Med.* II. *num.* 9.

Resp. 5. *ad obj. in Med.* 2. *num.* 9.

Cer-

Certiſſimum igitur eſt mentem facilius & evidentius cognoſci ab aliquo ordine & rectè philoſophante, quam corpus ſive ullam rem corpoream. Sed quià uſque & uſque recurrit adhuc vetus illa opinio, per tot annos continuata, quod corpus facilius & evidentius cognoſcatur, quam mens; & quoniam propter longam illam conſuetudinem de rebus corporeis cogitandi & propter arctam mentis cum corpore conjunctionem, quam ſenſibus experimur, priſtina illa opinio de faciliori & evidentiori corporis quam mentis perceptione ægrè deponi poteſt; hinc ratio exigit, ut nova hæc cognitio diuturnâ meditatione & crebrâ repetitione memoriæ firmiſſimè infigatur, & in habitum, ut ajunt, deducatur, ut quoties de mente & corpore cogitem, mox clarè percipiam, illam præ hoc mihi longè evidentius, & longè facilius eſſe cognitam.

Nec eſt profectò illa cognitio res exigui momenti, aut adeò proclivis acquiſitu; quia enim nullas antehâc ideas eorum, quæ ad mentem pertinent habuimus, niſi planè confuſas, & cum rerum ſenſibilium ideis permixtas, hæcque prima & præcipua ratio fuit, cur nulla ex iis, quæ de Deo & Animâ dicebantur, ſatis clarè potuerint intelligi; imò cur omnis de Deo cogitatio, quodammodo fuerit idololatrica, omniſque idololatriæ origo ac fomes: hinc evidentiſſimè patet, philoſophum arduum & egregium opus præſtitiſſe, quod docuerit, quo pacto proprietates, ſeu qualitates mentis à qualitatibus corporis ſint dignoſcendæ. Et licet jam ante dictum ſit à multis, ad res Metaphyſicas intelligendas mentem à ſenſibus eſſe abducendam, nemo tamen adhuc, quâ ratione id fieri poſſit, oſtendit: vera autem via, & unica ad id præſtandum in ſecundâ Meditatione continetur, ſed quæ talis eſt, ut non ſit ſatis illam ſemel perſpexiſſe; diu terenda eſt & repetenda, ut totius vitæ conſuetudo res intellectuales cum corporeis confundendi, contrariâ conſuetudine eaſdem diſtinguendi, deleatur. Quæ cauſa juſtiſſima fuit philoſopho, cur de nullâ aliâ re in ſecundâ Meditatione tractaret. Reſpp. 2.

Obſi-

Obſident enim mentem noſtram & adeò occupant penè invitam imagines illæ rerum corporalium, ut res intellectuales nunquam penè ſincerè & ſine earum admixtione contemplari valeamus. Quem errorem quoque fatetur ſe erraſſe Auguſtinus, & per eum à Dei notitiâ remotum fuiſſe, ut videre eſt paſſim in ejus Confeſſionibus, ubi inter alia, luctam ſuam adverſus imaginabilia ſic deſcribit. *Clamabat violenter cor meum adverſus omnia phantaſmata mea, & hoc uno ictu conabor abigere circumvolitantem turbam immunditiæ ab ſpecie mentis meæ; & mox dimota in ictu oculi, ecce conglobata rurſus aderat, & irruebat in aſpectum meum, & obnubilabat eum: ut quamvis non formâ humani corporis, corporeum tamen aliquid cogitarem per ſpatia locorum, ſive infuſum mundo, ſive etiam extra mundum per infinita diffuſum; etiam ipſum incorruptibile, & inviolabile & incommunicabile, quod corruptibili, & violabili & commutabili præponebam. Quoniam quicquid privabam ſpatiis talibus, nil mihi eſſe videbatur.*

Quapropter operæ pretium eſt, (verba inſignis è Palatinatu Philoſophi mea facio) ut quilibet conatu ſummo & rationibus undique conquiſitis renitatur tam pertinaci verſus corporea inclinationi, quæ non tantum ſpeculationes philoſophicas, ſed & Divinam notitiam, & cultum religioſum, alieni intruſione conſpurcat & deperdit. Externa idololatria, quâ ſtatuæ materiales, ut ad Deum relatæ coluntur, non aliunde eſt quam ex eo quod in Deo & in mentibus concipiendis, hominis animus ſe ad imaginabilia converterit, inde quas intus finxit imagines non dubitavit externo typo exprimere; ſine quo nihilominus fuerit interna idololatria, Deum imaginandi facultate percipere velle, ſive Deum ſub ſpecie humanâ, aut ſub ideâ neſcio cujus extenſi ſubtilis omnia permeantis, & ſine nullo terminum habentis effingas. Qui error revera eſt permutatio incorruptibilis Dei in ſpeciem corruptibilis creaturæ; &, ſi eum ad creatam mentem referas, eam repræſentare inſtar tenuis cujus-

dam

dam rei ſpatio definitæ, eſt naturæ ejus, veræque adeò Divinæ imaginis, abnegatio.

Sed non defuturi ſunt, qui etiamnum obtendent Philoſophum non ſatis efficaciter demonſtràſſe mentem & corpus ſubſtantias eſſe totâ naturâ à ſe invicem diſtinctas; non enim ſufficere, quod unam rem abſque alterâ clarè intelligamus, ut agnoſcamus illas reipsâ (ut ajunt) realiter diſtingui. *Reſp. ſecundæ num. 1.* Sed hi, ſi poſſint, certius aliquod ſignum diſtinctionis realis exhibeant; & nullum unquam dare poterunt. Dicent quidem, illa realiter diſtingui quorum utrumlibet abſque altero poteſt exiſtere. Sed quærimus ex iis, unde cognoſcant unam rem abſque aliâ eſſe poſſe? Ut enim ſit ſignum diſtinctionis, debet cognoſci. Fortè dicent hoc haberi à ſenſibus, quià unam rem abſente aliâ vident, aut tangunt, &c. Sed ſenſuum fides incertior eſt, quam intellectus; & multis modis fieri poteſt ut una & eadem res ſub variis formis, aut pluribus in locis, aut modis appareat, atque ita pro duabus ſumatur. Et porrò ſi recordentur eorum, quæ modò de cerâ dicta ſunt, advertent ne quidem ipſa corpora propriè ſenſu percipi, ſed ſolo intellectu, adeò ut non aliud ſit unam rem abſque aliâ ſentire, quam habere ideam unius rei; & intelligere iſtam ideam non eandem eſſe cum ideâ alterius. Non autem hoc aliunde poteſt intelligi, quam ex eo quod una abſque alterâ percipiatur; nec poteſt certò intelligi, niſi utriusque rei idea ſit clara & diſtincta: atque iſtud ſignum realis diſtinctionis ad Philoſophi debet reduci, ut ſit certum.

Alii rurſus negabunt ſe habere diſtinctas ideas mentis & corporis. Illud ex eo eſt, quod propter arctam illam mentis cum corpore conjunctionem quam ſenſibus aſſiduò experiuntur, nunquam experti ſint ſe corpore caruiſſe, ac non raró ab ipſo in operationibus ſuis ſe fuiſſe impeditos; unde factum, ut nunquam ideam unius ab alterius diſtinxerint; ſed exinde neutiquam conficitur ideas ſive notiones illas non eſſe diſtinctas; cum plurimi eas ut à ſe invicem totâ eſſentiâ differentes perceperint & percipiant; quippe dum

Mentem ut rem ſubſiſtentem & cogitantem intelligunt, cui nihil tribui poſſit quod ad corporis naturam pertinet; & vice versâ dum Corpus ut rem ſubſiſtentem & extenſam percipiunt, cui nihil quod ad mentis eſſentiam ſpectat, poſſit verè aſſignari; hinc claras & diſtinctas utriusque putà corporis & mentis habent notiones, & nôrunt certiſſimè eas realiter eſſe diſtinctas; nullum enim majus argumentum diſtinctionis inter duas res haberi poteſt; quam quod in utramvis nos convertentes, nihil planè in unâ deprehendamus, quod ab alterâ non ſit diverſum.

Cæterum rurſus è contrario criminabuntur aliqui, Philoſophum in Platonicorum tranſiiſſe caſtra, ſtatuentium nihil corporeum ad noſtram eſſentiam pertinere, ita ut homo ſit ſolus animus, corpus verò non niſi vehiculum animi, unde definiunt *hominem animum corpore utentem* Sed vana hæc eſt accuſatio, quippe in Sextâ Meditatione, in quâ egit de diſtinctione Mentis à corpore, ſimul etiam firmiſſimis rationibus probavit illam huic eſſe ſubſtantialiter, ut ajunt, unitam, & tantum non commixtam & confuſam. Quemadmodum verò ille qui brachium hominis dicit eſſe ſubſtantiam, à reliquo ejus corpore diſtinctam, non ideò negaret illud idem ad hominis integri naturam pertinere; nec qui dicit idem brachium ad hominis integri naturam pertinere, ideò dat occaſionem ſuſpicandi non poſſe illud per ſe ſubſiſtere: ita non debet putari author nimiam diſtinctionem probâſſe inter corpus & mentem oſtendendo hanc abſque illo eſſe poſſe; nec etiam confuſionem aut commixtionem quandam induxiſſe, probando mentem corpori ſubſtantialiter eſſe unitam; quia unio illa ſubſtantialis non impedit, quo minus utriusque ſit natura diſtincta, & quò minus clarus & diſtinctus ſolius mentis tanquam rei in ſe completæ habeatur conceptus; & vice versâ etiam corporis. *Quamvis enim habeamus corpus, quod nobis valdè arctè conjunctum eſt, quià tamen ex unâ parte claram & diſtinctam habeo ideam meiipſius, quatenus ſum res cogitans, non extenſa; & ex aliâ parte diſtinctam ideam corporis, quatenus eſt res extenſa,* non

non cogitans, certum est me (hoc est mentem) à corpore meo reverà esse distinctum, & absque illo posse existere. Denuò regerat quis; Quâ ratione demonstratur, Corpus etiam non posse cogitare? Hâc ratione: Omne id quod potest cogitare est mens, sive vocatur mens; sed cum mens & corpus realiter distinguantur, nullum corpus est mens; neque ulla attributa essentialia habent communia; ergò nullum corpus potest cogitare.

Demonstratis in superioribus Mentis Existentiâ & Essentiâ, ejusque à Corpore Distinctione; atque ità claro distinctoque utriusque conceptu formato, quo percepimus esse revera substantias realiter à se mutuò distinctas; non difficile fuerit demonstrare mentem humanam esse immortalem sive nunquam annihilandam sive existere cessaturam. Non instituitur hic quæstio de Potentiâ Dei absolutâ; An Deus absolutè loquendo Mentem possit annihilare? Sed an Mens naturâ suâ immortalis sit; & ex placito Divino corpore dissoluto superstes remansura sit substantia cogitans? an verò & ipsa, ubi corpus dissolvitur cesset existere?


Mentem autem ex suâ natura esse immortalem hâc ratione demonstramus: *Primò, Unaquæque res simplex & indivisa permanet in eo statu, in quo est, donec ab aliquo fortiori ex illo deturbatur.* Unde mox patet mentem, si ad absolutam Dei potentiam respiciamus posse quidem ab eâ annihilari, quanquam, ex ipsius beneplacito non sit annihilanda. Sed si ad cæteras res creatas respiciamus nulla occurrit, à quâ Mens annihilari possit. Palam enim est in creatis nihil dari quod in Mentem magis agat & agere possit, & à quo plura patiatur, quam ipsum Corpus, cui adeò arctè unita est. Sed hoc non habere vim annihilandi mentem, mens ipsa sibi conscia est. Cum enim invitâ mente (si absolutè loquamur) nullas ipsi corpus inferre possit passiones, quantò minus totalem ruinam & interitum. *Deindè*, docet naturalis cognitio nullum corpus esse nisi divisibile; contra nullam mentem nisi indivisibilem: neque enim possumus ullius mentis mediam partem conci-

pere, ut possumus cujuslibet quantumvis exigui corporis; adeò ut eorum naturæ non modò diversæ, sed etiam contrariæ hâc ratione agnoscantur: unde consequens est, ut si corpus sit corruptibile, quale revera est; mens è contra sit incorruptibilis sive immortalis. *Tertiò*, Constat Corpus humanum, quatenus à reliquis differt corporibus, non nisi ex certâ membrorum configuratione, aliisque ejusmodi accidentibus esse conflatum; mentem verò humanam non ità ex ullis accidentibus constare, sed puram esse substantiam: etsi enim omnia ejus accidentia mutentur, ut quod alias res intelligat, alias velit, alias imaginetur & sentiat, &c. non idcircò ipsa mens alia evadit. Humanum autem corpus aliud fit ex hoc solo quod figura quarundam ejus partium mutetur; ex quibus sequitur corpus quidem perfacilè interire, mentem autem ex naturâ suâ esse immortalem. *Quartò*, cum Mentis operationes sive cogitationes nobilissimæ, & intimæ à corpore non pendeant, nec eo indigeant, quales sunt pura intellectio, ratiocinatio, contemplatio ac amor rerum spiritualium, sequitur remoto corpore eas actiones non esse tollendas neque desituras, adeoque nec mentem ipsam, cui insunt, & à quâ solâ efficiuntur, tollendam esse. *Quintò*, Nullum corpus absolutè perit; licet quoad modos suos mutetur; atque ita hoc corpus, quod anteà fuit, esse desinat; manet tamen substantia & materia. Si autem corpus, substantia illa ignobilis & minus perfecta, non annihilatur cum mens ab illo separatur: cur igitur mens, substantia longè nobilior atque perfectior putaretur annihilari cum corpus ab eâ separatur. Non interire autem ullum omninò corpus & ex experientia sensuum de crassioribus corporibus; & ex ratione de subtilibus constat; inprimis verò ex attributorum Divinorum consideratione patet: sed ex iisdem Mentis immortalitas luculentissimè demonstratur. Nam Dei justitia, Constantia, Sapientia, Sanctitas, Veracitas, Bonitas & Gloria Animæ immortalitatem firmissimè asserunt. Quod quâ ratione & quantâ efficaciâ fiat, solidè & dilucidè, ut solet, acutissi-

tiſſimus Theologus & Philoſophus Poiret inter Cogitationes ſuas Rationales expoſuit & oſtendit, quo cupidum hujus veritatis lectorem remittimus, noſtriſque his in primas duas Carteſii Meditationes commentariis imponimus finem; in quibus ſi veritati aliquam lucem fœnerati ſumus, eſt quod nobis gratulamur; ſin minus, in magnis & voluiſſe ſatis fuerit; Deo pro vitâ & viribus in perficiendo hoc opuſculo immortales ſint gratiæ.

F I N I S.





QUÆSTIONUM AD PRIMAM PHILOSOPHIAM PRIMA.

NOn magis expedita & tuta veritatem opprimendi ab omni ævo ejus inimicis visa fuit via, quam ut eandem vel perverterent, vel mendacii & errorum maculâ deturpatam apud imperitam multitudinem traducerent. Id Divinis pariter & humanis scriptis accidisse norunt ii, qui non planè hospites sunt in literis. Et hanc vim quoque deprehenduntur esse passa R. Cartesii scripta, quæ vel imperitè vel malevolè in perversum & minus convenientem sanæ & orthodoxæ veritati sensum detorta sunt. Nobis itaque, qui odii & invidiæ causas procul habemus, & nulli parti, nisi à quâ veritas stat, addicti sumus, propositum, ut genuinum circa Quæstiones nonnullas Cartesii sensum mentemque candido & sincero scrutinio detegamus, ut exinde à præjudiciis & præconcepto odio vacuus Lector judicare valeat, jurene an injuriâ illæ, quæ passim sub Cartesii nomine circumferuntur sententiæ, orthodoxæ religioni & sanæ Philosophiæ adversæ, Philosopho isti imputentur. Specimina tamen quædam tandummodò exhibemus, ut ex his de cæteris æquanimi Lectores judicium ferant, & veritatis perversores suæ tandem pœniteat imprudentiæ. Esto itaque

Quæstio prima. *An Cartesius unquam docuerit rectam ad Dei cognitionem perveniendi viam esse, dubitare, an sit Deus?*

ANtiqua & ipsi Cartesio jam vivo sæpius objecta & post mortem ipsius creberrimè recocta est criminatio, Cartesium docuisse, seriò de Dei existentiâ dubitandum omnemque Dei cognitionem naturalem ex animo excutiendam esse; atque hâc ratione ab ipso ejusque asseclis impiè Christianismum abdicari, latam ad varios errores & hæreses januam pandi, imò ad Scepticismum & Atheismum pronam sterni viam. Cæterum uti vetus hæc accusatio, ita quoque ab ipso Cartesio, acerrimo sui vindice, solidissimè refutata, & ad quam retundendam & infringendam non magis apta & efficacia, quam ipsius Philosophi adhiberi possunt verba, quæ hoc modo in Notis ad Programma Regii circa finem sonant: *Moneo me nunquam docuisse Deum esse negandum, vel ipsum nos posse decipere vel de omnibus esse dubitandum, vel fidem omnem sensibus abrogandam, somnum à vigiliâ non distinguendum, vel similia, quæ à calumniatoribus imperitis aliquando mihi objecta sunt; sed omnia ista expressissimis verbis rejecisse, validissimisque argumentis, imò etiam ausim dicere, validioribus, quam ab ullo ante me refutata fuerint, refutâsse: quod ut commodius & efficacius præstarem, proposui, initio* Meditationum *mearum, ista omnia tanquam dubia, quæ non à me primum fuerunt inventa, sed à Scepticis dudum decantata. Quid autem iniquius, quam tribuere alicui scriptori opiniones, quas eo fine tantum refert, ut refutet? Quid ineptius, quam fingere, saltem illo tempore, quo ista falsæ opiniones proponuntur & nondum refutantur, eas doceri, atque ideo illum, qui refert atheorum argumenta, esse* Atheum temporarium? *Quid magis puerile, quam dicere, si moriatur interim, priusquam speratam suam demonstrationem scripserit vel invenerit, eum* Atheum moriturum, *ipsumque in antecessum perniciosam doctrinam docuisse, non autem esse facienda mala ut eveniant bona, & talia.* Legant hæc & cautius sapere discant illi, qui

qui frivolis his objectiunculis à Cartesianæ Philosophiæ studio adolescentum animos absterrere satagunt.

II. Sed regerent adversarii, Protestatio contraria facto, ut docent Juris-consulti, reapse est nulla. Diffitetur quidem Cartesius se unquam docuisse de Deo esse dubitandum, vel alia perniciosa dogmata fovisse; sed scripta ejus evolventi contrarium fiet manefestum; in iis enim apertè exitialia illa dogmata & inprimis dubitationem de Deo inculcat. Operæ pretium itaque facturi sumus, ut scripta Cartesii paulò penitius inspiciamus, & quæ circa dubitationem de Deo revera ejus sit mens & doctrina patefaciamus. Ordiamur ab ipsis Meditationibus, ex quibus hujusmodi criminationum ansa potissimum vel ab invidis vel ab imperitis arrepta esse videtur. Sub initium Meditationis primæ scribit, *Omnia in vitâ semel esse evertenda*, id est, Omnes opiniones veteres esse in dubium revocandas & evertendas, & *non minus ab iis quæ non planè vera sunt atque indubitata, quam ab apertè falsis aßensionem esse cohibendam*; unde inferunt: Si omnes opiniones veteres sint rejiciendæ, ergo & illa de Deo menti humanæ jam inde ab ortu indita opinio. Sed mentem Philosophi non percipiunt, & fallunt fallunturque, qui sub harum opinionum generali eversione Dubitationem de Dei existentiâ seu eversionem Cognitionis de Deo humanæ menti inditæ contineri suspicantur. Consideret enim veritatis studiosus penitius ea, quæ in dubitationem trahi vult Philosophus, & patebit, ea saltem esse *evertenda, quæ ab ineunte ætate, cum falsa sint, pro veris fuerunt admissa*, ut & *ea quæ falsis illis superstructa fuerunt*; imò omne illud, quod sensibus tanquam certissimis veritatis fundamentis, nitebatur; nam cum illi interdum errent, his in veritatis accuratâ investigatione indubitatam fidem non esse adhibendam docet Philosophus, inquiens: *Aggrediar ipsa principia, quibus omne, quod olim credidi, nitebatur. Nempe quidquid hactenus ut verum admisi, vel à sensibus vel per sensus accepi, hos autem interdum fallere deprehendi; ac prudentiæ est iis nunquam planè confidere, qui*

nos vel semel deceperunt. Sensuum itaque judicio sine accurato intellectus examine standum non esse monet; nec temere, quæ sensus dictare videntur, esse admittenda, sed prius in dubium esse revocanda, id est, accurato examine perpendenda, an vera sint, inculcat; quam Philosophandi rationem nemo sanus improbaverit.

III. Sub his autem à Philosopho recensitis, quæ in dubium vocari vult, nullatenus Cognitio Dei continetur, non enim illa in se falsa est, neque tantum ut vera admissa, sed humanæ menti à Deo insita & ingenita; disertè Philosophus in ipsa Meditatione primâ, antequam solidè & ordine philosophandi Dei existentiam demonstrâsset; *Infixa quædam est*, inquit, *menti meæ vetus opinio nempe Deum esse, qui potest omnia, & à quo talis, qualis existo, sum creatus.* Et ut omnis cavillandi occasio præripiatur, explicet ipse Renatus disertis verbis, quas res ut veras primum admisit, & postea dubias esse deprehendit, apertè docebit res sensibus perceptas esse, nullâ Dei mentione factâ: *Verumtamen multa priùs ut omninò certa & manifesta admisi, quæ tamen postea dubia esse deprehendi: qualia ergo ista fuére; nempe terra, cœlum, sidera & cætera omnia quæ sensibus usurpabam.* Et alibi: *De sensu est agendum, videndumque an ex iis quæ isto cogitandi modo, quem sensum appello, percipiuntur, certum aliquod argumentum pro rerum corporearum existentiâ habere possim. Et primò quidem apud me hic repetam, quænam illa sint, quæ antehac ut sensu percepta vera esse putavi, & quas ob causas expendam; deinde propter quas eadem postea in dubium revocavi; ac denique considerabo, quid mihi nunc de iisdem sit credendum. Primò itaque sensi me habere caput, manus, pedes, & membra cætera, ex quibus constat illud corpus, quod tanquam mei partem, vel forte etiam tanquam me totum spectabam; sensique hoc corpus inter alia multa corpora versari &c.* Expressissimis verbis ubique de solis rebus sensu perceptis esse dubitandum monet: altum de Deo silentium, cum dubitationem inculcat ejusque rationes proponit. Imò manife-

Medit. III. circa init. Et in Meditatione VI.

stò

stò Meditationem hanc primam in Synopsi ejusdem ad res præsertim materiales restringit, inquiens: *In primâ causæ exponuntur; propter quas de rebus omnibus, præsertim materialibus, possumus dubitare.*

IV. Novi quidem reclamaturos esse adversarios; Res quidem materiales philosophum ex suâ protestatione præcipuè spectare, sed negari interim non posse dubitationem secundariò Deum quoque concernere. Sed inconsequens est hæc, quæ elicitur ex dictis Philosophi, sequela. Non enim per res, quæ minus præcipuê in dubium trahi possunt, Deum aut res divinas intelligit, sed mathematicas demonstrationes: hæ enim etsi intellectui manifestissimè pateant, in dubium tamen vocari possunt, quia propter crebra, quæ experimur, judicia falsa à nobis pro certis admissa, & hæc fortassis incautè admissa sunt; & fortè nos in iis erramus, quæ clarè perspecta esse arbitramur, quoniam aliis id accidere vidimus; sumus enim nos ejusdem imperfectæ cum cæteris naturæ; & quia forte nos Deus tales creavit, ut semper fallamur. Sic enim scribit & suam mentem explicat: *Nunc itaque cum tantum veritati quærendæ incumbimus, dubitabimus inprimis, an ullæ res sensibiles aut imaginabiles existant: Primo, quià deprehendimus interdum sensus errare, ac prudentiæ est nunquam nimis fidere iis, qui nos vel semel deceperunt: Deinde quia quotidiè in somnis innumera videmur sentire aut imaginari, quæ nusquam sunt; nullaque sic dubitanti signa apparent, quibus somnum à vigiliâ certò dignoscat. Dubitabimus etiam de reliquis, quæ antea pro maximè certis habuimus; etiam de Mathematicis demonstrationibus, etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus esse per se nota: tum quia videmus aliquando nonnullos erràsse in talibus, & quædam pro certissimis ac per se notis admisisse, quæ nobis falsa videbantur; tum maximè quia audivimus esse Deum, qui potest omnia, & à quo sumus creati. Ignoramus enim an forte nos tales creare voluerit, ut semper fallamur, etiam in iis, quæ nobis quam notissima apparent; quià non minus hoc videtur fieri potuisse,* Princip p. 1. §. iv v.

quam ut interdum fallamur , quod contingere antè advertimus. Ex dictis clarissimè patet primariò de rebus materialibus, secundariò de rebus mathematicis & principiis per se notis aliisque pro maximè certis habitis, dubitari posse, nullum vestigium, ut de Deo præcipiat dubitandum; affirmat enim nos ab eo esse creatos: & licet addat, nos fortè ab eo talis naturæ esse creatos, ut semper fallamur, non proptereà factum, quod ignoret Dei naturam & nostram, qualis creata sit ab illo; sed quoniam ordine philosophandi nondum eò devenit, ut hanc tanquam satis detectam, hoc vel illo modo se habere, affirmet; nam licet notitia illa de Deo nobis insita satis vera sit, cum tamen nondum quousque se extendat accuratâ indagine & certitudine infallibili, quæ decet Philosophum, explorata sit; hinc qualis præcisè hâc in parte Dei essentia & nostra sint, declarare nondum valet, sed illud factum ab ipso Medit. III. & IV. ubi satis ostendit Deum non esse fallacem, nec naturam nostram proinde perpetuis erroribus obnoxiam, sed plurima certissimè à nobis cognosci.

V. Sed denuò urgebunt antagonistæ: Ipse Cartesius suo præit exemplo, dubitatque de Deo cum ipsis Atheis; inspiciatur modò Meditatio prima, in quâ hæc verba leguntur. *Essent verò fortassis nonnulli qui tam potentem aliquem Deum mallent negare, quam res alias omnes credere esse incertas:* Impiis his hominibus assentitur Cartesius; ait enim, *Sed iis non repugnemus, totumque hoc de Deo demus esse fictitium.* Imò disertè mox subdit. *Quibus sanè argumentis* (Scepticorum & Atheorum) *non habeo quod respondeam, sed tantùm cogor fateri, nihil esse ex iis, quæ olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconsiderantiam vel levitatem, sed propter validas & meditatas rationes; ideoque etiam ab iisdem, non minus quam ab apertè falsis accuratè deinceps assensionem esse cohibendam, siquid certi velim invenire.* Et rursus: *Supponam igitur non optimum Deum fontem veritatis, sed genium aliquem malignum eundemque summè potentem & callidum omnem suam industriam*

in

in eo posuisse, ut me falleret. &c. Et alio loco: *Nunquid est aliquis Deus, vel quocunque nomine illum vocem, qui mihi has ipsas cogitationes immitit? Quare vero hoc putem, cum forsan ipsemet illarum author esse possim?* Et postea: *Nondum satis scio, utrum sit aliquis Deus? Quamprimum occurret occasio, examinare debeo an sit Deus?* Hæ inquiunt expressiones & aliæ his similes manifestissimè evincunt, philosophum seriò de Deo dubitâsse, & Scepticis Atheisque revera favisse, ac periculosissimam produxisse doctrinam, in Scholis Christinanorum minimè tolerandam, sed eliminandam & proscribendam ab omnibus, quibus Dei gloria & orthodoxa veritas cordi est.

VI. Hæc est objectio objectionum, quâ Cartesium Atheismi & Scepticismi convictum esse certissimè persuasum habent. Sed cautius saperent hi homines, & à frivolis & falsâ philosophum interpretandi consuetudine desisterent, si methodum scopumque authoris intellexissent, & ex iis mentem illius perspexissent; cognovissent enim, illum hæc non ex suâ sententiâ & mente profiteri & docere, sed esse tantum hypotheses, ex Scepticorum & Atheorum mente propositas & ad tempus admissas, ut tantò solidius & commodius easdem refutet & diluat: ita enim ipsum philosophum se interpretantem audivimus in Notis ad Programma Regii, verbis supra à nobis citatis, ad quæ Lectorem remittimus. Neutiquam cum impiis Atheis & Scepticis facit Philosophus, ut assensum illis præbeat ex animo, sed seipsum quasi fallit, & falsa esse fingit, quæ evidentissimè perspicit esse verissima, ut pertinaces Dei hostes tantò facilius convincat: & hoc scopo dicit quoque: *Rejicientes autem illa omnia, de quibus aliquo modo possumus dubitare,* (propter rationes nempe, quas Sceptici & Athei excogitârunt, quas nondum recto philosophandi ordine refellere valemus;) *ac etiam falsa esse fingentes,* (quoniam vera esse nondum evincere possumus; fingentes tamen tantummodo & ad tempus concedentes, non tamen affirmantes; nam dum nos fingere dicimus, re ipsâ in se vera esse omninò

nò

nò fatemur & novimus) *facile quidem supponimus nullum esse Deum*, largientes id ad tempus Atheis, ut suo tempore validius eos refutemus. Per συγκατάβασιν igitur quandam impiorum sententiam admittit, donec commoda magis illos refutandi sese obtulerit occasio. Nec illud Atheismum sapit, nec seriam aut Scepticam de Deo dubitationem involvit, ut criminantur antagonistæ; illud enim licet & semper licitum fuit, ut in Disputatione cum eo, qui à nobis dissentit, ita nos geramus, ac si veritas adhuc ignota à nobis unà cum dissentiente quæreretur, cum tamen de illâ in antecessum dudum quam certissimè & plenissimè persuasi fuimus; in quâ re nec cognitio nec fides ullum detrimentum patiuntur; sed præfracta alioquin adversarii mens ad veritatem facile admittendam inclinatur, cum hâc ratione â præjudicio illo, quod nempe veritas, quæ talis ipsi nondum apparet, ex anticipatâ tantum opinione & affectu propugnetur, liberatur, atque ita melius erga veritatem affecta redditur. Audiant antesignanum propriæ suæ turmæ adversarii, disertè hæc quæ modò scripsimus profitentem, & ineptè ac pueriliter contradicere desistant. *Vir pius*, inquit, *& Orthodoxus si congrediatur cum aliquo dissentiente, & eum invitet ad placidam disputationem, in quâ agat uterque cum Augustino, ut veritatem quærens, non ut qui illam jam repererit, nec ideò tamen quidquam remittat, quod ad se de πληροφορίᾳ suæ fidei, sed tantum per quandam συγκατάβασιν sic se habeat, quoad actum ipsum disputationis ac si veritatem quæreret.* Nulla igitur in dictâ concessione Philosophi Christianismi abdicatio, nulla orthodoxæ veritatis vel ad momentum abnegatio, nulla in gratiam Atheismi & Scepticismi sententia, nedum defensio; nulla seria de Deo dubitatio.

Maresius de Abusu Phil Cartes. art. 21.

VII. Sed instabunt denuò, Philosophum opiniones non retulisse tanquam aliorum, sed tanquam suas. Quam objectionem erudito hoc responso jam vivus diluit ipse Cartesius: *Quid hoc refert:* interrogat; *quandoquidem in eodem libro, in quo ipsas retuli, omnes refutàvi; atque ex ipso libri titulo pote-*

tuit intelligi, me ab iis credendis esse planè alienum, quandoquidem in eo Demonstrationes de Existentiâ Dei promittuntur. *Estne aliquis adeò stolidus, ut existimet, eum, qui talem librum componit, ignorare dum primas ejus paginas exarat, quid in sequentibus demonstrandum susceperit.* Nota Lector Philosophum solidissimè penes se jam perspectam & demonstratam habuisse Dei existentiam, cùm has hypotheses Atheorum & Scepticorum proponeret; *Objectiones,* inquit, *tanquam meas proposui, quia hoc exigebat stylus meditationum, quem rationibus explicandis aptissimum judicavi. Quæ ratio si nostris censoribus non satisfacit, velim scire, quid dicant de Sacris Literis, cum quibus nulla humana scripta sunt comparanda, quando vident in iis nonnulla, quæ non possunt rectè intelligi, nisi supponantur tanquam ab impiis vel saltem ab aliis, quam à Spiritu Sancto, vel à Prophetis dicta esse; qualia sunt Eccl. cap. 2. hæc verba*: Nonne melius est comedere & bibere & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis, & hoc de manu Dei est. Quis ita devorabit & deliciis affluet ut Ego? *Et capite sequenti.* Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. Idcircò unus est interitus hominis & jumentorum, & æqua utrisque conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius, &c. *An credunt ibi Spiritum Sanctum nos docere, ventri esse indulgendum, & affluendum deliciis, animasque nostras non magis esse immortales, quam jumentorum? Non puto eos usque adeò esse furiosos: sed neque debent etiam calumniari, quod iis inter scribendum non usus sim cautelis, quæ nunquam ab ullis aliis scriptoribus fuerunt observatæ, nec ab ipso quidem Spiritu Sancto.* Et quoniam itaque alii scriptores imò & ipse Sp. Sanctus falsas interdum ex aliorum sententiâ refert, & ad tempus, ut veras, admittit Hypotheses, cur Philosopho nostro minus licet quædam supponere, quanquam ab impiis & hæreticis assumpta & in se falsa sunt? Quis ignorat Astronomos sæpe falsa pro veris ad veritatem illustrandam satis utiliter

ſumere, cum Æquatorem, Zodiacum, alioſque circulos in cælo imaginantur, ut ſolis curſum & vias accuratius deſignent; & Geometras novas lineas datis figuris adjungere?

VII. Nunquam itaque ſeriò de Deo Philoſophus dubitavit, nuſpiam ſcripſit veram ad cognitionem Dei perveniendi viam eſſe dubitare de Deo; nunquam Scepticiſmo aut Atheiſmo ſuis ſententiis favit, ſed ſolidiſſimè eos evertit.

VIII. Quod ut adhuc magis dilucidè pateat, perpendamus differentias quaſdam, quæ inter ſeriam ſive Scepticam & inter Philoſophi ad tempus admiſſam dubitationem intercedunt. *Primò*, Sceptici dubitant de Deo, ut ſibi ipſis & aliis Dei exiſtentiam dubiam reddant; Carteſius contra non dubitat ſibi, ſed aliis, ut eos de Dei exiſtentiâ convincat. Scepticorum enim ſcopus eſt, ut ſe & alios ſemper & ubique fluctuare faciant & dubios hærere, ne certi quid unquam affirmetur. *Pyrrho* enim Scepticorum Coryphæus, ut inquit Sextus, *contendit ut ea res reddantur incertæ, quæ; prius pro veris & manifeſtis acceptæ fuerant.* Argutiis enim ſuis omnimodam perſuadere conantur incertitudinem de Dei exiſtentiâ. Diſertè rurſus Sextus, Scepticarum Hypotheſewn callentiſſimus, omnes ad dubitandum de Dei exiſtentiâ rationes à Scepticis excogitari ſcribit. *Atque hæ quidem ſunt & hujuſmodi, quæ & apud Stoicos, & eos qui ſunt aliarum ſectarum, adducuntur rationes ad probandum, quod ſint Dii. Quod autem nec proptereà deſint paris momenti ad perſuadendum rationes, iis qui dicunt non eſſe Deos, proximè eſt oſtendendum.* Legat autem, cui placet, veſana illa Scepticorum ratiocinia, ut videat quantum ipſorum deliria differant à Sapientiâ Renati; horret animus noſter ea referre. Carteſius autem non ſibi dubitat, ubi enim ſuam, quam privatim ſecutus eſt, philoſophandi methodum exponit, & ea omnia, de quibus dubitavit, recenſet, nullam Dei mentionem facit, adeò ut liquidò appareat, eum ſecum meditantem de Deo nunquam dubitâſſe. Aſſcribamus, licet prolixiora, Philoſophi verba, in quibus integræ Medita-

Lib. 1. *cap.* 17. *adv. Diſciplinas.*

Adv. Diſciplinas Lib. 8.

ditationis Primæ & ex parte Secundæ, quatenus privato uſui inſerviebant, argumentum continetur. *Non libenter hîc refero primas cogitationes, quibus animum applicui, poſtquam huc veni: tam Metaphyſica enim ſunt & a communi uſu remota, ut verear ne multis non ſint placitura; ſed ut poſſit intelligi, an ſatis firma ſint Philoſophia mea fundamenta, videor aliquo modo coactus de illis loqui. Dudum obſervaveram permultas eſſe opiniones, quas, etſi valde dubia ſint & incerta, non minus conſtanter & intrepidè ſequi debemus, quatenus ad uſum vita referuntur, quam ſi certa eſſent & explorata; ut jam antè dictum eſt. Sed quià tunc veritati quarenda, non autem rebus agendis, totum me tradere volebam, putavi mihi planè contrarium eße faciendum, & illa omnia in quibus minimam dubitandi rationem poßem reperire, tanquam apertè falſa eße rejicienda; ut experirer an illis ita rejectis, nihil prætereà ſupereſſet, de quo dubitare planè non poſſem. Sic quià nonnunquam ſenſus noſtri nos fallunt, quidquid unquam ab illis hauſeram, inter falſa numeravi. Et quia videram aliquando nonnullos etiam circa res Geometria facillimas errare, ac paralogiſmos nectere, ſciebamque idem mihi poße accidere, quod cuiquam alii poteſt, illas etiam rationes omnes, quas ante pro demonſtrationibus habueram, tanquam falſas rejeci; Et denique quià notabam, nullam rem unquam nobis veram videri dum vigilamus, quin eadem etiam dormientibus poſſit occurrere, cum tamen tunc ſemper aut ferè ſemper ſit falſa; ſuppoſui nulla eorum, qua unquam vigilans cogitavi, veriora eße, quam ſunt ludibria ſomniorum. Sed ſtatim poſtea animadverti, me, quià catera omnia ut falſa ſic rejiciebam, dubitare planè non poſſe, quin ego ipſe interim eſſem: Et quià videbam veritatem hujus pronunciati; Ego cogito, ergo ſum, ſive exiſto, adeò certam eſſe atque evidentem, ut nulla tam enormis dubitandi cauſa à Scepticis fingi poſſit, à quâ illa non eximatur, credidi me tutò illam poße, ut primum ejus, quam quarebam, Philoſophia fundamentum admittere.* Rejicit itaque ut apertè falſas res ſenſibus & imaginatione perceptas, ut & demonſtrationes

Mathematicas, neutiquam verò de Deo dubitat, dum philosophando privatus meditatur, ut ex allegatis quilibet incorrupti judicii lector evidentissimè perspicit. Sed cum publico usui tanquam Doctor suas Meditationes & Principia Philosophiæ destinat & in lucem emittit, ostendit propter meditatas & fictas à Scepticis & Atheis dubitandi causas Dei existentiam in dubium trahi posse, tum, quià ordine Philosophandi ex fundamentis veteris Philosophiæ, novis nondum repertis, eos impios refutare nondum valet; tum maximè, ut Dubitationem de Deo animis hominum penitus eximat, & enormes dubitandi causas ab Atheis & Scepticis effictas evertat; atque ita aliis dubitat. Rejectis enim ad tempus omnibus sensibilibus pariter & intelligibilibus objectis, supponit quoque ad tempus cum Atheis Deum non esse; sed, ut dixi, ad tempus tantum & ex συγκαταβάσει quâdam, ut brevi post solidissimè eosdem refellat: Demonstratâ enim sui existentiâ, quæ meditanti primò certò occurrebat, eâdemque pro primo Principio positâ & naturâ suâ quadantenus explicatâ, mox se accingit ad convincendos Atheos & Scepticos; & mens considerans suas in hunc finem ideas unam reperit, quæ est Entis summè perfecti: ad quam accuratè attendens observat eam necessariam, veram & immutabilem naturam exhibere, qualem nullæ aliæ ideæ exhibent: unde mox dijudicat talem naturam necessariam & æternam, id est, Ens summè perfectum sive Deum existere; & quoniam unà advertit ideam illam esse immensam, agnoscit eam ideam à causâ se longè superiori, idest, à Deo sibi esse inditam, & nequaquam à se effictam. Sed ne videamur pro arbitrio mitigâsse & in benigniorem partem interpretati esse Philosophandi Methodum à Cartesio usurpatam, propria ipsius verba asscribere non pigebit: *Rejicientes*, inquit, *illa omnia, de quibus aliquo modo possumus dubitare, ac etiam falsa esse fingentes; facile supponimus* (ex sententiâ Scepticorum & Atheorum, uti disertè se ipsum interpretatur author in Notis ad Programma Regii circa finem, quæ verba suprà à nobis citata reperies;) ***nullum esse Deum, nul-***

Principp. p. 1. §. 7. 8.

nullum cælum, nulla corpora; nosque etiam ipsos non habere manus, nec pedes, nec denique ullum corpus; non autem ideò nos, qui talia cogitamus, nihil esse: repugnat enim, ut putemus id, quod cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, non existere. Ac proinde hæc cognitio, ego cogito, ergo sum, *est omnium prima & certissima, quæ cuilibet ordine Philosophanti occurrat. Hæcque optima via est ad mentis naturam ejusque à corpore distinctionem agnoscendam: Examinantes enim, quinam simus nos, qui omnia, quæ a nobis diversa sunt, supponimus falsa esse, perspicuè videmus nullam extensionem, nec figuram, nec motum localem, nec quid simile, quod corpori sit tribuendum, ad naturam nostram pertinere, sed cogitationem solam, quæ proinde prius & certius quam ulla res corporea cognoscitur, hanc enim jam percepimus, de aliis autem adhuc dubitamus. Considerans deinde mens inter diversas ideas, quas apud se habet, unam esse Entis summè intelligentis, summè potentis & summè perfecti, quæ omnium longe præcipua est, agnoscit in ipsâ existentiam, non possibilem & contingentem tantum, quemadmodum in ideis aliarum omnium rerum, quas distinctè percipit, sed omninò necessariam & æternam. Atque ut ex eo quod, exempli causâ, percipiat in ideâ trianguli necessariò contineri tres ejus angulos æquales esse duobus rectis, planè sibi persuadet triangulum tres angulos habere æquales duobus rectis; ita ex eo solo, quod percipiat, existentiam necessariam & æternam in entis summe perfecti ideâ contineri, planè concludere debet ens summè perfectum existere.* Et hæc ipsa in sequentibus quatuor præcipuè articulis adhuc latius & quantum potest clarius explicat. Ex quibus manifestissimè liquet Philosophum nunquam seriò de Deo dubitâsse, sed ostendisse & docuisse quomodo ad tempus ex Atheorum & Scepticorum hypothesi supponendo Deum non esse, ex ideâ tamen sive notione Dei impressâ, quam τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Apostolus appellat, contra Atheos & Scepticos firmissimè & solidissimè Dei existentia demonstretur. Quicunque autem hoc Atheum aut Scepticum esse, vel eorundem pestiferis erro-

Ibid. art. 14.

roribus patrocinari existimat, næ mente captus est, vel datâ operâ cæcutit.

IX. *Deinde* Sceptici dubitabant ex *Diffidentiâ* & *Ignorantiâ* veritatis; opinabantur enim cum Democrito suapte naturâ ἐν βυθῷ εἶναι τ̀ ἀλήθειαν, nunquam ex eo eruendam, nullam certitudinem unquam obtineri posse, sed omnia in incerto pendere. Scepticorum enim vox est, παντὶ λόγῳ λόγος ἴσος ἀντίκειται. *Omni rationi æqualis ratio opposita est*, id est, si ipsum Sextum explicantem audiamus: *Omni rationi à me excogitatæ & dogmaticè aliquid astruenti, opponi videtur alia dogmaticè aliud quid astruens, æqualis ipsi ad fidem obtinendam vel non obtinendam.* Nulla itaque ratio adeò firma ipsis videtur, quin contraria eandem destruens æquè quoque firma detur, unde nunquam se certos esse affirmant, sed ἐποχὴν, ἀοϱισίαν & ἀκαταληψίαν omnimodam introducunt. De quibus, si libet, Sexti Pyrrhoniarum Hyhotyposeωn librum primum consule. Cartesius contrà dubitat ex doctâ veritatis cognitione & indubitatâ conscientiâ, quâ certò se veritatem inventurum & demonstraturum esse novit, imò eandem etiam eo tempore, quo dubitationes suas proponit, perspectam & cognitam habebat, unde & insulsos ac fatuos appellat, qui secus de ipso judicant: *Estne*, inquit, *aliquis adeo stolidus, ut existimet eum, qui talem librum* (de Dei nempe existentià & reali mentis à corpore distinctione) *componit, ignorare; dum primas ejus paginas exarat, quid in sequentibus demonstrandum susceperit?* Noverat ille non suâ naturâ, sed pravis hominum opinionibus veritatem in profundo olim fuisse demersam, & hodiè demergi: sed eandem seriis meditationibus à se esse erutam & semper esse emersuram.

X. *Tertiò*, Sceptici dubitant ex pertinaciâ & contumaci mentis proposito, adeò ut nunquam etiam convicti veritari assentiri velint: audi enim præfractè dubitantium Scepticorum vocem: *Cum aliquis* (verba sunt Sexti Empirici) *rationem nobis adfert, quam destruere non possumus, illi dicimus ante nativitatem ejus, qui se-*

ſectam, cui ſe dedit, introduxit, eam rationem, quam ſecta ea ipſi præbet, bonam non eſſe viſam, & tamen ea ratio in rerum naturâ inveniatur, quamvis nondum cognita ſit; atque ideo non oportet cedere rationi, quam adfert, ut ut fortis etiam hoc tempore videatur. O obſtinatam veritati repugnandi mentem! O iniquum poſtulatum omnem ſolidæ rationis uſum evertens! Nulla enim ad veritatem perveniendi unquam via eſt reliqua, nullum κριτήριον veritatis, ſi hoc obtinuerit. Jubet enim ſuſpendere judicium & ſuſtinere aſſenſum, etiam tum, cum res, quæ proponitur, clara & evidens eſt, & cum nulla ratio contraria eam diſſolvere valet: hâc ratione propriæ conſcientiæ vis infertur, cum non aſſentimur clariſſimæ luci in intellectu radianti, ut non eligamus quod optimum & certiſſimum eſt, ſed pertinaciter dubitemus & manifeſtiſſimæ veritati reluctemur. Hoc revera eſt relabi in ineluctabilem inexplicabilium dubiorum & errorum labyrinthum. His hominibus obviam ivit Philoſophus, & ut hos, ſi fieri ullo modo poſſet, ad ſaniorem mentem reduceret, allaboravit; ſin id minus obtinere poſſet, ut ſaltem convinceret; atque ita dubitavit ex neceſſitate quâdam, quaſi aſſentiendo illis, ut animos ipſorum præfractos emolliret, an fortè eos, quum ſe jam quaſi comitem addidiſſet illis in dubitando, illos viciſſim ſibi comites habere poſſet in clarè & diſtinctè perceptis aſſentiendo; ubi enim quid clarè & diſtinctè perceptum eſt, nullum amplius dubitationi locum ſupereſſe ſæpiſſimè inculcat inter alia his verbis in Synopſi Meditationis Primæ. *Dubitatio efficit, ut de iis, quæ poſteà vera eſſe comperiemus, non amplius dubitare poſſimus.* Hinc reſpondet Septimo Opponenti: *Non videt abdicationem non pertinere niſi ad eum, qui nondum quidquam clarè ac diſtinctè percipit. Ut exempli cauſâ Sceptici, quibus eſt familiaris, nihil unquam, quatenus Sceptici, clare perceperunt. Ex hoc enim ipſo quod aliquid clare percepiſſent, de eo dubitare ac Sceptici eſſe deſiiſſent.* Hunc itaque ut obtineret ſcopum, ut certitudinem aliquam & Sceptici agnoſcerent & perciperent,

rent, ſtuduit dubitando efficere philoſophus; nequaquam autem ex malitiâ aut pertinaciâ dubitat.

XI. *Quartò*, Sceptici dubitabant in univerſum de omnibus, de *rebus agendis*, *credendis*, *clarè & distinctè perceptis*, adeò ut nullibi certitudinem agnoſcerent; inde enim *Sceptica institutio*, quæ & ζητητικὴ & ἐφεκτικὴ appellatur, ἀπορητικὴ quoque dicta eſt, id eſt, *dubitatoria* vel *hæsitatoria:* quoniam, ut ait Sextus, *de re omni dubitat & quærit; quod hæsitans ſuſpenſo ſit ad aſſentiendum aut repugnandum animo*, tum circa φαινόμενα, tum circa νοούμενα, id eſt, ut Sextus ipſe explicat: *Circa omnia, quæ quolibet modo ſub ſenſum cadunt, & mente ac intellectu perceptibilia ſunt.* Carteſius contra diſertis monet verbis, ſe *res fidei*, *vitæ actiones & evidenter percepta* à Dubitatione ſuâ eximere: *Scio*, inquit: *me plus æquo diffidentiæ indulgere non poſſe, quandoquidem nunc non rebus agendis, ſed cognoſcendis tantum incumbo.* Ipſe etiam enormes Scepticorum errores inculat, quod nempe eò dubitando procederent, ut res in vitâ agendas ei ſubjicerent, atque ita eas negligerent; *Quidam*, inquit, *qui pro dubitatione ſtabant, eandem etiam ad actiones vitæ extendebant, ita ut prudentiâ ad vitæ regimen neceſſariâ uti negligerent.* Imò eos alibi ridet, ut inſanos, utpote qui opus haberent, ut ab amicis aſſervarentur, ne in præcipitia ſe dejicerent. *Res fidei* quoque nulli dubitationi eſſe ſubjiciendas anxiè inculcat, & credendas eſſe licet minus clarè à nobis percipiantur præcipit: *Semper*, inquit, *quam maxime recordemur, & Deum auctorem rerum eſſe infinitum, & nos omninò finitos. Ita ſi forte nobis Deus de ſeipſo, vel aliis aliquid revelet, quod naturales ingenii noſtri vires excedat, qualia jam ſunt myſteria Incarnationis & Trinitatis, non recuſabimus illa credere, quamvis non clare intelligamus.* Rurſuſque repetit, ne forte oblivioni tradatur; *Memores ſimus, ut jam dictum eſt, huic lumini naturali tam diu tantum eſſe credendum, quamdiu nihil contrarium à Deo ipſo revelatur.* Imò, ne id unquam nobis accidat, hoc monito primam Princi-

[Marginal notes: *Hypotyp. Lib.* 1. — *In Med.* 1. — *In Epiſt. præfixa Principiis*, — *Princip. p.* 1. *art.* 24 & 25. — *Art.* 26.]

ci-

cipiorum partem in fine quasi obsignat : *Præter cætera autem, memoriæ nostræ pro summâ regulâ est infigendum ; ea quæ nobis à Deo revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda ; & quamvis forte lumen rationis, quàm maximè clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen autoritati Divinæ potius, quam proprio nostro judicio fidem esse adhibendam.* Imò hanc regulam sibi præscriptam anxiè ubivis ipse observavit; ut calumniæ rei revera sint, qui ipsum, Deum & ea quæ ad pietatem & mores spectant, abdicationi subjecisse affirmant. Hinc septimum Opponentem, qui Abdicationem de Deo objiciebat, licet obiter, acriter perstringit, inquiens: *Scrupulum etiam vult injicere de Deo, sed obiter tantum : forte ne qui nôrunt, quam studiosè omnia, quæ ad pietatem & generaliter ad mores spectant, ab hâc abdicatione exceperim, ipsum calumniari arbitrentur.* Excipit denique Renatus à dubitatione & abdicatione suâ *Res clarè, & distinctè perceptas*; de his enim dubitare Scepticorum esse, & eorum qui nihil adhuc certò cognoverunt; diserte enim ait, *Abdicationem non pertinere nisi ad eum, qui nondum quicquam clarè ac distinctè percipit. Ut exempli causâ Sceptici, quibus est familiaris, nihil unquam, quatenus Sceptici, clarè perceperunt. Ex hoc enim ipso quod aliquid clarè percepissent, de eo dubitare, ac Sceptici esse desiissent. Et quia vix alii ulli ante istam abdicationem quicquam clarè unquam percipiunt, scilicet claritate, quæ ad certitudinem metaphysicam requiritur, idcirco hæc abdicatio perutilis est iis, qui tam claræ cognitionis sunt capaces, illamque nondum habent.* In quibus verbis notet candidus lector, *primò*, Philosophum nequaquam velle, ut omnes & singuli homines dubitationem suam, quæ circa res cognoscendas tantum versatur, instituant; sed illi tantum, qui Metaphysicam certitudinem capere possunt, non qui ejus incapaces sunt, uti erat Septimus Opponens, cui à dubitatione studiosè cavendum esse ipse Cartesius admonuit. Unde satis liquet, eum suam dubitationem non omnibus commendare, nulli autem obtrudere. *Deinde* & ad illud probè attendatur, Philoso-

Ad Liter. T.

losophum disertè monere, supervacaneum esse, ut ille, qui de rebus naturalibus jam clarè & distinctè quid percepit, unquam dubitet; nedum ut necessum sit, ut semel in vitâ de rebus omnibus, etiam fidei, universalem abdicationem instituamus, & omnia, quæ unquam credidimus, abjiciamus & ex mente deleamus, atque ut ita Sceptici & Athei, saltem temporarii, evadamus. Quæ sententia quam falsò Cartesio à quibusdam obtrudatur ex dictis clarissimè videt, qui præjudiciis non est penitus occæcatus: & qui talem dubitandi usum facit, non verus Philosophus, nec, ut ajunt, Cartesianus, sed vanus philosophaster, imò Christianæ fidei subdolus est eversor & clandestinus hostis.

XII. Denique *quintò* Sceptici dubitant ut dubitent. Horum scopus est, ut se & alios semper & ubique fluctuare faciant & dubios hærere, ne certi quid unquam affirment; imò ut res quæ jam pro certis & manifestis sunt acceptæ, reddantur dubiæ. *Pyrrho* enim Scepticorum ille primipilus inquit Sextus, *contendit ut res reddantur incertæ, quæ pro certis acceptæ sunt.* Sed Cartesius contra, ut vidimus, Dubitationem suam inquit efficere, ut de iis, quæ posteâ vera esse deprehendimus, nullo unquam tempore rursus dubitemus; & in hunc finem instituitur, ut sit tanquam medicina purgans, quæ pravos humores expellendo, alvi fluxum, quem in principio promovet, deinde sistit. Scopus, enim Cartesii, quem intendit & dubitando obtinuit, hic fuit, ut certissimas, quæ ab humano ingenio sciri possunt erueret Demonstrationes; quibus præcipuè mentis realem à corpore Distinctionem & Dei existentiam contra impios & atheos evinceret. Certos itaque sibi dubitandi limites præfixit; Sceptici nullos habent; sed in universum nihil dogmaticè asserendo omnes transiliunt. At nemo efficacius, quarè dubitatione hâc sua Cartesius usus sit ad eruendam firmissimam veritatem, & quousque se illa dubitatio extendat & quantum respectu ipsius finis inter hanc suam & Scepticam reperiatur discrimen, quam ipse Philosophus explicare valet, cujus proinde verba maximè emphati-

phati-

phatica, & omni observatione dignissima, licet prolixiora, asscribere non pigebit: *Falsissimum est*, inquit, *in fundamentis Philosophiæ statuendis tales esse aliquos dubitandi limites infra summam certitudinem, in quibus prudenter ac securè conquiescere possimus. Cum enim veritas in indivisibili consistit, potest contingere, ut quod non agnoscimus esse summè certum, quantumvis probabile appareat, sit planè falsum: nec sanè prudenter philosopharetur, qui ea scientiæ omnis suæ poneret fundamenta, quæ cognosceret esse fortasse falsa. Et verò quid respondebit Scepticis, qui omnes dubitationis limites trascendunt? quâ ratione ipsos refutabit? Nempe desperatis, aut damnatis annumerabit? Egregiè certè: Sed quibus illi eum interim anumerabunt? Neque putandum est eorum sectam dudum esse extinctam? Viget enim hodiè quam maximè, ac ferè omnes, qui se aliquid ingenii præ cæteris habere putant, nihil invenientes in vulgari philosophiâ, quod ipsis satisfaciat, aliamque veriorem non videntes, ad Scepticam transfugiunt. Atque ii sunt præcipuè, qui Dei existentiam & humanæ mentis immortalitatem sibi demonstrari exposcunt. Adeò ut valde mali exempli sint, quæ ab Auctore nostro hîc dicuntur, præsertim cum eruditus clueat; ostendunt enim ipsum non putare Atheorum & Scepticorum errores posse refutari; atque ita illos, quantum in se est, fulcit & confirmat. Quippe omnes hodierni Sceptici non dubitant quidem in praxi; quin habeant caput, quin 2 & 3 faciant quinque; & talia: sed dicunt se tantum iis uti tanquam veris, quià sic apparent; non autem certò credere, quia nullis certis rationibus ad id impelluntur: Et quià non eodem modo ipsis apparet Deum existere mentemque humanam esse immortalem ideò his ne quidem in praxi tanquam veris utendum putant; nisi prius sibi probata fuerint, rationibus magis certis, quam sint ullæ ex iis, ob quas apparentia omnia amplectuntur. Quæ cum à me sic probata sint, & à nemine ante me, saltem quod sciam, nulla major & indignior maledicentia excogitari posse mihi videtur, quàm ea est Auctoris nostri, dum in totâ hac suâ dissertatione, unum illum errorem, in quo Scepticorum secta*

Object. & Respp. Septimis.

consistit, nempe nimiam dubitationem, continuò mihi affingit, & sexcenties inculcat.

XIII. Latius hæc exequi possem & pluribus ostendere Philosophum nequaquam seriò & ex animo de Deo dubitâsse, sed Scepticos validissimè refutâsse; sed id, Deo favente, in Exegesi, ni fallor, egi, & ostendi Renatum in toto illo negotio, quo mentem à cognitione propriæ existentiæ ad cognitionem existentiæ Dei deduxit, & Distinctionem mentis à corpore solidè demonstrare conatus est & revera demonstravit, nullam rationem suspicandi unquam dedisse, ne quidem in iis, quibus Scepticorum dubitationem primus omnium solidissimè evertit, quod ipse istius sacrilegæ opinionis fautor & autor fuerit, aut quod cum Atheis unquam ullâ ex parte egerit, ut pote qui primarium Philosophiæ suæ universæ fundamentum Deum fecit, ex cujus cognitione omnem veram scientiam pendere piè & Christianè profitetur. *Jam verò*, inquit, *quià Deus solus omnium, quæ sunt aut esse possunt, vera est causa; perspicuum est optimam Philosophandi viam nos sequutuos esse, si ex ipsius Dei cognitione rerum ab eo creatarum explicationem deducere conemur, ut ità scientiam perfectissimam, quæ est effectuum per causas, acquiramus.* *Princip. p. 1. §. 24.*

XIV. Viderunt ea, quæ de Renati philosophiâ modò scripsimus, ipsi ejus alioquin acerrimi antagonistæ, &, cum animorum πικρία parum deferbuerat, ipsi asseruerunt. Prodeat enim testimonium perhibiturus celeberrimus Maresius, qui in primo libelli sui capite, quem de Abusu philosophiæ Cartesianæ edidit, disertè fatetur; *Cartesii Philosophemata Philosophiæ Scholastico-jesuiticæ in plurimis esse præferenda, eumque castius longè & sanctius philosophari de Deo & Mundi creatione, quam Aristoteles ipse: ac multo verius de naturâ corporis, ejus extensione alysque, quam faciunt Jesuitæ, Philosophiam suam Romanæ ecclesiæ erroribus incrustandis & propugnandis dirigentes. Unitatem quoque mundi insolubili argumento à Cartesio fatetur astructam esse. Et laude dignum quod in quæstione vexatissimâ, de primo cognito, principium illud*

illud Doctrinale, Cogito ergo sum, *cui reclamare nullus Scepticus jure possit, in Philosophiâ suâ astruxerit. Ac Scepticos dubitare ut dubitent, non verò instar Cartesii, ut sese dubitatione omni exsolvant. Ut & novam probat methodum ac terminos, quibus Cartesius ad probandam Dei existentiam & animæ rationalis à corpore distinctionem, fuerat usus; eumque ab omni Atheismo & invidiosâ collatione cum Lucilio Vanino liberum declarat.* Quam æquam mentem reliquis quoque Philosophi adversariis apprecor.

Quæstio Secunda: *An asserat nos habere ideam Dei adæquatam, id est, talem, quæ omnes Divinæ naturæ perfectiones, ut in se sunt, exactè repræsentat, exprimit & comprehendit?*

ARrogans hæc & impia ab adversariorum calamis non rarò asscripta Cartesio legitur sententia; sed quæ adeò aliena est ab illius mente, ut nemini, nisi præjudiciis prorsus infatuato, vel suspicio opinionis adeò malesanæ è scriptis Philosophi suboriri valeat; illa enim rationibus & testimoniis adeò manifestis contrariam defendunt veritatem, ut ea vel lippienti clarè sese ingerat: adeò ut irritus prorsus labos esset genuinam Cartesii mentem à calumniis impostorum vindicare, nisi refractarii hostes convincendi, & ignari scriptorum Cartesii instruendi essent lectores. In horum itaque gratiam quædam ex Philosophematis Renati selecturi sumus loca, in quibus apertissimè, nos ideam Dei adæquatam habere, negat.

II. Caligantis autem ingenii nostri in contemplatione Divinæ Majestatis aciem & imperfectam admodum in hâc vitâ Dei cognitionem agnoscit, dum pio hoc epilogo tertiam Meditationem concludit, inquiens: *Placet hic aliquandiu in ipsius Dei contemplatione immorari, ejus attributa apud me expendere, & immensi hujus luminis pulchritudinem, quantum caligantis ingenii mei acies ferre poterit, intueri, admirari, adorare. Ut enim in hâc solâ divinæ majestatis contemplatione summam alterius vitæ felicitatem consistere*

 fide

fide credimus, ita jam ex eâdem licet multò minus perfectâ maximam, cujus in hâc vitâ capaces simus, voluptatem percipi posse experimur. Hæc verba Christiano, eoque orthodoxo, dignissima cælestem spirant sapientiam, ad quam relata omnis omnium gentilium cognitio, nil nisi meræ sunt tenebræ & spississima profundæ ignorantiæ caligo. Notatu dignissima in hanc rem quoque sunt verba, quæ alibi inculcat: *Jam verò*, inquit, *quia Deus solus omnium, quæ sunt aut esse possunt, vera est causa; perspicuum est optimam philosophandi viam nos sequuturos, si ex ipsius Dei cognitione rerum ab eo creatarum explicationem deducere conemur, ut ita scientiam perfectissimam, quæ est effectuum per causas, acquiramus. Quod ut satis tutò & sine errandi periculo aggrediamur, eâ nobis cautelâ est utendum, ut semper quam maximè recordemur, & Deum auctorem rerum esse infinitum, & nos omnino finitos.*

Part. 1. artic. 24. 25. 26. in Principiis.

Ità si forte nobis Deus de seipso, vel aliis aliquid revelet, quod naturales ingenii nostri vires excedat, qualia jam sunt mysteria Incarnationis & Trinitatis, non recusabimus illa credere, quamvis non clarè intelligamus; Nec ullo modo mirabimur multa esse, tum in immensâ ejus naturâ, tum etiam in rebus ab eo creatis, quæ captum nostrum excedunt.

Ita nullis unquam fatigabimur disputationibus de infinito: Nam sanè cum simus finiti, absurdum esset nos aliquid de ipso determinare, atque sic illud quasi finire ac comprehendere conari.

Annon omnis, qui seposito partium studio hæc legerit & perpenderit verba, evidentissimè perspicit, quam falsò Cartesio impingatur, quod affirmet, nos habere notitiam à naturâ inditam sive ideam, quæ Divinam essentiam, ut in se est, perfectè exprimat. Anxiè enim inculcantem eum audimus, hanc tanquam summam & primariam altissimè imprimendam esse in philosophando menti nostræ regulam; *Deum auctorem rerum esse finitum, & nos omninò finitos.* Adeò ut immensam inter nostram & Dei naturam, inter nostram

ſtram & Dei cognitionem intercedere diſtantiam diſertè doceat; Deum enim prorſus eſſe infinitum & immenſæ naturæ, nos omninò finitos & limitatæ admodum cognitionis, adeò ut multa in immensâ Dei naturâ, & operibus ab eo creatis occurrant, quæ captum noſtrum longiſſimè exſuperent. *Cum enim jam ſciam*, inquit, *naturam meam eſſe valdè infirmam & limitatam, Dei autem naturam eſſe immenſam, incomprehenſibilem, infinitam, ex hoc ſatis etiam ſcio innumerabilia illum poſſe quorum cauſas ignoro.* Medit. IV. Et hinc infert credenda eſſe omnia, quæ à Deo revelantur, quamvis naturales ingenii noſtri vires excedant, nec à nobis clarè intelligantur, uti myſteria Incarnationis & Trinitatis. Quinimo de infinito non eſſe diſputandum, quoniam finiti ſumus, qui ſtolidè & nimis audacter de infinito aliquid determinare tentaremus, quoniam infinitum quaſi finire ac comprehendere conaremur. Quo diſcurſu quid verius, quid modeſtius, quid cum ſanâ Theologiâ & Philoſophiâ convenientius dici poſſit non video. Reſpondent hæc apprimè iis, quæ habet Auguſtinus in Dialecticâ: *Namque diſſerendi potens, potenter quoque dubia definiens, cunctas ſcripturas evibrans & eviſcerans, cunctam humanam ſapientiam annihilans, cum in Divinitatem intendit, tantâ Majeſtatis luce repercuſſa pavidum caput tremefacta reflectit: atque in abdita mundanæ ſapientiæ fugiens deliteſcit, diſſolutiſque ſyllogiſmorum nexibus ſtulta obmuteſcit.*

III. Quinimo & geminâ ratione, alterâ ex naturâ noſtrâ, alterâ ex Dei eſſentiâ deprom ptâ evincit nos Divinam naturam comprehendere non poſſe, tantum abeſt ut ideam Dei exactam nos habere aſſerat. Ex parte autem noſtri, quia limitatæ & finitæ naturæ ſumus, fieri nequit, ut comprehendamus Deum naturâ infinitum, quoniam enim *comprehendendi vox limitationem aliquam deſignat, fieri non poteſt, ut ſpiritus finitus* (uti mens noſtra & angelica) *Deum, qui infinitus eſt, comprehendat.* Reſp. ad Inſtant Gaſſendi Ex parte autem Dei repugnat quoque eundem à nobis infinitis comprehendi, quoniam, ut inquit; *Definerет eſſe infinitus, ſi illum poſſemus* Epiſt. CIV. part. I.

mus comprehendere, nos enim eum determinaremus ac quasi finiremus, si comprehendere possemus.

IV. Et profectò si antagonistæ philosophi nostri unquam fategissent, ut cognoscerent, quæ cognitio adæquata sit & à Cartesio esse statuatur, tam impudentis criminationis pudore suffunderentur, si mica honesti in eorum mente residua esset. *Ut autem cognitio aliqua sit adæquata, debent in eâ contineri omnes omninò proprietates, quæ sunt in re cognitâ: & idcirco solus Deus est, qui novit se habere cognitiones rerum omnium adæquatas.*

In Respp. Quartis,

Intellectus autem creatus, etsi fortè revera habeat rerum multarum, nunquam tamen potest scire se habere, nisi peculiariter ipsi Deus revelet; ad hoc enim ut habeat adæquatam alicujus rei cognitionem, requiritur tantum ut vis cognoscendi quæ in ipso est adæquet istam rem, quod facilè fieri potest: ut autem sciat se illum habere, sive Deum nihil amplius posuisse in illâ re quam id quod cognoscit, oportet ut suâ vi cognoscendi adæquet infinitam Dei potestatem: quod fieri planè repugnat. Quisnam jam adeò fatuus vel malignus, ut Cartesio imputare audeat ipsum statuisse nos ideam Dei adæquatam habere? Existimantne illi homines Cartesium statuisse in nostrâ ideâ sive notitiâ omnes omninò perfectiones contineri, quæ continentur in ipso Deo? id enim ad cognitionem adæquatam requiri dicit. Putantne eum affirmare nostram cognoscendi vim adæquare ipsum Deum? Nimis profectò insanit, qui de philosopho sano adeò insulsè sentit. Anxiè enim jam supra inculcantem audivimus, nos memores esse debere, Deum esse infinitum, & nos omninò finitos: Intellectum spiritumque finitum infiniti Dei capacem non esse. Multa esse in immensâ Dei naturâ, imò & in ipsis operibus ab eo creatis, quæ ingenii nostri vires excedunt. Disertè insuper hoc loco affirmat nos non posse affirmare, nos ullius rei (etiam extra Deum, quantò minus ipsius Dei?) adæquatam habere cognitionem, nisi hoc Deus revelet; jam verò quià Deus non revelavit, nos habere sui cognitionem adæquatam, sed contrarium: hinc contra-

trarium quoque affirmare tenemur juxta Philosophum. Et denique disertè dicit, fieri planè repugnare, ut vi nostrâ cognoscendi infinitam Dei potestatem adæquemus, unde irretragabiliter concludendum; nos igitur Deum nequaquam nostrâ cognitione comprehendere, in quo infinitæ quoque aliæ, præter ipsius potentiam incomprehensibilem, sunt perfectiones & vitrutes ἀνεξιχνίαστοι.

V. Cæterum non tantum solidis & evidentibus rationibus, sed expressissimis insuper Philosophi dictis hæc falsa de Dei adæquatâ in nobis ideâ crimiuatio repugnat. Ipsissima enim Cartesii verba sunt: *Denique cum Deus dicitur esse* incogitabilis, *intelligitur de cogitatione ipsum adæquatè comprehendente, non autem de illa* inadæquatâ quæ in nobis est, *& quæ sufficit ad cognoscendum ipsum existere.* Et Gassendo opponenti, *Eum qui infinitum quid dicit, attribuere rei, quam non capit, nomen quod non intelligit*; Respondet Cartesius: *Non distinguis intellectionem modulo ingenii nostri conformem; qualem de infinito nos habere unusquisque apud se satis experitur, à conceptu rerum* adæquato, qualem nemo habet *non modo* de infinito, *sed nec fortè etiam de ullà aliâ re quantumvis parvâ.* Imo disertè monet, ne existimemus nostram ideam adæquatè omnia quæ in Deo sunt exhibere: *Possumus habere*, inquit, *ideam claram & distinctam substantiæ cogitantis increatæ atque independentis, id est, Dei: modo ne illam adæquatè omnia quæ in Deo sunt exhibere supponamus.* Nota Lector insignem Philosophi modestiam, quâ non tantum negat expressè nos Dei; sed præterea nec affirmare audet, nos ullius rei, quantumvis parvæ, adæquatum habere conceptum. Nota è contra adversariorum insignem impudentiam Philosopho in os obloquentium & sententiam obtrudentium, quam toties evidentissimis rationibus & disertissimis verbis refutat & proscribit. Plura ejusmodi in hanc rem è Philosopho producere possem loca, sed in antecessum adducta sunt, vel in progressu adhuc allegenda venient. Æquanimo Judici jam citata sufficiunt, perverso ne infinita quidem.

In Responsionibus ad secundas Objectiones.

Art. 54. Part. 1. PP.

VI. Quinimo eam arrogantiam, quâ homo sibi tantam vim & sapientiam asscribit, ut quidnam Deus facere possit, ac debeat, determinare & comprehendere conetur, tanquam abominandam Atheorum jactantiam detestatur, admonetque ut memores simus, mentes nostras considerandas esse ut finitas, Deum autem ut incomprehensibilem & infinitum; hoc enim medio Atheorum impias adversus existentiam Dei objectiones facilè dilui posse. En verba Philosophi ex Præfatione in Meditationes; *Ea omnia*, inquit, *quæ vulgò jactantur ab Atheis ad existentiam Dei impugnandam, semper ex eo pendent, quod vel humani affectus Deo affingantur, vel mentibus nostris tanta vis & sapientia arrogetur, ut quidnam Deus facere possit, ac debeat, determinare & comprehendere conemur; adeò modò tantum memores simus, mentes nostras considerandas esse ut finitas, Deum autem ut incomprehensibilem & infinitum, nullam ista difficultatem sint paritura.*

VII. Ne tamen frontem penitus perfricuisse & sententiam Cartesio falsò impactam è proprio cerebro commenti esse videantur, criminationis suæ fundamentum se habere arbitrantur in his verbis: *Unum monebo de ideâ infiniti, quam ais* (Gassende) *non posse esse veram, nisi comprehendam infinitum, dicique posse ad summum me cognoscere partem infiniti, & quidem partem minimam, quæ non melius infinitum refert, quam exigui capilli effigies hominem integrum repræsentat. Moneo*, inquit, *è contrà planè repugnare, si quid comprehendam, ut id, quod comprehendo, sit infinitum: idea enim infiniti ut sit vera nullo modo debet comprehendi, quoniam ipsa incomprehensibilitas in ratione formali infiniti continetur, & nihilominus est manifestum ideam quam habemus infiniti non repræsentare tantum aliquam ejus partem, sed revera totum infinitum eo modo quo debet repræsentari per humanam ideam, etsi procul dubio alia multo perfectior, hoc est accuratior & distinctior haberi possit à Deo aliâve creaturâ intelligenti, quæ sit humanâ perfectior: Eâdem ratione quâ non dubitamus quin geometricæ imperitus totius trian-*

In Responsionibus Quintis.

guli

guli ideam habeat, cum figuram esse tribus lineis comprehensam intelligit, etsi à geometris alia multa de eodem triangulo cognosci possint, atque in ejus ideâ animadverti, quæ ab illo ignorantur. Ut enim sufficit intelligere figuram tribus lineis contentam ad habendam ideam totius trianguli, sic quoque sufficit intelligere rem nullis limitibus comprehensam, ut vera & integra idea totius infiniti habeatur. In toto autem hoc responso nec vola nec vestigium de adæquatâ Dei in nobis ideâ occurrit. Trahunt eo, per plagium, ut ajunt Jureconsulti, à reliquo responsi corpore divellentes, hæc verba: *Nihilominus est manifestum ideam quam habemus infiniti non repræsentare tantum aliquam ejus partem, sed revera totum infinitum*; ex quibus falsam illam jam sæpius dictam Cartesio sententiam obtrudere allaborant. Sed si candidè & sincerè agere voluissent, ex hoc ipso dilucidissimè perspexissent, Philosophum neutiquam ideam Dei adæquatam adscripsisse hominibus.

VI. Discutiamus locum paulò penitius, ut quis sit genuinus scopus & sensus manifestò pateat. Objiciebat *Gassendus*, *ideam infiniti non posse esse veram, nisi infinitum comprehendamus*, sive omnia quæ in infinito sunt exactissimè & intimè pernoscamus. *Cartesius* contra respondet, *repugnare ut infinitum comprehendamus, quoniam id quod comprehendimus infinitum esse nequit*; rationem addit, *quoniam ratio formalis sive natura & essentia infiniti ea est ut sit incomprehensibile*; sive ut propria ipsius verba sonant; *quoniam ipsa incomprehensibilitas in ratione formali infiniti continetur.* Et mox subdit: *Ideam tamen quam habemus infiniti non tantum partem aliquam infiniti, sed revera totum infinitum repræsentare.* Hæc concoquere nequeunt illi homines arguuntque in his Philosophum asserere nos adæquatam & exactam Dei infiniti habere ideam. Sed ex antecedentibus jam manifestum est Philosophum non adæquatam repræsentationem totius infiniti, sed inadæquatam intelligere; & mox quoque addit; *ideam infiniti quam habemus totum infinitum repræsentare, eo modo quo debet*

repræsentari per humanam ideam id est, ut thesi superiori se explicuit, *per cognitionem inadæquatam, quæ in nobis est*, sed *non per conceptum adæquatum, qualem nemo habet*; & id satis quoque inculcat hoc ipso loco, dum ait porrò, *eam quam habemus infiniti ideam ità repræsentare infinitum, ut à Deo aliâve naturâ intelligente, quæ sit humanâ perfectior, ea quoque perfectior id est accuratior & distinctior haberi possit.* Si enim nostra id est humana infiniti idea juxta Cartesium adæquata sit id est talis ut totum infinitum comprehendat & quiquid in eo est plenissimè exhauriat, quâ ratione asserit in Deo vel aliâ creaturâ intelligente, homine perfectiore, perfectiorem dari posse infiniti ideam. Poteftne adhuc perfectior cognitio dari, quam ea quæ rem totam comprehendit & plenissimè exhaurit? solvant hæc antagonistæ, si viri esse volunt, aut fateantur Cartesium nobis etiam hoc ipso loco ideam Dei non adæquatam asscribere. Porro exemplum de ideâ trianguli eam, quam explicuimus, Cartesii esse mentem perspicuè declarat; Is enim qui novit infinitum esse ens sive rem nullis limitibus comprehensam, integrum infinitum intelligit, licet integrum non comprehendat vel conceptu suo adæquet & exhauriat.

VIII. Sed postremum hoc non capiunt aut sanè capere nolunt adversarii; & hinc enata est illa in Cartesium calumnia. Sed si vel minimum operæ in inspiciendo Cartesio impendere voluissent, (ut sanè æquum alicujus causæ judicem decet) ex variis locis differentiam inter rem totam intelligere vel inter eandem totam comprehendere, à Philosopho factam & dilucidè explicatam esse, facillimè observâssent; atque ita intellexissent, quâ ratione idea infiniti non partem tantum, sed totum infinitum ostendat, cum interim idea nequaquam adæquata sit sive infinitum comprehendat. Sed detrectant hunc laborem, ne detectâ veritatis luce mendaciorum tenebræ dispellantur. Inculcat autem discrimen inter τὸ intelligere sive cogitatione attingere circa finem Meditationis tertiæ, inquiens: *Agnosco*

fieri

fieri non posse, ut existam talis naturæ qualis sum nempe ideam Dei in me habens, nisi revera Deus etiam existeret, Deus, inquam, ille idem cujus idea in me est, habens omnes illas perfectiones quas ego non comprehendere, sed quocunque modo attingere cogitatione possum, & nullis planè defectibus obnoxius. Et passim in Epistolis: *Variis in locis inculcavi de iis quæ ad Deum vel infinitum spectant, non quid comprehendere possimus, cum sciamus illa non debere à nobis posse comprehendi; sed tantum quid certâ aliquâ ratione attingamus, esse considerandum.* Rursumque alio loco: *Augustini locus, nempe Deum esse* ineffabilem, *pendet tantum à distinctiunculâ, quæ intellectu facilis est, non possumus omnia, quæ in Deo sunt verbis complecti, nec etiam mente comprehendere, ideoque* Deus *est* ineffabilis *&* incomprehensibilis; *sed multa tamen sunt revera in Deo sive ad Deum pertinent, quæ possumus mente attingere ac verbis exprimere, imo etiam plura quam in ullâ aliâ re, ideoque hoc sensu* Deus *est* maximè cognoscibilis *&* effabilis. Quin & in Epist. cx. Part. 1. adeò dilucidè explicat, demonstrat, & similibus declarat, quænam inter comprehensionem & intellectionem infiniti intercedat differentia, ut nemo, nisi qui datâ operâ cæcutiat, id ignorare possit: *Dico autem me id scire,* inquit, *non verò me id concipere: eodem nimirum modo, quo montem manibus tangere possumus, sed non ut arborem aut aliam quampiam rem brachiis non majorem amplecti: comprehendere enim est cogitatione complecti; ad hoc autem ut sciamus aliquid, sufficit ut illud cogitatione attingamus.* Fusius autem hæc diducit in Responsione ad Objectiones primas, quæ quià totum hâc de re negotium clarissimè declarant, adjicere non pigebit, num forte adversarios ad agnitionem veritatis perducere valeamus: *Itaque inprimis hic dicam,* inquit Philosophus, *infinitum quà infinitum est nullo quidem modo comprehendi, sed nihilominus tamen intelligi; quatenus scilicet clarè & distinctè intelligere aliquam rem talem esse, ut nulli planè in eâ limites possint reperiri, est clare intellgere rem illam esse infi-*

Epist. XVI. *Part.* II.

Epist. LII. *Part.* II.

infinitam Et quidem hic distinguo inter indefinitum, *&* infinitum *illudque tantum proprie* infinitum *appello, in quo nullâ ex parte limites inveniuntur; quo sensu* solus Deus *est* infinitus: *illa autem in quibus sub aliquâ tantum ratione finem non agnosco, ut extensio spatii imaginarii, multitudo numerorum, divisibilitas partium, quantitatis, & similia,* indefinita *quidem appello, sed non* infinita, *quia non omni ex parte fine carent. Præterea distinguò inter rationem formalem infinitatis, & rem quæ est infinita, etiamsi intelligamus illam esse quam maximè positivam, non tamen nisi negativo quodam modo intelligimus, ex hoc scilicet quod in re nullam limitationem advertamus; ipsam vero* rem quæ est infinita positivè *quidem* intelligimus, sed non adæquatè, *hoc est non totum id quod in eâ intelligibile est comprehendimus, sed quemadmodum in mare oculos convertentes, etsi non totum visu attingamus, nec immensam ejus vastitatem metiamur, dicimur tamen illud videre: & quidem si eminus respiciamus, ut quasi totum simul oculis complectamur, videmus non nisi confuse; ut etiam confuse imaginamur chiliogonum, cum omnia simul ejus latera complectimur; sed si cominus in aliquam maris partem obtutum defigamus, talis visio potest esse valdè clara & distincta; ut etiam imaginatio chiliogoni, quæ tantum ad unum aut alterum ejus latus se extendat. Simili ratione Deum ab humanâ mente capi non posse cum omnibus Theologis concedo, ne quidem etiam distinctè posse cognosci ab iis qui totum simul conantur animo complecti, & tanquam è longinquo respiciunt. Qui autem ad singulas ejus perfectiones attendere, illasque non adeò capere, quam ab ipsis capi, & intellectus sui vires omnes in iis contemplandis occupare conantur, illi profectò multò ampliorem facilioremque materiam claræ & distinctæ cognitionis in eo inveniunt, quam in ullis rebus creatis. Ego autem* ubicunque dixi Deum clarè & distinctè posse cognosci, non nisi de hâc finitâ, & ad modulum ingenii nostri accommodatâ cognitione intellexi. *Neque etiam ad veritatem eorum quæ asserui, aliter intelligere opus fuit, ut facile apparebit si*

ad-

advertatur duobus tantum in locis me hac dixisse; nempe ubi quæstio erat utrum in ideâ, quam formamus de Deo, aliquid reale, vel sola rei negatio contineatur, ut forte in ideâ frigoris nihil aliud est quam negatio caloris; quâ de re nullum dubium esse potest: & ubi asserui existentiam ad rationem Entis summè perfecti non minus pertinere, quam tria latera ad rationem trianguli, quod etiam potest absque adæquatâ Dei cognitione intelligi. Et in Epist. cxix. P. i. perspicuè quoque ostendit, quomodo Deum non comprehendentes, ejus tamen naturam verè intelligimus. *Nempe sufficit me intelligere* hoc ipsum quod Deus à me non comprehendatur, *ut Deum juxtà rei veritatem, & qualis est intelligam; modo prætereà judicem omnes in eo esse perfectiones quas clarè intelligo, & insuper multò plures, quas comprehendere non possum.* Quibus verbis explicat locum Meditationis tertiæ, quæ ad rem præsentem explicandam maximè quoque facit, quippe quo veritatem, claritatem, & eminentiam ideæ Divinæ præ aliis ideis defendit Philosophus, simulque ostendit, quâ ratione Deum non comprehendentes, nec comprehendendi capaces, tamen sufficienter ejus naturam pro ratione finitæ nostræ mentis intelligimus: *Est inquam*, ait, *hac idea Entis summè perfecti & infiniti, maximè vera; nam quamvis forte fingi possit tale ens non existere, non tamen fingi potest ejus ideam nihil reale mihi exhibere, ut de ideâ frigoris antè dixi. Est etiam maximè clara & distincta, nam quidquid clare & distinctè percipio quod est reale & verum, & quod perfectionem aliquam importat, totum in eâ continetur; nec obstat quod non comprehendam infinitum; vel quod alia innumera in Deo sint, quæ nec comprehendere; nec forte etiam attingere cogitatione ullo modo possum; est enim de ratione infiniti, ut à me qui sum finitus non comprehendatur: & sufficit me hoc ipsum intelligere, ac judicare illa omnia quæ clarè percipio & perfectionem aliquam importare scio, atque etiam fortè alia innumera quæ ignoro, vel eminenter in Deo esse, ut idea quam de illo habeo sit omnium*

Medit. III.

Medit. IV.

quæ in me ſunt maxime vera, & maximè clara & diſtincta.

IX. Nullus dubito, quin judici præjudiciis & affectibus non corrupto omnis de Carteſio hâc in parte malè ſuſpicandi exemptus jam ſit ſcrupulus. Unicum reſtat, ut oſtendamus & convincamus ipſos adverſarios cognitioni de Deo naturali aſcribere omnia, quæ Carteſius ejuſque genuini aſſeclæ ſe de Deo per ſuam ideam cognoſcere profitentur. Subducamus igitur paucis quæ de Deo ſe ſcire ſcribit Carteſius: „ Profitetur inprimis ſe Deum non comprehendere „ id eſt non adæquatè hoc totum quod in Deo eſt intelli- „ gere. Deum enim infinitum ab humanâ mente, quæ „ finita eſt, capi non poſſe: & ex eo ipſo tamen quod ſciat „ ſe Deum non comprehendere, ſe ſufficienter intelligere, „ quod Dei eſſentiam juxtà rei veritatem & qualis ſit intel- „ ligat, quod nempe ſit infinitus & incomprehenſibilis; „ & præterea, ſe cognoſcere Deum eſſe Ens perfectiſſimum, „ adeò ut ejus perfectioni nihil addi poſſit; de cujus itaque „ eſſentiâ ſit exiſtentia, & in quo nullâ ex parte limites in- „ veniuntur nec dantur; ſed in quo omnes ſunt perfectio- „ nes quas clarè intelligere poſſumus; & inſuper multò plu- „ res, quas non comprehendere, imò fortè cogitatione ne „ quidem attingere poſſumus. Atque ità ideam Dei, non partem Dei, ſed totum Deum oſtendere clariſſimum eſt. Quandoquidem autem ipſi adverſarii inficiari non poterunt, quin ipſi hæc omnia cognitione naturali de Deo percipiant, cum ipſi ſe Deum ut incomprehenſibilem & ſimul quoque ut Ens perfectiſſimum intelligere paſſim ſcribant; hinc ſatis perſpicuum eſt eos revera idem de cognitione Dei naturali profiteri cum eo, quod Carteſius unquam de ideâ Dei affirmavit. Adeò ut ſummam injuriam Philoſopho manifeſtè faciant, quod eum exoſum reddere conentur, ac ſi jactet ſe omnimodam, adæquatam omnemque Dei naturam exhaurientem & complectentem habere cognitionem; cum jam perſpicuè & fuſè oſtenderimus hanc arrogantiam & jactantiam, tanquam γνῶσιν ψευδώνυμον, imò deteſtandam Atheo-

Atheorum impietatem ab eo semper fuisse proscriptam & & condemnatam

Quæstio Tertia: *An juxta Cartesium, Anima rationalis sit cogitatio?*

Adeò crudè adversariii hanc proponunt quæstionem, ut falsam sententiam meliori colore Philosopho affricent; fingunt enim hanc ejus esse mentem, quod mentis humanæ essentiam nil præter meram actionem esse asserat, quæ per se subsistentiam nullam habeat. Sed quam longè impacta hæc Philosopho sententia à mente ipsius absit dispiciamus.

II. Cartesius mentis naturam describens nunquam adeò crudè & durè locutus est, ut dixerit, *eam esse cogitationem*; Consulamus enim loca, in quibus naturam mentis humanæ explicat. *Quid ex iis, quæ antehac animæ tribuebam, habeo, cogitare? hic invenio, cogitatio est, hæc sola à me divelli nequit, ego sum, ego existo, certum est. Quamdiu autem? nempe quamdiu cogito.* In his manifestissimum est, illum suam cogitationem sive τὸ cogitare, quatenus actio sive facultas est à se quatenus subjectum agens & substantia est distingere, & è cogitandi actione ac facultate suam existentiam certissimam esse perspicere, fieri enim non posse, quin, dum cogitat, existat. Sed *fieri fortè posse, si cessaret ab omni cogitatione ut illicò totus esse desineret*. Cum itaque advertit cogitandi facultatem à se esse inseparabilem, adeò ut semper immediatè & intimè adsit; imò cum sepositis & abdicatis omnibus nihil præter cogitationem in se idest mente suâ reperit, hinc animadvertit & concludit cogitationem attributum essentiale esse, per quod, mens sua sive humana ab omnibus aliis rebus differt, & in quo animæ essentia consistit, id est, concludit mentem suam esse rem cogitantem sive rem facultate cogitandi præditam, per quam à cæteris omnibus rebus distinguitur. Nequaquam enim essentiam mentis suæ in cogitatione ità consistere affirmat Philosophus, ut substantiam sive rem seu ens per se

subsistens eandem esse neget, uti objectant antagonistæ; passim enim in scriptis suis illam rem & substantiam cogitantem appellat; ità disertè ait; *sum igitur præcisè tantum res cogitans, id est., mens sive animus, sive ratio, voces mihi prius significationis ignotæ.* Et ne quis ex his vocibus mens, animus, intellectus, ratio, novam cavillandi ansam arripiat, dicendo eas voces solas facultates denotare, non verò res sive substantias facultate cogitandi præditas; hinc per πρόληψιν, *anticipationem*, illi objectioni occurrit, eumque scrupulum de sensu harum vocum dubitantibus eximit, addit enim immediatè: *sum autem res vera, & verè existens, sed qualis res? dixi, cogitans.* Unde etiam Hobbes de his vocibus difficultatem moventi respondet auctor, *Non intellexi per ista nomina facultates, sed res facultate cogitandi præditas, ut per duo priora*, putà mens, animus, *vulgò intelligitur ab omnibus; & per duo posteriora*, nempe intellectus, ratio, *frequenter: hæcque tam expressè totque in locis explicui, ut nullus videatur fuisse dubitandi locus.* Et circa initium Meditationis III. inquit; *Ego sum res cogitans*, & mox rursus, *sum certus me esse rem cogitantem*, Et in Respp. Quintis: *Mentem non ut partem animæ, sed ut totam illam animam, quæ cogitat, considero. Hæres verò, inquis, an ergo existimem animam semper cogitare? sed quidni semper cogitaret*, cum sit substantia cogitans? Itidem in Responsionibus ad Objectiones septimas se *rem cogitantem* appellat; & rursus: *Advertens nihil certius evidentiusque à me cognosci, quam quod ego cogitans existerem.* Et in Methodo; *intellexi me esse rem sive substantiam, cujus tota natura sive essentia in eo consistit ut cogitem.* Imò adeò frequenter in scriptis se rem & substantiam cogitantem appellat, ut mirandum planè sit, quâ fronte asserere possint vel audeant Philosophum mentis humanæ essentiam nudam facere cogitationem, ità ut existentiam eidem deneget. Quâ autem ratione & quamobrem mentis naturam in cogitatione tantum consistere affirmet philosophus, ex parte diximus & fusius mox dicendum veniet.

In Medit. II. — *Object. & Respp. Tert.* — *Num. 4.* — *Ad lit. FF.* — *Ad lit. Z.* — *Part. IV.*

III. Cæ-

III. Cæterum objiciunt, Cartesium animam suam hoc sensu dixisse cogitationem, ut eam ab ipsâ cogitatione quæ est accidens non distinguat, nec cogitationem illam à se sive mente suâ: satis evidenter id patere ajunt è Meditationis II. verbis, ubi interrogat & interrogando affirmat, se à suâ cogitatione non distingui. *Quid est*, inquit, *quod à meâ cogitatione distinguatur? quid est quod à meipso separatum dici possit?* Sed antea Hobbesio eadem objicienti responderat Philosophus: *Non nego me*, qui cogito, distingui à meâ cogitatione ut rem à modo: *sed ubi quæro, quid ergo est quod à meâ cogitatione distinguatur?* hoc intelligo de variis cogitandi modis ibi recensitis, non de meâ substantiâ: & ubi addo, *quid, quod à meipso separatum dici possit?* significo tantum illos omnes cogitandi modos, nempe dubitandi, intelligendi, affirmandi, negandi, volendi, nolendi, imaginandi & sentiendi, mihi inesse. In quâ responsione disertè se ut subjectum, substantiam sive rem à modo distinguit, affirmatque varios cogitandi modos sibi inesse, non autem se ipsos illos modos esse & ab iis non distingui. *Ut enim extensio, quæ constituit naturam corporis multum differt à variis figuris sive extensionis modis, quos induit: ita cogitatio sive natura cogitans, in quâ puto mentis humanæ essentiam consistere longè aliud est quam hic vel ille actus cogitandi, habetque mens à seipsâ quod hos vel illos actus cogitandi eliciat, non autem quod sit res cogitans, ut flamma etiam habet à seipsâ, tanquam à causâ efficiente, quod se versus hanc vel illam partem extendat, non autem quod sit res extensa.* *Epist. VI. part. II.*

IV. Sed urgent & instant Cartesium Hobbesio inferenti ex ipsius scriptis; *Ego sum cogitans, ergo sum cogitatio*; non negare illam collectionem. Resp. Sed tum per cogitationem Cartesius non actionem, non facultatem, sed rem cogitandi facultate præditam intelligit; abstractâ cogitationis voce loco mentis utens, vel potius eam admittens quoniam à rebus sensibilibus cogitationes nostras abducere quærit. *Fateor autem ultrò*, inquit, *me ad rem sive substantiam, quam,*

 vole-

volebam exuere omnibus iis, quæ ad ipsam non pertinent, significandam, usum fuiße verbis quam maximè potui abstractis, ut contra hic Philosophus (Hobbes) *utitur vocibus, quam maximè concretis, nempe subjecti, materiæ & corporis, ad istam rem cogitantem significandam, ne patiatur ipsam à corpore divelli.*

V. Verum regerunt denuò, illicitum esse novam & inauditam cogitationis voci affingere significationem, Onomasticis ignotam, in scholis Philosophorum inusitatam, & à recepto loquendi usu abhorrentem. Resp. Ὀνοματοθεσία ut plurimum fit ab imperitis, ideoque minus aptè sæpe rebus respondet; Lexicographi autem secundum receptum usum verba explicant, nihil solliciti, an nomina aptè an ineptè rebus sint impositâ. Philosophi verò est monere de ineptâ illâ impositione, ne seducantur philosophantes, & quanquam voces usu receptas mutare ipsi non licet; licet tamen ipsi significationes emendare, & rebus, quibus maximè competunt, eas applicare. Summatim, Philosophi est vocibus vulgi loqui, sed sensu suo id est philosophum decente, ut naturam rei quam maximè signanter exprimat & aliis notam reddat. Quod verò philosophi Cogitationis voce, in emphaticâ hâc, quâ noster utitur, significatione, usi non fuerint, non mirandum; cum enim mentis essentia nunquam satis investigata, nec detecta, nec intellecta sit, adeò ut naturam mentis in solâ cogitatione consistere clarè & distinctè perceperint, eamque per hanc à rebus omnibus materialibus distinxerint; hinc Cogitationis vocem ad denotandam rem cogitantem nunquam adhibuerunt. Philosopho autem nostro graves fuêre rationes, cur vocabulo illo abstracto in hoc negotio de mente humanâ usus fuit, tum ut naturam mentis à natura corporis accuratè distingueret; uti disertè eum ad Hobbesium scripsisse supra vidimus; tum ut mentem à rebus sensibilibus, quantum posset, abstraheret, quem scopum suum inter cætera esse passim monet; contrà quam facere solent illi, qui rebus corporeis mordicus inhærent & ægrè imò nunquam se ab illis divelli patiun-

tiun-

tiuntur, ſtatuentes omnes res, quæ dantur, corporeas eſſe, nullas ſpirituales; tum etiam quod facilius intelligimus ſubſtantiam cogitantem, & quidem *cogitationis* nomine appellatam, utpote quæ conſtituit naturam ſubſtantiæ intelligentis, quam ſubſtantiam ſolam, omiſſo eo, quod cogitat. *Cogitatio & extenſio*, inquit, *ſpectari poſſunt ut conſtituentes naturas ſubſtantiæ intelligentis & corporeæ; tuncque non aliter concipi debent quam ipſa ſubſtantia cogitans & ſubſtantia extenſa, hoc eſt, quam mens & corpus; quo clariſſimè intelliguntur. Quin & facilius intelligimus ſubſtantiam extenſam, vel ſubſtantiam cogitantem, quam ſubſtantiam ſolam omiſſo eo quod cogitet vel ſit extenſa. Nonnulla enim eſt difficultas, in abſtrahendâ notione ſubſtantiæ à notionibus cogitationis vel extenſionis, quæ ſcilicet ab ipſâ ratione tantum diverſæ ſunt.* Magis autem miror hos homines, qui crudas barbarorum voces & ſolœcos avidè arripiunt & facilè concoquunt, hanc unicam vocem à ſolitâ ſignificatione ob tam prægnantes rationes in re tanti momenti parum inflexam tantoperè faſtidire. Et quid? ſi nova quandoque philoſopho neceſſe ſit fingere vocabula ubi ſatis apta non reperiuntur; cur adeò abhorrent ab unâ voce præter communem uſum aliquantò latius ſumptâ? An ignorant Ariſtotelem, quem κατὰ πόδα in plurimis ſequuntur magiſtrum, ſcripſiſſe in Categoriis, neceſſe quandoque eſſe nova effingere vocabula. Ἐνίοτε δὲ καὶ ὀνοματοποιεῖν ἴσως ἀναγκαῖον, ἐὰν μὴ κείμενον ᾖ ὄνομα, πρὸς ὃ οἰκείως ἂν ἀποδοθείη, οἷον τὸ πηδάλιον τοῦ πλοίου ἐὰν ἀποδοθῇ, οὐκ οἰκεία ἡ ἀπόδοσις. *Interdum verò fortaſſe nomina fingere neceſſe eſt, nempe ſi nomen poſitum non ſit ad quod apte relatio fieret, ut clavus ſi ad navem referatur, non eſt conveniens aſſignatio.* Sanè ſi in re levi imò pene inutili & nugatoriâ, ut ſunt ejuſmodi ficta relata, nobis liceat efformare vocabula, uti nova finxit Ariſtoteles, puta πηδαλιωτὸν, κεφαλωτὸν, πτερωτὸν, nonne magis in re adeò ponderoſâ, qualis eſt mentis eſſentia, id facere fas erit? voces ſanè non niſi conceptuum noſtrorum ſigna ſunt, ideoque illæ his ſunt conformandæ. Uti-

PP. p. 1. §. 63.

nam autem jam ab antiquo res clarius & distinctius perceptæ fuissent, voces procul dubio aptiores essent & non tam fœcunda errorum seges à vocibus perperam impositis propullularet. Sed satis de his, nolumus enim cum iis λογομαχεῖν.

VI. Sed arguunt iterum, si statuamus mentis conditionem eam esse, ut omnem ejus naturam & essentiam in merâ cogitatione collocemus, mentem igitur mutabilem esse, quoniam toties necesse est mentis naturam mutari, quoties variatur cogitatio. Resp. Sed jam sæpius dictum est; cogitationem, in quâ mentis essentiam collocant; non sumi prò actione vel modo, sed ipsâ re & substantiâ cogitante, in quâ plurimæ cogitationes sive cogitandi modi & actiones reperiuntur, quæ continuò mutantur & variantur, sed propter quæ mens non magis aut minus variatur, quam corpus propter varios extensionis modos & figuras.

VII. Rursus criminantur, si mentis natura constituatur in solâ cogitatione mentem plurimis essentialibus proprietatibus privari. Resp. Falsa est hæc criminatio, quippe menti sive spiritui humano à Cartesio ejusque asseclis attribuitur, quicquid unquam illi verè asscripsére philosophi, quæ omnia ad τὸ cogitare sive Cogitationem referri possunt. Facultates enim intellectus & voluntatis, & infinitos ferè alios judicandi, volendi & intelligendi modos, immortalem & spiritualem essentiam, vim movendi corpus, & post fata perpetuitatem adversus Atheos, Epicureos, Scepticos acerrimè & felicissimè menti asserunt; ut in Exegesi Meditationum fusè & solidè, ni fallor, demonstravimus.

VIII. Denique objectant; At si mentis essentia in cogitatione consistit, mens utique semper cogitaret; jam verò mens semper non cogitat, cogitationum enim plurimarum quas in infantiâ & pueritiâ habuissemus, nulla superest memoria. Resp. Sed huic cæterisque objectionibus abunde satisfactum est ab ipso Renato, cujus cum mentem in his inter-

interpretari nobis scopus est, optimo jure ejus verba exprimimus. *Ratio*, inquit, *cur credam animam semper cogitare, eadem est qua mihi suadet lucem semper lucere, licet nulli fuerint oculi qui illam intueantur; calorem esse semper calidum, licet se nemo calefaciat; corpus sive substantiam extensam habere semper extensionem; & generatim id quod rei cuiuspiam naturam constituit, illi semper inesse quamdiu illa existit; ita ut longè facilius existimarim animam desinere esse, cum quis dicit illam à cogitando cessare, quam concipiam illam absque cogitatione existere. Neque porrò hic ullam difficultatem video, nisi quod videatur supervacaneum, quod illa cogitet, dum nulla remanet in nobis cogitationis istius memoria: sed si attendamus mille cogitationes dormientibus nobis quâlibet nocte obversari, imo & vigiles nos de mille rebus intra horæ spatium cogitare, quarum vestigium in nobis nullum relinquitur, & quorum utilitatem haud melius percipimus quam eorum quæ ante nativitatem cogitare potuimus; longè facilius erit id sibi persuadere, quam ut inducamus animum substantiam, cujus natura est cogitare, existere posse sine cogitatione.* Epist. CV. P. I. Gassendo verò eandem difficultatem ex oblivione cogitationum, quas infantes vel ægroti habuimus, moventi Cartesius respondet, causam assignans, quâ ratione id eveniat. *Hæres verò*, inquis Gassende, *an ergo existimem mentem semper cogitare: sed quidni semper cogitaret, cum sit substantia cogitans? & quid miri quod non recordemur cogitationum, quas habuit in matris utero, vel in lethargico &c. cum ne quidem recordemur plurimarum, quas tamen scimus nos habuisse, dum essemus adulti, sani & vigilantes? Ad recordationem enim cogitationum quas mens habuit, quamdiu corpori est juncta, requiritur ut quædam ipsarum vestigia in cerebro impressa sint, ad quæ se convertendo, sive se applicando recordatur: quid autem miri si cerebrum infantis, vel lethargici vestigiis istis recipiendis sit ineptum?* Respp. Quintis.

IX. Difficultatibus & objectionibus in antecedentibus jam sublatis, paucis mentem Cartesii explicemus, ut dilucide

cidè quid voluerit, cum mentis naturam in solâ cogitatione consistere affirmavit, & quæ rationes ipsum ad id impulerint, perspiciamus. Omnis substantia creata seu corpus seu spiritus fuerit, in eo conceptu & naturâ convenit, quod sit res ita per se subsistens, ut solo Dei concursu egeat ad existendum. Et hæc subsistentia per se menti humanæ neutiquam denegatur à Cartesio nec ab ullo deneganda est; ideoque qui integram essentiam sive naturam mentis humanæ vult describere, uti ex se est, & existit inter res alias creatas eam quoque tenetur describere à genere, ut collocet eam inter res creatas subsistentes, & ostendat quid cum aliis rebus subsistentibus, etiam corporeis, commune habet; atque ita *Mentem humanam* dicet esse *rem* sive *Ens*, sive *substantiam*. Hinc ipse Cartesius Authorem Programmatis meritò perstringit, & seriò redarguit quod integram mentis naturam definiturus, nullam mentionem generis fecisset atque ità imperfecte definiisset, solam differentiam exponendo. Sed cum mens per illud genus sive naturam cum aliis substantiis communem, nempe quod sit ens, seu res seu substantia sive subjectum multarum accidentium, nec primum innotescit, quoniam per se nos non afficit, quod sit res per se existens; sed per attributum aliquod quod in illo observamus, cognoscitur; quoniam lumine naturali novimus nihili nulla esse attributa, nec popriectates, nec qualitates; unde etiam ex attributo aliquo, quod advertimus, firmiter concludimus rem aliquam adesse non tantum, sed præterea scimus quoque qualis naturæ res illa sit vel cogitans vel extensa. Cum autem Cartesius pro scopo haberet, ut non adeò mentis naturam, quam cum aliis communem habet, inquireret & exponeret; sed ut illius naturam & essentiam intimè pernosceret, & in quantum ab aliis rebus, præsertim corporeis distinguitur, explicaret, hinc non quæsivit nec expressit illud quod omnibus substantiis commune est, nempe quod sit res quæ ita existit, ut nullâ aliâ re indigeat ad existendum: sed quæsivit attributum aliquod menti humanæ proprium & in eâ præcipuum, quod & essentiam

ejus constituit, & simul ab omnibus aliis rebus, præsertim corporeis, eandem distinguit, & ad quod omnia alia attributa, quæ in illâ occurrunt, referri possunt; illud autem attributum est *Cogitatio*; nam & illa essentiam mentis humanæ constituit, & à rebus corporeis eandem distinguit, & ad illam cætera attributa, quæ in mente humanâ reperiuntur, referri possunt. Audiamus hæc ipsa latius deducentem & clarius explicantem ipsum Cartesium: *Possunt*, inquit, *substantia corporea & mens, sive substantia cogitans creata, sub hoc communi conceptu intelligi; quod sint res, quæ solo Dei concursu egent ad existendum. Verumtamen non potest substantia primum animadverti ex hoc solo, quod sit res existens; quia hoc solum per se nos non afficit; sed facilè ipsam agnoscimus ex quolibet ejus attributo, per communem illam notionem, quod nihili nulla sint attributa, nullave proprietates, aut qualitates. Ex hoc enim, quod attributum adesse percipiamus concludimus aliquam rem existentem, sive substantiam, cui illud tribui possit, necessario etiam adesse.* PP. p. 1. §. 52. 53. 54.

Et quidem ex quolibet attributo substantia cognoscitur: sed una tamen est cujusque substantiæ præcipua proprietas, quæ ipsius naturam essentiamque constituit, & ad quam alia omnes referuntur. Nempe extensio in longum, latum & profundum substantiæ corporeæ naturam constituit; & cogitatio constituit naturam substantiæ cogitantis. Nam omne aliud quod corpori tribui potest, extensionem præsupponit, estque tantum modus quidam rei extensæ, & omnia, quæ in mente reperimus, sunt tantum diversi modi cogitandi. Sic, exempli causâ, figura non nisi in re extensâ potest intelligi, nec motus nisi in spatio extenso; nec imaginatio, vel sensus, vel voluntas, nisi in re cogitante. Sed e contra potest intelligi extensio sine figurâ vel motu, & cogitatio sine imaginatione, vel sensu; & ita de reliquis; ut cuilibet attendenti sit manifestum.

Atque ità facilè possumus duas claras & distinctas habere notiones, sive ideas, unam substantiæ cogitantis creatæ,

aliam substantia corporea; si nempe attributa omnia cogitationis, ab attributis extensionis accuratè distinguamus. Siquis plura in hanc rem desideret legat quoque quæ ad Hobbium scripsit auctor, & quidem ad Objectionem secundam in Medit. II. ubi inquit: *Certum est cogitationem non posse esse sine re cogitante, nec omninò ullam rem sive ullum accidens sine substantiâ, cui inest: cum autem substantiam non immediatè per ipsam cognoscamus, sed per hoc tantum quod sit subjectum quorundam actuum, valdè rationi consentaneum est, & usus jubet, ut illas substantias, quas agnoscimus esse subjectum planè diversorum actuum, sive accidentium, diversis nominibus appellemus; atque ut postea, utrum illa diversa nomina res diversas vel unam & eandem significent, examinemus. Sunt autem actus quidam quos vocamus corporeos, ut magnitudo, figura, motus, & alia omnia quæ absque locali extensione cogitari non possunt: atque substantiam, cui illi insunt, vocamus* Corpus; *nec fingi potest alia esse substantia quæ sit subjectum figuræ, alia quæ sit subjectum motus localis, &c. quia omnes illi actus conveniunt sub unâ communi ratione extensionis: sunt deinde alii actus, quos vocamus* Cogitativos, *ut intelligere, velle, imaginari, sentire, &c. qui omnes sub ratione communi cogitationis, sive perceptionis, sive conscientiæ conveniunt: atque substantiam, cui insunt dicimus esse* rem cogitantem *sive* mentem, *sive alio quovis nomine, modo ne ipsam cum substantiâ corporeâ confundamus, quoniam actus cogitativi nullam cum actibus corporeis habent affinitatem, &* cogitatio, *quæ est ipsarum ratio communis, toto genere differt ab extensione, quæ est ratio communis aliorum.*

X. Ex his satis perspicuum est, quam graves philosopho fuerint rationes, propter quas mentis essentiam in solâ cogitatione sitam esse affirmaverit & per cogitationem ejus naturam, tum ut in se est, tum ut contradistinctam rebus corporeis explicaverit: & cur *Cogitationis* voce eandem nuncupaverit, cum interim substantiam illam particularem esse, ubivis, ubi
Epist. VI. ratio ullatenus exigebat, probaverit & declaraverit. Nota
Part. II. hanc in rem ejus verba: *Per cogitationem non intelligo universale*

sale quid, omnes cogitandi modos comprehendens, sed naturam particularem, quæ recipit omnes illos modos, ut etiam extensio est natura, quæ recipit omnes figuras. Atque hæc verba probè notari velim à novitiis quibusdam Cartesii asseclis, qui mentem humanam existimant esse substantiam ex variis cogitandi actibus & modis particularibus conflatam, quæ sententia & contra mentem Philosophi est, & multis periculis obnoxia, & adversariis de genuinâ eâque sanâ Cartesii sententiâ malè suspicandi ansam præbet.

XI. In superioribus autem Cartesii mens candidè &, ni fallor, genuinè exposita est; si cui illa minus placent, & rectius quid de mentis humanæ naturâ cognitum habeat, impertiatur: sin minus, veritate illâ inventâ, cujus causâ nobis & philosopho gratulamur, nobiscum utatur, aut saltem nos eâ uti, ne indignè ferat.

XII. Quoniam verò consensum veterum quam maximè efflagitant antagonistæ Philosophi nostri, utpote quorum authoritate sæpe magis nituntur, quam rationibus; libet heic adjicere insigne testimonium peritissimi inter Christianos Philosophi, Claudiani Mamerci, Episcopi Viennensis, qui circa medium seculi à Christo nato quinti floruit, & quem Sidonius Apollinaris inter cæteros miris laudibus effert, & in omni Poësi, Philosophiâ & Theologiâ excelluisse scribit. Hic autem Lib. 1. (scripsit autem tres,) de statu Animæ, cap. 24. prorsus consentiens cum Renato, & Mentis Humanæ essentiam in cogitatione collocans; eandem semper cogitare, imò ipsam Cogitationem esse asserit, inter plurima quæ eruditè, & verissimè de Mentis humanæ naturâ disseruit, hæc proferens. *Tu enim* (Fauste Regiensis, contra hunc enim, qui Creaturis nihil incorporei inesse opinabatur, de statu Animæ scripsisse libros Claudianum Mamercum autor est Gennadius Massiliensis) *cum dicis aliud esse animam, aliud animæ cogitationem; melius fortassè dixisses, illa de quibus cogitat anima; cum de se non cogitat, non esse animam,* ipsam *verò* cogitationem non esse nisi animam: *Quia illud quod subjiciendum esse dixisti, eâtenus*

animam solere requiescere, ut prorsus cogitet nihil, caret vero. Anima *nempe variare cogitata potest*, non cogitare non potest. *Quid autem illud est quod somniare dicimur, nisi quod ne fesso quidem corpore in somnosque resoluto anima vis à cogitationibus vacat. Tota verò ibi est, ubi cogitat. Verum tu idcirco vel maximè de animæ statu falleris, quià aliud animam, aliud esse animæ potentias credis.* Augustini cum philosopho nostro consensum ostenderunt quoque viri Eruditi.

Quæstio Quarta. *An Cartesio voluntas humana omni modo libera & indeterminata?*

ET hac in parte malè audit Cartesius acsi voluntatis sive liberi arbitrii vires homini nimis luxuriosè concederet. Ut autem patefiat quæ circa hanc materiam ejus mens & doctrina sit, scripta ipsius paulò penitius explicanda & expendenda erunt.

II. Menti autem humanæ, substantiæ illi cogitanti duas præcipuas attribuit proprietates, alteram percipiendi, alteram judicandi. *Ego*, inquit, *omnes proprietates animæ refero ad duas præcipuas, quarum una est, Perceptio intellectus, alia verò Determinatio voluntatis.* A facultate percipiendi fluunt omnes operationes & actiones intelligendi, imaginandi, sentiendi, reminiscendi & recordandi, hæ enim omnes sunt diversi modi intelligendi. A facultate autem volendi fluunt judicia, inclinationes & appetitus, cæterique diversi modi volendi sive motus voluntatis. Facultati autem percipiendi, ne illa inutilis sit, accedit volendi facultas, seu eligendi, seu nos ex nobis ipsis determinandi, quæ voluntas aut liberum arbitrium appellatur. *Facultas cognoscendi in me est, & facultas eligendi sive arbitrii libertas hoc est intellectus & voluntas.* Nam voluntas & liberum arbitrium revera sunt unum & idem; possunt tamen aliquo modo distingui, ità ut per voluntatem præcipuè intelligamus τὸ ἐφ' ἡμῖν, τὸ ἀυτοκίνητον, τὸ ἑκούσιον, καὶ ἀυτεξούσιον hoc est id principium, per quod mens se determinat de seipsâ, omnesque motus, actionesque omnes

In notis ad Programma, & alibi passim.

Medit. IV.

exe-

exequitur, quas à nobis ipſis proficiſci ſentimus: at per liberum arbitrium intelligamus τὸ αἱρετικὸν, αὐθαίρετον καὶ προαιρετικὸν, hoc eſt idem id principium, in quantum potentiam habet eligendi.

III. Cæterum eſſentia ſive natura facultatis volendi, de quâ hîc loci controverſia eſt, penitius venit enucleanda. Conſiſtit autem illa potiſſimum in his duobus; *primò*, quod ſit principium activum ſive potentia & facultas activa, à quâ pendent & fluunt omnes actiones mentis, quas ex ſeipſâ & per ſeipſam, poſtquam intellectus rem percepit, eligit & ad quas ſe determinat ad amplectendum, aut fugiendum vel ad judicium ſuſpendendum. Aut ſi verba ipſius Renati malis, dicit *formalem rationem voluntatis ſive arbitrii libertatis in eò tantum conſiſtere, quod idem facere vel non facere, (hoc eſt affirmare vel negare, proſequi vel fugere poſſimus) vel potius in eo tantum, quod ad id quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum vel negandum, ſive proſequendum vel fugiendum feramur.* Medit. IV. Mens autem noſtra aut ſi mavis voluntas rem affirmat vel amplectitur, vel appetit, poſtquam facultas intelligendi clarè & diſtinctè percipit eandem eſſe veram vel bonam. Contrà negat, fugit vel aſpernatur, quando intellectus clarè & diſtinctè percipit rem eſſe falſam ſive malam. Rei denique nec aſſentitur nec eam amplectitur, quando ab intellectu necdum ſatis clarè & diſtinctè percipitur. Quamprimum enim evidens perceptio ſive perſpicua cognitio intellectus in mente noſtra oritur, mox propenſio voluntatis ad affirmandum vel amplectendum conſequitur; hæc rurſus Carteſius ibidem explicat, exemplo rem declarans: *Cum*, inquit, *examinarem hiſce diebus an aliquid in mundo exiſteret, atque adverterem ex hoc ipſo quod illud examinarem, evidenter ſequi me exiſtere, non potui quidem non judicare illud quod tam clarè intelligebam verum eſſe, non quod ab aliquâ vi externâ fuerim ad id coactus, ſed quia ex magnâ luce in intellectu magna conſequuta eſt propenſio in voluntate. Atque ita tanto magis ſponte & liberè illud credidi, quanto minus fui ad iſtud ipſum indifferens.*

rens. Atque ut ex evidenti & accuratâ cognitione veritatis consequitur amor ad eandem amplectendam & ipsa realis electio; ita è contra è clarâ & distinctâ perceptione falsitatis fugam & aversationem falsitatis debere sequi manifestum est. Quando autem intellectus rem nondum satis clarè & distinctè percipit indifferens est ad assentiendum vel dissentiendum vel ad judicium suspendendum. *Cum*, inquit rursus Renatus, *nulla adhuc intellectui meo ratio occurrit, quæ mihi unum magis, quam aliud persuadet, certe ex hoc ipso sum indifferens ad utrumlibet affirmandum vel negandum, vel etiam ad nihil de eâ re judicandum. Deinde* consistit natura voluntatis in eo, quod adeò libera sit, ut citra contradictionem nec determinatio ab extrinseco principio sive *coactio*, quâ invita aliquid velle censeretur, ei ascribi possit; In eo enim formalis ratio voluntatis sita quoque est, *quod ad id, quod intellectus affirmandum vel negandum, prosequendum vel fugiendum proponit, ita feramur, ut à nullâ vi externâ nos ad id determinari sentiamus*, ut mox Cartesium dicentem audivimus: nec determinatio ab intrinseco principio sive necessitas naturæ, ita ut absque προαιρέσει, absque prælectione & allubescentiâ aliquid brutorum instar sequeretur: nam quamvis voluntas infallibiliter sequatur & amplectatur verum, quod clarè cognoscit, (saltem cum debito modo procedit voluntas,) nihilominus liberè id semper facit, & absolutè loquendo posset id non facere; *nam*, ut inquit philosophus, *nobis sæpe liberum est, ut cohibeamus assensionem, etiamsi rem percipiamus*.

In Notis ad Progr. circa finem.

IV. Ex his jam ita expositis breviter voluntatis naturam in hunc modum delineamus; nempe *Potentiam activam & electivam, per quam mens se determinat liberè id est citra ullam coactionem & ex prælectione ad affirmandum aut negandum, ad faciendum, aut non faciendum aliquid circa omnes actiones, in quibus electio aliqua & judicium locum habere potest*.

V. Doctrinam autem hanc de voluntate sive libertate arbitrii juxta rei veritatem & mentem Renati propositam alii pror-

prorsus vanam & falsam esse clamitant: alii eandem non quidem omni ex parte falsam, sed nonnullis in partibus veritati repugnare dictitant: alii denique varias sententias sanæ philosophiæ & orthodoxæ religioni contrariantes è scriptis ipsius vel perperam intellectis vel in perversum sensum malevolè detortis eliciunt, & Philosopho affingunt.

VI. Quantum ad primos attinet, hi omnes liberi arbitrii vires in homine negant, mentemque nullam seipsam liberè determinandi potestatem habere existimant, atque ita se omni rationis suæ usu privant. Verum hi homines propriæ conscientiæ testimonium rejiciunt, & experientiæ, quam in se satis manifestè deprehendunt, aut sanè deprehendere possent & deberent, reclamant; insitas enim à naturâ notiones negant; *Quod enim in voluntate nostrâ sit libertas, & multis ad arbitrium vel assentiri vel non assentiri possimus, adeò manifestum est, ut inter primas & maximè communes notiones, quæ nobis sunt innatæ, sit recensendum.* Principp. p. 1. §. 39. Adeò ut hi homines revera refutatione & ulteriori, quàm ipsa natura exhibet, institutione indigni prorsus sint; & jure Cartesius Gassendo libertatem arbitrii neganti probationem denegaverit: inquiens: *Quæ postea de indifferentiâ voluntatis negas, etsi per se manifesta sint, nolo tamen coram te probanda suscipere; talia enim sunt ut ipsa quilibet apud se debeat experiri potius quam rationibus persuaderi: Tuque, ô caro, ad ea quæ mens intra se agit non videris attendere. Ne sis igitur libera, si non lubet, ego certè meâ libertate gaudebo; cum & illam apud me experiar & à te nullâ ratione, sed nudis tantum negationibus impugnetur. Majoremque apud alios forte merebor fidem, quia id affirmo quod expertus sum, & quilibet apud se poterit experiri, quam tu qui idem negas ob id tantum quod forte non experta sis. Quanquam etiam evinci possit ex tuis verbis te id ipsum esse expertam &c.* Respp. Quintis ad Medit. IV. ad num. 3.

VII. Difficulter itaque hi homines ad saniorem mentem reduci possunt, utpote qui propriæ testimonio conscientiæ diffidunt; & cum huic diffidant, cui fidem adhibebunt?

quo-

quo argumento convinci poterunt? Si tamen ſanari cupiunt; en medium. Sciant inprimis ſe non ſatis accuratè ad ullas mentis ſuæ actiones attendiſſe, & quoniam hac in parte nimium negligentes fuerunt, excutiant veternum; conſiderent & perpendant vel unicâ vice ſatis attentè, annon factum aliquod integro vitæ curſu perpetrarint, cujus pœnitentiâ ducti fuerint; non puto quemquam adeò induratum aut à ratione alienum fore, qui id negare auſus fuerit: quod ſi autem quis pœnitentiâ affectus & motus fuerit; unde eſt? inde procul dubio, quod potuerit & debuerit ſecus facere, quam fecit, & facere potuit ac debuit. An autem hinc non ſatis fatetur, & ipſe clarè videt, niſi de induſtriâ cæcutiat, quod potentiam habuerit faciendi aliud, quam quod fecit? ſi enim non habuit; quid facti ipſum pœnituit? Atque proinde ſponte, licet inſcius, ſatis fatetur, ſe potentiam habuiſſe eligendi bonum, malo iſti quod commiſit contrarium, id eſt fatetur ſe habuiſſe voluntatis libertatem ſeu liberum arbitrium, quæ nihil eſt niſi potentia eligendi.

VIII. Gemina autem potiſſimum reperitur cauſa, quæ eos in hunc induxit errorem, quod voluntatis ſuæ libertatem negent. Prior eſt, eaque præcipua, quod quandoquidem concipere nequeunt, quomodo Divina providentia cum libero hominis arbitrio concilari poſſit, alterutrum negandum & tollendum eſſe exiſtiment; cum autem propter reverentiam, quam religioni deferunt, (non loquor enim jam de iis, qui à fide Chriſtianâ ita alieni ſunt ut Fato & duræ neceſſitati omnia ſubjiciant:) Providentiam negare non audent, hinc credunt ſe obligatos ad denegandam & auferendam ſibi ipſis voluntatis libertatem. Sed hâc de re infrà latius acturi ſumus & ex Philoſopho noſtro quantum fieri poteſt eum nodum ſoluturi, ac oſtenſuri quâ ratione liberum arbitrium noſtrum cum providentiâ divinâ ſtare poſſit, & quomodo voluntas, licet à Deo dependens, nihilominus libera remaneat.

VIII. Altera cauſa, eaque minus quidem gravis; ſed ta-

tamen satis quoque ardua, quæ ipsos de arbitrii sui libertate dubitare facit, hæc est, quod concipere nequeant, quomodo voluntas infallibiliter affirmet verum, & amplectatur bonum, quod intellectus probè perceptum illi repræsentat, cum posset interim voluntas absolutè loquendo idem licet clarè repræsentatum negare & fugere. Ut autem hæc difficultas tollatur; *primo* probè perpendendum est de quibus rebus voluntas propriè deliberat ut agat, & circa quas libertatem suam agendo exercere possit. Deliberamus autem & libertatem voluntatis exercemus circa res naturales non circa res æternas & quæ Deum ejusque essentiam concernunt. Neque tamen circa res naturales omnes, sed circa eas, quæ in nostrâ potestate sitæ sunt & quæ sub actionem nostram cadunt, atque ita per nos fieri possunt, & exitum habent incertum, adeò ut in utramque partem contingere possint ut moveri, & non moveri, affirmare & negare, prosequi & fugere, appetere res necessarias & non appetere, mentiri & non mentiri, dare & non dare, lætari & non lætari, virtutes exercere civiles & non exercere, imò in genere physicè agere & non agere. Sed libertati voluntatis non sunt subjectæ, verum ab ejus dominio & imperio exemptæ res naturales necessariæ, quæ vel sub solam contemplationem cadunt, et circa quas actiones non exercemus, uti sunt objecta scientiarum, scilicet Metaphysicæ, Physicæ, Mathematicæ, & reliquarum, quæ sunt necessaria: vel quæ semper eodem modo fiunt certo destinatoque naturæ cursu, ut revolutiones tempestatesque quatuor annorum. Nec subsunt voluntatis imperio res contingentes, quæ à solâ naturâ pendent; sive quamplurimum fiant, licet non eodem modo, ut sexagenarium canescere; sive ancipiti conditione indifferenter fiant, ut pluere, ningere, grandinare, fulminare, tonare; sive rarò fiant, ut in senectute juvenili esse robore: nec illæ quæ fortuitò fieri dicuntur, ut divitem vel pauperem evadere; item piscando invenire aureum tripodem; vel casu, ut à tegulâ decidente de tecto occidi. Nec denique nostræ subjacent voluntati, quæ ab aliorum homi-

num consilio & voluntate dependent. Ad hæc autem cum non attendant multi homines, qui libertatem voluntatis in omnibus promiscuè rebus sine ullo discrimine statui putant; quod cum ipsi observarent fieri nequaquam posse; hinc omnem voluntatis libertatem homini denegârunt. Hoc vidit & observavit summus inter antiquos Philosophus Nemesius, qui hoc sensu scribit: *Plerique quod liberam voluntatem, & potestatem in omni re agendâ, & comparandâ, atque etiam omni fortunâ dici arbitrantur, verosimili ratione sermonem de solutâ & liberâ hominis voluntate improbant.* Aut si propria ipsius græcè mavis verba, ita sonant; Οἱ δὲ πολλοὶ νομίζοντες λέγεσθαι τὸ αὐτεξούσιον ἐπὶ πάσης πράξεώς τε καὶ κτήσεως καὶ τύχης, ἀποδοκιμάζουσιν εἰκότως τὸν λόγον. *Secundò*, probè distinguendum est inter libertatem in actionibus voluntatis, antequam exercentur, aut eo, quo excercentur, momento. Certum autem est libertatem consideratam in actionibus antequam illæ exerceantur, comprehendere indifferentiam positivam, id est eam, quâ pollemus facultate determinandi nos ad contrariorum alterutrum, hoc est ad prosequendum aut fugiendum, ad affirmandum aut negandum unum idemque. Nam experimur voluntatem nostram, antequam à nobis determinata est, semper liberam esse & potentiam habere eligendi contrariorum alterutrum. Sed si libertatem consideremus in voluntatis actionibus quo momento exercentur, indifferentiam nullam continet; nec positivam, quam jam explicui; nec eam, quæ est status animæ, quum mens nihil clari, nihil distincti in objecto videt, & quum voluntas proptereà non majorem habet propensionem ad partem unam, quam aliam prosequendam vel fugiendam, affirmandam vel negandam; quoniam id quod fit, non potest non fieri eo tempore, quo fit. Itaque libertas tum consistit tantum in facultate operandi, quæ prout augetur, augetur libertas; tum autem agere liberè sive libenter, aut voluntariè sunt unum idemque. Et quo mens pluribus rationibus adducitur ad aliquid prosequendum vel fugiendum, affirmandum vel negandum, tanto liberius & proniori ac vehementiori voluntatis

De Naturâ Homin. Cap. XL.

tatis

tatis motu aliquid efficimus. Confer Cartesium *Epist*. cxii. *primi voluminis*.

IX. Ut autem dilucidius pateat, quomodo, etiamsi evidentissima aliqua ratio alterutrum persuadeat, ita ut voluntas inclinet ad unam partem amplectendam, absolutè tamen loquendo contrariam partem eligere possit, exemplo rem declaremus. Homo famelicus, qui magno cibi desiderio tenetur, eundemque jam coram se præparatum videt, etsi moraliter loquendo vix se à sumendo cibo temperare possit, absolutè tamen loquendo potest; præsertim si cogitet se abstinendo à cibo arbitrii sui libertatem velle testari.

X. Exercitium autem hujus libertatis, etsi in rebus civilibus aliquando fortassis usui esse possit, uti ex. gr. homini guloso ad regiam mensam accumbenti, ut à nimiâ edendi aviditate & voracitate se abstineat: noxium tamen est in veritatis inquisitione, ubi semper evidentissimis rationibus cedendum est & claræ intellectus perceptioni assensus voluntatis neutiquam denegandus, nisi in Scepticismum & ἀκαταληψίαν omnimodam vel in errores ineluctabiles incidere velimus. Sexti enim Empirici ea vesana ad discipulos suos, ut eos in omnimodâ ἐποχῇ detineret, admonitio erat, ne rei etiam clarè & evidenter perceptæ assensum voluntatis adhiberent, sed judicium etiam tum suspenderent. *Cum aliquis*, inquit, *rationem adfert*, *quam destruere non possumus*, *illi dicemus*, *ante nativitatem ejus*, *qui sectam*, *cui se dedit*, *introduxit*, *eam rationem*, *quam secta ea ipsi præbet*, *bonam non esse visam*, & *tamen ea ratio in rerum naturâ non desinebat esse*, *quamvis cognita non esset: sic etiam fieri potest*, *ut ratio*, *quæ eam destruit*, *quam adfert*, *in rerum naturâ inveniatur*, *quamvis nondum cognita sit; atque ideò non oportet cedere rationi*, *quam adfert*, *utut fortis etiam hoc tempore videatur.*

XI. Sunt quoque, ut diximus, alii, qui Cartesii de Libero Arbitrio doctrinam non quidem omninò falsam, sed nihilominus falsis absurdisque opinionibus permixtam esse criminantur. Hi autem *primò* reprehendunt quod Intelle-

ctum potentiam *passivam* faciat, voluntatem autem *activam*; nam cum considerant voluntatem non posse aliquid determinare (si saltem legitimè & benè agat) nisi lumen intellectus præcesserit, adeò ut intellectus quasi fax sit, quam voluntas sequatur, ita ut se determinet juxta perceptionem ab intellectu factam. Hæc, inquam, dum considerant, voluntatem potentiam *passivam* dicere malunt, quam *activam*. Sed fallunt falluntúrque: nam licet verum sit Intellectus perceptionem voluntatis determinationem præcedere, atque ita quasi facem præferre, non tamen instat Dominæ, sed ministræ id facit, heræ suæ lucem præferentis. Et si intellectus naturam probè consideremus, satis cognoscimus quod *passivè* se habeat in ordine ad suas perceptiones, quum rerum ideas recipit; *recipere* autem ipsi Aristoteli ejusque sequacibus *passio est*. Cui insuper & hoc accedit, quod Intellectus de nullâ re cogitare aut perceptionem aliquam facere possit, nisi voluntas cogitandi licentiam illi concedere velit.

XII. *Deinde* in Renato & hoc culpant quod contra aliorum philosophorum penè omnium consensum judicium voluntati, non verò intellectui asscribat. Sed noverint illi non ex aliorum mente, sed ex rei naturâ & rationibus de veritate esse judicandum: jam verò si considerent præter evidentem perceptionem, quæ semper præcedere debet judicium, affirmationem & negationem ad formam judicii constituendam requiri, & in nostrâ potestate sæpe esse (uti mox ostendimus exemplo hominis famelici) ut inhibeamus assensum etiam tum cum rem clarè percepimus; hinc facilè judicare potuissent ipsum actum judicandi, qui non nisi in assensione, id est affirmatione & negatione consistit, non ad perceptionem intellectus, sed ad determinationem voluntatis esse referendam. Propter has autem rationes scribit Cartesius se permotum fuisse, quod non ad intellectum, sed ad voluntatem judicandi actum retulerit, uti videre est in *Notis ad Programma Regii*.

XIII. Contendit quidem Hobbesius alienum esse à volun-

luntate credere vel assensum præbere, quoniam convicti rationibus volentes nolentes credimus: *Non modo scire aliquid verum esse*, inquit, *sed & credere, vel assensum præbere aliena sunt à voluntate: nam quæ variis argumentis probantur, vel ut credibilia narrantur, volentes nolentes credimus.* Respondet Cartesius: *Cum hic dicitur, nos rebus clare perspectis volentes nolentes assentiri, idem est acsi diceretur; nos bonum clarè cognitum volentes nolentes appetere: verbum enim* nolentes, *in talibus non habet locum, quia implicat nos idem velle & nolle.*

XIII. Alii rursus alios eosque graviores errores Cartesio imputant, & quidem tales quæ in Sacram Scripturam impingunt & veritati orthodoxæ contrariantur: Dicunt autem Philosophum cum Pelagio Liberi arbitrii vires in bono spirituali homini asscribere. Sed falsam illam criminationem jam vivus ipse diluit Cartesius, ubi ait: *Bonæ illæ actiones de quibus loquor non sunt intelligendæ ex mente Theologorum, qui de gratiâ agunt, sed tantum secundum Philosophiam moralem, in quâ hæc gratia non consideratur. Quapropter nequit mihi objici Pelagianorum error: aut certe non melius, quam si exinde quod dicerem sufficere ut quis sit recto judicio præditus, ad hoc ut sit vir bonus: objiceretur requiri insuper sexum, quo à fæminis distinguitur, hoc enim non venit ad rem.* *Epistola ex. primi vol.*

Quartam autem Meditationem, ubi potissimum voluntatis sive Liberi Arbitrii naturam describit, restringit ad solam contemplationem & dijudicationem veri & falsi, quæ fit lumine naturæ. *Advertendum est nullo modo agi de peccato vel errore, qui committitur in persecutione boni & mali, sed de eo tantum qui contingit in dijudicatione veri & falsi. Nec ea spectari quæ ad fidem pertinent, vel ad vitam agendam, sed tantum speculativas, & solius luminis naturalis ope cognitas veritates.* *Synops. Medit. Quartæ.*

In Responsionibus Quartis idem anxiè inculcat: *Quod verò in quartâ Meditatione tantum egerim* de errore, qui committitur in dijudicatione veri & falsi: *non autem de illo*

 qui

qui contingit in persecutione boni & mali: *quodque ea quæ ad fidem pertinent atque ad vitam agendam exceperim, cum asserui, nulli nos rei assentiri debere, nisi quam clare cognoscamus, totius scripti mei contextus ostendit; & expresse etiam in responsione ad secundas Objectiones numero quinto explicui; nec non & in synopsi præmonui.* Ex his satis perspicuum quam falsò adversarii Cartesio affingunt, quod liberum arbitrium in rebus spiritualibus & Theologicis homini attribuat; cum disertè monet & pluribus quidem in locis, se de rebus Theologicis nihil velle determinare per suam Philosophiam, quæ solo lumine naturæ nititur.

XIV. Quod si tamen scire libet, quomodo se hæc res habeat, paucis dicimus; Homini revera datam esse libertatem à Deo; à quâ etiamnum actus physicè reales, sive boni procedunt; sed eum post peccatum vim producendi realitates, ut ajunt, morales, sive potius verè spirituales amisisse, adeò ut Restauratore sit opus. Post malum enim admissum libertas, tanquam vis indita à Deo menti humanæ, manet virtute Divini placiti & positionis: sed vis illa quoad res spirituales impedita, sopita, in malum statum demersa est, & in injustitiâ detenta.

XV. Objiciunt quoque Cartesio quod Gratiam Divinam non agnoverit, sed ejus efficaciam sustulerit. Hoc elicere conatus est Maresius è Cartesii verbis, ubi scribit.
Princip. part.1.art. 37. *Summa quadam in homine perfectio est, quod agat per voluntatem, hoc est liberè; atque ita peculiari quodam modo, sit author suarum actionum, & ob ipsas laudem mereatur. Non enim laudantur automata, quod motus omnes ad quos instituta sunt accuratè exhibeant, quià necessario illos sic exhibent; laudatur autem eorum artifex, quod tam accurata fabricârit, quià non necessariò, sed libere ipsa fabricavit. Eâdemque ratione, magis nobis profectò tribuendum est, quod verum amplectamur, cum amplectimur, quam si non possemus non amplecti.* Sed nullla heic gratiæ fit mentio, nec de eâ ullo modo agitur; sed Cartesius hominem extollit supra res artificiales, quod liberè libertate nempè intrinsecâ actiones

nes

nes physicas & civiles peragat, & non necessitate intrinsecâ, veluti res artificiales motus suos exhibent. Nec loquitur de veritate à Deo revelatâ, sed de veritate quæ contemplando percipitur, quam quià liberè amplectimur & sponte ac voluntariè, id melius & præstantius est, quam si necessitate naturæ adacti amplecteremur. Imo adeò manifestò falsa est hæc accusatio, quam Maresius art. 30. Dissertationis suæ de Abusu Philosophiæ Cartesianæ proponit, ut expressissimis Cartesii verbis repugnet, quibus perspicuè Divinæ gratiæ certitudinem & efficaciam asserit, scribit enim in Medit. 4. *Nos tantò liberius eligere alterutrum, si Deus intima cogitationis nostræ ita disponat.* Imo Gratiam divinam lumini naturali præfert, & voluntatem ab illâ ad assentiendum efficacius sæpe moveri, quam à lumine naturæ, asserit: *Notandum est*, inquit, *claritatem sive perspicuitatem, à quâ moveri potest nostra voluntas ad assentiendum, duplicem esse, aliam à lumine naturali, aliam à gratiâ Divinâ. Iam verò etsi fides vulgò dicatur esse de obscuris, hoc tamen intelligitur tantum de re sive de materiâ circa quam versatur, non autem quod ratio formalis propter quam fidei assentimur sit obscura: Nam contra hæc ratio formalis consistit in lumine quodam interno, quo à Deo supernaturaliter illustrati confidimus ea quæ credenda proponuntur ab ipso esse revelata, & fieri planè non posse ut ille mentiatur; quod omni naturæ lumine certius est: Et sæpe etiam, propter lumen gratiæ evidentius. Nec ii qui mea legent, putare poterunt me istud lumen supernaturale non agnovisse, cum valdè expressis verbis in ipsâ quartâ Meditatione, in quâ causam falsitatis investigavi, dixerim*, illud intima cogitationis nostræ disponere ad volendum, non tamen minuere libertatem.

XVI. Obtrudunt quoque Cartesio, quod Indifferentiam sive liberum arbitrium ex sententiâ Jesuitarum doceat & defendat. Docent autem Jesuitæ & cum iis Philosophorum vulgus *liberum arbitrium esse facultatem, quâ positis omnibus ad agendum requisitis potest homo agere & non agere, aut ità agere unum, ut contrarium agere possit.*

Hanc

Hanc autem facultatem liberi arbitrii ità exponunt, ut præcipuè ad res Theologicas illam accommodent, asserantque tantas in homine liberi arbitrii vires, ut etiamsi Deus moveat mentem humanam ad assentiendum veritatibus à se revelatis, & ad operandum ea bona, quæ per gratiam suam conscientiæ Deus tanquam bona ostendit, quod homo nihilominus possit dissentire ac de facto sæpe dissentiat, ita ut possit illud bonum non agere, ac de facto sæpe non agat. Atque ita *Scientiam mediam*, *Decreta Conditionata* & *Concursum Universalem* atque *Indifferentem* & plura id genus impia commenta introducunt, & Deum ab homine suspendunt, hominemque principalem salutis æternæ causam constituunt.

XVII. Ut autem dilucidius pateat, quanta inter impiam Jesuitarum Doctrinam & eam quam proposuit Renatus, intercedat discrepantia; utramque inter se in præcipuis capitibus conferamus. *Primò*, Jesuitæ præcipuè & unicè penè Liberi Arbitrii vires extendunt ad res Theologicas; Cartesius loquitur quam maximè & ubique ferè de rebus naturalibus & quidem solummodo de contemplativis sive de dijudicatione veri & falsi in speculando, non de persecutione boni & mali, quoad res morales sive verè spirituales. Uti suprà in Synopsi Meditationis Quartæ & in Epist. cx. primi voluminis se explicuit. *Secundò*, Jesuitæ & vulgus Philosophorum negant gratiæ efficaciam & certitudinem, eidemque gratiosè hominem intus moventi posse resisti dictitant; Cartesius contrà gratiam seu lumen supernaturale mentem humanam efficaciter ad assentiendum movere statuit, *cum tantò liberius nos assentiri dicit*, *quando divina gratia intima cogitationis ità disponit*. Quæ verba

Pag. 303. prorsus concidunt cum illis Synodi Dordracenæ, *Quod Deus*

Phil. 2. 13. *ad intima hominis penetret*: atque Apostoli: *Quod Deus*

Princ. part. 1. art. 40. Art. 41. eiusdem Partis

ipsum velle ac perficere in nobis operetur. *Tertio*, Cartesius statuit ac docet tantam esse libertatem, quantam eam Deus per suum decretum constituit, ait enim *nefas esse existimare aliquid unquam à nobis fieri*, *quod à Deo non sit praordinatum*. Quinimò asserit *Dei potentiam*, *per quam non tantum*

omnia,

omnia, quæ sunt aut esse possunt, ab æterno præscivit, sed etiam voluit ac præordinavit, esse infinitam. Et alibi disertis verbis dicit, res aliquas ex Arbitrio nostro pendere, quia Divinæ Providentiæ decretum eas ex eo pendere voluit. *Rejicienda est*, inquit, *penitus vulgaris opinio, extra nos dari Fortunam, quæ efficiat ut res contingant vel non contingant, ut ei lubet; & sciendum omnia dirigi à Providentiâ Divinâ, cujus decretum æternum, adeò infallibile & immutabile est, ut exceptis iis quæ idem Decretum voluit pendere ex nostro arbitrio, cogitare oporteat respectu nostri nihil evenire quod necessarium non sit, & quadantenus fatale.* Adeò ut his in locis citatis manifestissimum sit Arbitrii nostri libertatem ab efficacissimo Dei Decreto, æternâ voluntate, infallibili præscientiâ ac præordinatione pendere juxta mentem Cartesii, cui apprimè convenit cum Augustino, *qui voluntatis nostræ libertatem tantum valere* ait, *quantum Deus eam valere voluit, atque præscivit.* Jesuitæ contra scientiam Dei mediam & Decreta conditionata sacrilegè introducunt, & ea ab hominum voluntate & à conditionibus, quæ ab homine fiunt, suspendunt. *Quartò* denique Jesuitæ & vulgarium Philosophorum Scholæ liberi Arbitrii formalem rationem consistere docent in *Indifferentiâ, quæ est potentia faciendi aliquid; etiam positis omnibus prærequisitis.* Cartesius contra formalem rationem libertatis, in eo potius constituit, quod mens attenta in contemplatione alicujus rei, quum jam clarè & distinctè illius bonitatem vel veritatem videt, adeò ut nulla supersit dubitandi ratio, seipsam determinet ad bonitatem vel veritatem illam amplectendam, quoniam infallibiliter se jungit bono vel vero, quod ita cognitum habet; atque ità minimè statuit positis prærequisitis omnibus conditionibus voluntatem nostram adhuc vel agere vel non agere posse? Nam *Indifferentiam* infimum gradum libertatis appellat, quæ in mente reperitur, quum ea rei veritatem vel bonitatem nondum clarè & distinctè percipit; aliàs nos sæpe quam maximè liberos esse asserit, quum *minimè indifferentes* sumus. *Neque enim opus est*, inquit, *me in utramque partem ferri posse*

Art. CXLVI. Part. 2. de Passion. Animæ.

De Civ. Dei. lib. V. Cap. 9.

Medit. IV.

poße ut ſim liber, ſed contrà quò magis in unam propendeo, ſive quia rationem veri & boni in eâ evidenter intelligo, ſive quià Deus intima cogitationis meæ ita diſponit, tantò liberius illam eligo; nec ſanè divina gratia, nec naturalis cognitio unquam imminuunt libertatem; ſed potius augent, & corroborant. Indifferentia autem illa, quam experior, cum nulla me ratio in unam partem magis, quam in alteram impellit, eſt infimus gradus libertatis: & nullam in eâ perfectionem, ſed tantummodo in cognitione defectum, ſive negationem teſtatur; nam ſi ſemper quid verum & bonum ſit clarè viderem, nunquam de eo quod eſſet judicandum vel eligendum deliberarem; atque ita quamvis plane liber, nunquam tamen indifferens eſſe poſſem.

LXVII. Imò quomodo mens tum ſaltem indifferens eſt, quando deeſt illi cognitio; & contrà quomodo non eſt indifferens, quando rem evidenter cognoſcit, explicat in Epiſtolâ CXII. primi voluminis, ubi de naturâ voluntatis hunc in modum fusè diſſerit: *Quod ad liberum arbitrium, prorſus ſentio cum* R. P. *atque ut ſententiam meam clarius explicem, velim primò notari, indifferentiam mihi videri propriè ſignificare ſtatum iſtum in quo voluntas reperitur, cum illa non fertur ullâ cognitione veri & boni ad partem unam potius quam aliam amplectendam; illamque hoc ſenſu ſumpſi, ubi dixi infimum libertatis gradum in hoc conſiſtere, quod poſſimus noſmet determinare ad eas res ad quas ſumus prorſus indifferentes. Sed forſan per indifferentiam alii intelligunt poſitivam hanc, quâ pollemus, facultatem determinandi nos ad contrariorum alterutrum hoc eſt ad proſequendum aut fugiendum, ad affirmandum aut negandum unum idemque. Atque hic dicam me nunquam negâße quin poſitiva hæc facultas eßet in voluntate. Contra enim exiſtimo eam adeſſe non ſolum, quoties voluntas determinat ſe ad iſtud genus actionum, in quibus nullo rationis pondere in unam potius quam in aliam partem inclinatur; ſed etiam in omnibus ejus actionibus; ità ut voluntas nunquam ſe determinet, quin illam exerceat; eouſque, ut etiam, cum evidentiſſima aliqua ratio*

tio

tio nos ad aliquid inclinat, licet moraliter loquendo vix possimus contrarium facere; tamen absolutè loquendo possimus: est enim semper nobis liberum, abstinere à prosequendo bono aliquo, quod sit nobis clarissimè notum, aut ab admittendâ veritate quâpiam evidente; modò solum cogitemus bonum esse hoc ipso testari arbitrii nostri libertatem. Præterea advertendum est libertatem considerari in actionibus voluntatis aut antequam illæ exerceantur, aut eo quo exercentur momento. Certum autem est libertatem consideratam in actionibus voluntatis antequam illæ exerceantur, comprehendere indifferentiam in secundo sensu, prout illam modo exposui, non verò sumptam in priore: hoc est voluntatem nostram antequam determinata fuerit, semper liberam esse, & potentiam habere eligendi contrariorum alterutrum: at verò illa non est semper indifferens; contra enim nunquam deliberamus, nisi ut nos eo statu eximamus, in quo nescimus quam amplectamur, aut certè ne in illum incidamus. Et quanquam judicium nostrum alienis imperiis opponendo, soleamus dicere nos esse liberiores in iis quæ nobis imperata non fuerunt, & in quibus proprium judicium sequi liceat, faciendis, quam in iis, quæ nobis aut imperata, aut interdicta fuerint; nihilominus judicia nostra sive cogitationes alias aliis opponendo haud possumus eodem modo dicere nos esse liberiores in iis faciendis, quæ nobis neque bona neque mala videntur, aut in quibus tantundem videmus mali, quantum boni; quam in iis in quibus longè plus boni quam mali. Libertatis enim magnitudo consistit aut in magno usu positivæ hujus potentiæ, quam habemus, sequendi deteriora, etiam cum meliora videmus. Atque si ea amplectamur quæ ratio nostra nobis suadet esse bona, tum nos facilè admodum determinamus; si verò contrarium, maiorem tum potentiæ istius usum facimus: atque ità liberius semper agere possumus in iis rebus, in quibus plus boni quam mali videmus, quàm in iis quas vocamus indifferentes. Atque etiam hoc sensu verum est dicere, nos multò minus liberè ea facere quæ nobis imperata fuerunt & ad quæ ultrò nequaquam ferremur, quam ea quæ nobis non fuerunt imperata:

 quià

quià nempe judicium quod nobis ſuadet iſta eſſe difficilia, adverſatur alteri judicio quod nos monet, bonum eſſe ea facere, quæ juſſa fuerunt; quæ quidem duo judicia, quò æquabilius nos movent, eò etiam magis indifferentiam inducunt, eo ſenſu ſumptam, quo primum explicui, hoc eſt indifferentiam eam quæ voluntatem conſtituit in eo ſtatu in quo ſe determinare nequeat. Iam autem libertas conſiderata in voluntatis actionibus, quo momento exercentur, indifferentiam nullam continet, quomodocunque ſumatur; quià id quod fit, non poteſt non fieri eo tempore quo fit: itaque libertas tum conſiſtit tantum in facilitate operandi, quæ prout augetur, augetur & libertas: tum autem agere liberè, ſive libenter, aut voluntariè ſunt unum idemque, Atque hoc ſenſu ſcripſi me eo liberius ad aliquid ferri, quo pluribus rationibus ad id adductus fuerim, ſiquidem certum eſt voluntatem noſtram moveri tum facilius & vehementius.

In allegatis autem hiſce dilucidè, ut ſolet, & ſolidè explicat, quà ratione *Indifferentia* quodammodò *Negativa* in voluntate eſt, cum nempe propter inevidentiam boni & mali non fertur ad partem unam potius, quam aliam amplectendam? & quâ ratione quoque *Indifferentia poſitiva*, quæ facultas eſt, quâ valemus nos determinare ad contrariorum alterutrrum, in voluntate noſtrâ reperitur. Concedit autem hanc poſteriorem facultatem in voluntate reperiri & tum cum voluntas ſpontaneo motu ſe determinat ad tales res ſive actiones, ad quas nullo rationis pondere magis quam ad alias fertur. Imò concedit hanc *poſitivam Indifferentiam* exerceri à voluntate in omnibus actionibus quotieſcunque voluntas ſe determinat; eamque voluntatis potentiam tantam eſſe, ut voluntas, etiam cum evidentiſſima ratio contrarium ſuadet, abſolutè tamen ad contrarium ſe determinare poſſit; ſed non obſcurè indicat hoc rarius fieri, & vix aliter quam cum voluntas libertatem ſuam teſtati vult. Deinde, diſtinguendo inter actiones antequam exercentur & eo quo exercentur momento, docet *Indifferentiam poſitivam* in prioris generis actionibus ſemper habere locum, ſed

ſed *indifferentiam* quodammodò *negativam* non itidem, quoniam antequam ſe determinat voluntas propter rationis evidentiam, ſæpiſſimè magis in unam quàm in aliam partem inclinat; atque ità indifferens non eſt negativè, quoniam non amplius eſt in ſtatu neutro, ſed clarè quid in re eſt videt. In actionibus autem poſterioris generis id eſt eo quo exercentur momento, nullam reperiri *Indifferentiam poſitivam*, nec eam, quam diximus, quodammodo *negativam*. Ἐν παρόδῳ autem explicat, quomodo dicamur liberiores in iis, quæ nobis non ſunt imperata, quam in iis quæ vel imperata vel interdicta ſunt, & quomodo interim reſpectu noſtrorum judiciorum æquè liberi ſumus in tali occaſione, quod oſtendit exponendo in quo magnitudo voluntatis ſive liberi arbitrii conſiſtit. Ex his ſatis patet quantum diſcrepet à Jeſuiticâ indifferentiâ ſententia philoſophi noſtri. *Primò*, Jeſuitæ dicunt poſitis omnibus prærequiſitis, id eſt ut explicant ipſi, Deo movente voluntatem, nos adhuc habere potentiam eligendi contrariorum alterutrum: Philoſophus autem Indifferentiam illam poſitivam obtinere poſſe dicit, cum ratio evidentiſſima contrarium ſuadet; nuſpiam dicit, Deo etiam movente illam locum in voluntate habere, ſed contrà omnia abſolutè à Dei voluntate dependere & juxta nutum ipſius ac gratiam diſponentem omnia fieri. *Deinde*, Jeſuitæ docent libertatem illam à voluntate ſine ullo diſcrimine ſemper exerceri poſſe; Philoſphus contrà illam *Indifferentiam poſitivam*, ubi ratio evidens perſuadet, difficulter exerceri à voluntate aſſerit, & non niſi cum arbitrii noſtri libertatem teſtari volumus, quod & rarò accidit & in veritate inquirendâ noxium eſt. *Porrò* Jeſuitæ cenſent formalen rationem libertatis arbitrii in eo conſiſtere, quod alterutrum eligere valeat, philoſophus contrà oſtendit à voluntate indifferentiam illam ſæpè abeſſe, & voluntatem eò liberius ſæpe agere, quò facilius ſe determinat & actu jam operatur.

XV. In Epiſtolâ verò cxv. ejuſdem voluminis ſcriptâ ad Jeſuitam quendam rurſus explicat, *Primò*, quomodo volun-

tatem indifferentem dicat. *Deinde* concedit quidem Jesuitæ quemlibet posse suspendere judicium: sed negat id fieri eo sensu quo Jesuita vult, nempe positis omnibus prærequisitis. Docet enim Renatus ex magnâ luce in intellectu sequi magnam propensionen in voluntate ; adeò ut voluntas non possit non sequi lucem illam sive evidentem rationem, quæ proponitur ab intellectu. Quod si autem contingat, ut contrarium judicet voluntas evidenti isti rationi, aut potius contrarium judicare videatur; id non fieri nisi ob aliam rationen, quam intellectus deinde voluntati proponit, & quam voluntas judicat bonam, quoniam memoria priorem rationem jam non amplius satis accuratè suggerit. *Porrò* docet indifferentiam sive positivam se determinandi facultatem in voluntate quoque esse, cum nos liberè determinamus propter evidentem rationem; quod probat exemplo beatorum confirmatorum in gratiâ, qui omninò liberè se determinant, & voluntariè quidquid agunt, faciunt; quorum exemplo & nos liberos oportet dici, quotiescunque voluntariè aliquid facimus, siquidem liberum hoc loco idem est quod voluntarium. Atque ex his redarguit Jesuitam, quod restringat vocem libertatis ad potentiam se determinandi cum indifferentiâ, id est, ut semper agere & non agere possimus, conjunctam; ubi jam contrarium patuit, quod nempe liberè quoque nos determinemus cum ad unam partem quam maximè inclinamus, juxta exemplum beatorum in gratiâ confirmatorum. Subjicit *denique* in fine, ipsum vocis *Indifferentiæ* receptum usum pro se militare, quoniam statum animæ neutrum & dubium significat; non autem positivam ad contrariorum alterutrum se determinandi in mente facultatem. Audiamus ipsa philosophi verba: *Primum quæso attendas*, inquit, *me non dicere, hominem non esse indifferentem, nisi ubi cognitio illi deest, sed illum eo magis esse indifferentem, quo pauciores rationes novit, quæ illum ad partem unam, potius quam aliam amplectendam moveant: quod quidem à nemine negari posse mihi videtur. Tecum autem sentio in eo, quod dicis posse quemlibet suspendere judicium suum;*

suum; sed conatus sum explicare modum quo id fieri possit Mihi enim videtur certum esse ex magnâ luce in intellectu, sequi magnam propensionem in voluntate. *Ita ut quamdiu clarissime videmus rem aliquam esse nobis convenientem, difficillimum, imo & ut credo, impossibile, quamdiu manet in nobis ista cogitatio, ut desiderii nostri cursum teneamus. Verum quia natura animæ ea est, ut non nisi uno quasi momento attentionem suam præbeat uni eidemque rei: ut primum abducitur attentio nostra à rationibus, quæ suadent hanc rem esse nobis convenientem, nec aliud in memoriâ asservamus, nisi quod illa visa est nobis optabilis: possumus denuò menti exhibere aliam aliquam rationem, quæ de eâ nos dubios faciat, atque ita judicium nostrum suspendere, imò & forsan ejus contrarium facere. Atque ita cum non statuas libertatem præcisè in indifferentiâ, sed in potentiâ quâdam reali & positivâ determinandi se, nulla est inter opiniones nostras differentia nisi in verbis; fateor enim hanc potentiam esse in voluntate: sed quià non video quod illa, dum comitem habet indifferentiam, (quam quidem imperfectionem esse fateris) alia sit, quam cum non habet; & quià nihil est in intellectu præter lumen, quemadmodum in intellectu beatorum confirmatorum in gratiâ, illud omne generatim liberum dico, quod est voluntarium: tu autem vis appellationem istam restringere ad potentiam se determinandi, quam comitatur indifferentia. Sed ego nil æquè cupio in vocabulis ac usum & exemplum sequi.*

XVI. Denique gravissimæ hallucinationis, imo impiæ sententiæ reum agunt Cartesium, objectantes eum *Actiones voluntatis nostræ à Deo independentes* statuere; ad quam infringendam criminationem nihil addere necesse foret, præter ea quæ in thesi antecedente ἐν παρόδῳ ex ipso Cartesio & κατὰ τὸ ῥητὸν citata & per legitimas consequentias deducta sunt; ea enim satis dilucidè objectam hanc accusationem falsitatis convincunt. Sed quoniam criminatio hæc admodum gravis, & res de quâ disceptatur maximi momenti est, operæ pretium nos omninò facturos arbitror, si atrocem hanc criminationem ex instituto penitus diluamus.

Conan-

Conantur autem antagonistæ veritatem suæ objectionis probare ex artic. 41. Princip. part. 1. ubi Cartesius scribit, *Deum hominum actiones indeterminatas relinquere*; quibus verbis omnimodam actionum nostrarum à Deo independentiam doceri contendunt.

Ut autem de mente Cartesii probè constet allegatum §. 41. & antecedentem penitius perpendere opus est; sonant autem hoc modo. *Sed quia jam Deum cognoscentes tam immensam in eo potestatem esse percipimus, ut nefas esse putemus existimare, aliquid unquam à nobis fieri posse, quod non ante ab ipso fuerit præordinatum; facile possumus nos ipsos magnis difficultatibus intricare, si hanc Dei præordinationem, cum arbitrii nostri libertate conciliare, atque utramque simul comprehendere conemur.*

Illis vero nos expediemus, si recordemur mentem nostram esse finitam; Dei autem potentiam, per quam non tantum omnia, quæ sunt aut esse possunt, ab æterno præscivit, sed etiam voluit ac præordinavit, esse infinitam: ideoque hanc quidem à nobis satis attingi, ut clare ac distinctè percipiamus ipsam in Deo esse; non autem satis comprehendi, ut videamus quo pacto liberas hominum actiones indeterminatas relinquat; libertatis autem & indifferentiæ, quæ in nobis est, nos ità conscios esse, ut nihil sit quod evidentius & perfectius comprehendamus. Absurdum enim esset, propterea quod non comprehendimus unam rem, quam scimus ex naturâ suâ nobis esse debere imcomprehensibilem, de aliâ dubitare, quam intimè comprehendimus, atque apud nosmetipsos experimur.

Sensus dictorum huc redit: In art. 40. affirmat certum esse omnes nostras actiones à Dei potentiâ esse præordinatas; sed quoniam ea Dei potentia immensa est, asserit nos in inextricabiles prolapsuros esse difficultates, si hanc Dei præordinationem, quæ ab immensâ illâ potentiâ provenit, cum arbitrii nostri libertate ità conciliare studeamus, ut non tantum quid sit arbitrii nostri libertas plenè & accuratè percipere, sed simul quoque præordinationem sive decretum Dei comprehendere id est adæquatè & perfectè intelligere tente-

telligere tentemus. In art. autem 41. docet, quâ ratione iſtas difficultates non modo evitare, ſed iis intricatos nos extricare valeamus, nempe ſi memores ſimus mentem noſtram eſſe finitam; contrà potentiam Divinam, per quam non tantum omnia, quæ ſunt aut eſſe poſſunt, ab æterno præſcivit, ſed etiam voluit ac præordinavit, eſſe infinitam: & proinde immenſam illam potentiam & præordinationem ſeu decretum efficax in Deo eſſe, ſatis à nobis percipi; ſed quomodo per iſtam potentiam, præſcientiam, voluntatem & præordinationem omnes noſtras actiones Deus indeterminatas relinquat id eſt pro lubitu noſtro à nobis fieri permittat, à nobis non poſſe ſatis comprehendi; quoniam uti dictum eſt, illa potentia, per quam omnes res præteritas, præſentes & futuras decrevit, infinita eſt; nos verò finiti, qui infinitum comprehendere non poſſumus. Addit porrò nos libertatis tamen & indifferentiæ in voluntate noſtrâ, non obſtante illâ incomprehenſibilitate præordinationis & prædefinitionis Divinæ, ſatis conſcios eſſe, adeò ut eam negare non poſſimus, neque etiam debeamus; licet difficultas ſit in comprehendendo, quomodo præordinatio Divina, (quæ ſuâ naturâ, quia infinita eſt, nobis finitis eſt incomprehenſibilis) cum noſtri arbitrii libertate poſſit conciliari.

XVII. Antedicta autem ità intorquere, acſi per ea actionum humanarum independentia à Deo aſſeratur, ingens ſanè malevolentia eſt. Contrarium enim admodum diſertè & ſollicitè inculcat Philoſophus, nempe omnes actiones noſtras, imò omnia quæ ſunt aut eſſe poſſunt id eſt res exiſtentes pariter & poſſibiles à Dei infinitâ potentiâ, infallibili præſcientiâ, efficaciſſimâ voluntate & immutabili præordinatione ſive decreto dependere; adeò ut Dei reſpectu ab ipſius æterno decreto quæcunque ſunt & fiunt, vel eſſe & fieri poſſunt ſine ullâ exceptione certiſſimè & infallibiliter determinata ſint, eâ præciſè ratione quâ exiſtunt & fiunt, vel exiſtere & fieri poſſunt, quam *determinationem extrinſecam* quidam appellant: reſpectu autem noſtri per idem illud decretum actiones noſtræ indeterminatæ relin-

quantur; (uti ex art. 146. partis 2. de Passionibus Animæ suprà liquidò vidimus:) ità ut *determinationem* in nobis ipsis, quam *intrinsecam* vocant, nullam experiamur, quoniam ex prælectione & allubescentiâ citra ullam necessitatem coactionis & naturæ mens nostra ad omnia se liberè determinet & illa aget: quam libertatem homini denegare, est eundem in bestiam & stipitem transformare.

Interim & hoc certum manet non posse à nobis perfectè percipi nec explicari, quomodo idem Dei decretum omnes nostras actiones & res cæteras infallibilirer præordinaverit eâ præcisè ratione, quâ fiunt; & quomodo simul easdem illas actiones nobis indeterminatas sive liberas reliquerit, quod utrumque planius adhuc exponere conabimur.

XVIII. Ut autem falsitas affictæ ab adversariis Cartesio sententiæ, quod nempe actiones humanæ voluntatis à Deo independentes statuat, dilucidius patefiat, alia quoque loca, in quibus de hâc materiâ ex professo tractat, alleganda sunt; in quibus una difficilis ille nodus, quomodo nempe ab infallibili Dei præscientiâ, efficacissimâ voluntate, immutabili præordinatione ac æterno decreto omnia & libera pariter & necessaria, ipsaque nostra voluntas dependeat, & quomodo nihilominus libera remaneat; in quibus, inquam, ille nodus adeò feliciter solvitur, ut omnis ἑτεροδοξίας ac perversæ super hâc momentosâ quæstione opinionis suspicio longissimè propulsetur.

Inprimis autem illud probè considerari velim, quod Philosophus unicam & universalem omnium omninò sine ullâ exceptione rerum Deum causam & auctorem faciat, *qui per unicam semperque eandem & simplicissimam actionem*
Pp. p. 1. §. 22. & 23. *omnia simul intelligit, vult & operatur. Omnia, hoc est, res omnes: neque enim vult malitiam peccati, quià non est res: adeò ut Deus solus omnium, quæ sunt aut esse possunt, vera sit causa.*

Imò ipsas æternas & Mathematicas veritates, ideò saltem æternas & veras esse asserit, quia Deus eas tales esse cognoscit & vult. Insignis autem de hâc materiâ alibi locus est, ubi

ait

ait: *Metaphysicas quæstiones in Physicâ meâ, attingam, præsertim verò hanc, veritates nempe Mathematicas quas æternas appellas, fuiße à Deo stabilitas, & ab illo pendere non secus quam reliquas creaturas. Reverà de Deo loquuntur, tanquam de Jove aut Saturno aliquo, illumque Stygi & fato subjiciunt, qui dicunt has veritates esse ab illo independentes. Ne verearis, quæso, profiteri ubique & asserere has leges à Deo fuisse in naturâ positas, non secus quam rex aliquis leges in regno suo constituit.* Et alibi: *Quantum ad veritates æternas, dico iterum illas esse tantum veras aut possibiles, quià Deus illas veras aut possibiles cognoscit; non autem contrà veras à Deo cognosci, quasi independentes ab illo sint veræ. Et si homines verborum suorum sensum probè intelligerent; utique non possent sine blasphemiâ dicere veritatem cujuspiam rei priorem eße cognitione Dei; in Deo enim unum idemque est velle & cognoscere; ita ut hoc ipso quod aliquid velit, ideò cognoscat, & ideò tantum talis res est vera. Non est ergo dicendum, quod si Deus non esset, nihilominus istæ veritates eßent veræ; Dei enim existentia est veritatum omnium possibilium prima, & maximè æterna, & sola unde reliquæ omnes procedant. Sed ratio, cur in hoc hallucinari proclive sit, est, quod maxima pars hominum non consideret Deum, ut ens infinitum & incomprehensibile, atque unicum authorem à quo omnia pendeant: sed in nominis ejus syllabis hærent, & putant se satis cognoscere illum, modò sciant vocabulum* Dieu *idem significare, atque id quod* Deum *Latini dicunt, quodque ab hominibus colitur. Certè qui subliniores hisce cognitationes non habent, haud ægrè Athei fieri possunt; & quià Mathematicas veritates perfectè comprehendunt, non vero existentiam Dei, minimè mirum est; si non credant, illas ab hâc pendere. Sed contrà judicare deberent, quod, quandoquidem Dei potentia intellectus humani terminos excedit, istarum autem veritatum necessitas cognitionem nostram non superat, sequatur illas eße minus quid, & potentiæ huic incomprehensibili subordinatas:* Ex quibus satis patet, quod statuat omnes omninò veritates, quæ ideas,

Vol.2.Epist.104.

Epist.112. vol. 1.

essentias, proprietates omnium eorum quæ ipse Deus non sunt, concernunt, sive existant, aut saltem concipiantur, sive ad Mentium naturam aut ad corpora, eorumve motus regulas, ad figuras, aut ad numeros, aut ad alia quævis referantur, tales esse quià Deus eas tales constituit. Et Deus eas concipit & cogitat tales, non quod eæ ex sese sint tales immutabilesque, sed quod Deo placuerit eas tales statuere; adeò ut veritates illæ sint dependentes à Dei placito & veræ, quià Deo eas placuit sic statuere. Omnes igitur res, ut uno verbo absolvam, cujuscunque naturæ & conditionis eæ fuerint (ipsam proinde quoque voluntatem nostram) propter solam Dei voluntatem & esse, & tales quales sunt esse, asserit cum Augustino dicente, *Quia vides* (sive cogitas) *ea sunt:* vel quia placent ea sunt.

XIX. Quantum autem hæc lux veritatis præstat tenebris vanæ philosophiæ otiosorum & fabulosorum Scholasticorum, qui cum Deum ejusque opera (verba insignis è Palatinatu Philosophi & Theologi mea facio) pro objectis suarum cogitationum despicarentur, figmentis suis inhiantes, nobis cuderunt horribilem scientiam, quam Metaphysicam vocârunt: non eam quidem quæ in cognitione Dei & præcipuarum realitatum, sive veritatum & operationum ab ipso positarum consistens, verissima haberi debet, ad quam etiam quæ hic exstant referri posse confido; sed nonnullam aliam quæ sit de Ente Universalissimo, de Essentiâ, de attributis transcendentalibus, Uno, Vero, Bono, &c. ità ut hæc scientia præscindat à Cognitione Dei & rerum cæterarum, imò eam præcedat: unde quæ concludit attribui possint omni enti sive creato sive increato, infimo & summo. Quasi scilicet cognosci possit aliqua, sive veritas, sive bonitas, sive essentia, cujus fundamentum essentiale & ratio vera atque solida non esset Dei placitum! Quasi veritas ut positiva independens esset consideranda, aut contradistingui posset à Dei dependentiâ & voluntate, cum hoc ipsum sit! Horribile est, quod doceatur aliquid veri de creaturis posteà prædicandi, esse considerandum ut trans-

transcendens respectum ad Dei dependentiam & voluntatem sive placitum. Tenebræ transcendentales sunt isthæc noxiumque figmentum dari talem notitiam verè fundatam de re verâ, sive talem scientiam eamque omnium primam, de Ente, Vero, Bono &c. quo sic homines magis magisque assuescerent omnia spectare ut non dependentia à Deo: Cum tamen omne verum sit à Deo, omnisque certitudo in Dei notitiâ fundata.

XXI. Cum autem hæc verissima Cartesii mens sit, ut in antecessum dilucidè conspicere licuit, anne extremæ malevolentiæ & summæ perversitatis manifestum est indicium, obtrudere huic viro quod voluntatis nostræ actiones independentes à Deo statuerit? cum contra primus sit ille, qui tenebras illas ex philosophiâ, unde in Theologiam Scholasticam & omnia transcenderant, discussit.

XXII. Cæterum, ut omne contradicendi cacoëthes profligetur & pertinacia adversariorum retundatur; audiamus Cartesium de ipsâ nostrâ voluntate ejusque à Deo dependentiâ disserentem. Insignis locus est in Epist. 8. primi volumin. ad Principem Palatinam Elizabetham: *Rationes omnes, quæ Dei existentiam probant, illamque primam esse & immutabilem causam omnium effectuum, qui à libero hominum arbitrio non pendent, mihi videntur probare illum etiam esse causam actionum omnium, quæ à libero arbitrio pendent. Non enim demonstrari potest, quod existat, nisi consideretur ut Ens summè perfectum; non esset autem summè perfectum, siquid in mundo fieri poßet, quod ab illo omninò non procederet: verum quidem est solâ fide doceri nos, quid sit gratia illa, per quam Deus ad beatitudinem supernaturalem nos evehit; sed ex solâ naturali philosophiâ colligere licet, non poße animum humanum vel minimam cogitationem subire, quin velit Deus & ab æterno voluerit. Neque hic locum habet Scholastica distinctio inter causas universales & particulares; ratio enim cur sol, cum florum omnium causa universalis sit, non sit tamen causa quod tulipæ à rosis differant, est, quod earum productio à quibusdam aliis causis ipsi non subordi-*

ordinatis, pendeat; verum Deus ita est rerum omnium universalis causa, ut sit earum etiam totalis, & sic absque ejus voluntate fieri nihil potest. Disertis in hoc textu verbis asserit actiones omnes, quæ à libero hominum arbitrio pendent, à Deo ut primâ & immutabili omnium rerum causâ dependere, siquidem Deus est ens summè perfectum, quod non esset, si quid in rerum naturâ fieret, quod ab eo non proveniret; quinimò ipsam mentem humanam, nullam, ne minimam quidem, posse subire cogitationem, quin Deus velit & ab æterno voluerit, ut mens eam subiret; quoniam Deus omnium omninò rerum ita causa universalis est, ut simul totalis omnium etiam particularium effectuum sit, adeò ut à nullâ causâ externâ ullâ ratione impulsus fuerit, sed pro sólo suo beneplacito & agat & ab æterno egerit, & omnia constituat ac constituerit.

XXIII. Præstantissimus & subtilissimus philosophus Lud. Forgéus in erudito suo de Mente Humanâ Tractatu non levem hic errat errorem, ex nimio Pontificiæ Religionis amore seductus; statuit enim Deum, cum decerneret quid voluntas nostra liberè actura esset; primum prævidisse quomodo voluntas nostra in tali circumstantiâ se determinaret, & postquam jam vidisset, quomodo mens nostra se determinaret, tum demum voluisse & statuisse ut ea absolutè sic contingerent. Atque ita Deum dependentem creaturam ejusque actiones à Deo independentes & Dei decreto priores revera facit. Quæ reliquiæ sunt ex tenebris philosophiæ Scholasticæ & Pontificiæ religionis fermento residuæ, ab orthodoxo & sano philosopho cane pejus & angue detestandæ. Sanior Forgéo & orthodoxæ veritati addictior Cartesius omnimodam voluntatis nostræ ejusque actionum dependentiam inculcat & quomodo nihilominus liberæ remaneant, loco citato docuit; & rursus in sequenti Epistolâ ad eandem Principem idem defendit; *Quantum ad liberum arbitrium, si ad nos tantum attendamus, fateor non posse nos illud non putare independens; sed cum ad infinitam Dei potentiam animum advertimus, non possumus non credere omnia ab illo*

pen-

pendere, & proinde liberum nostrum arbitrium imperio ejus solutum non esse. Implicat enim contradictionem Deum creâsse homines ejusmodi natura; ut voluntatis eorum actiones ab ejus voluntate non pendeant; quia idem est ac siquis diceret potentiam ejus finitam esse simul & infinitam: finitam, cum aliquid sit, quod ab illo non pendet; infinitam vero, cum potuerit hanc rem independentem creare. Sed quemadmodum existentia Divina cognitio non debet liberi nostri arbitrii certitudinem tollere, ita neque liberi nostri arbitrii cognitio existentiam Dei apud nos dubiam facere debet. Independentia illa, quam experimur atque in nobis persentiscimus, & quæ actionibus nostris laude vel vituperio dignis efficiendis sufficit, non pugnat cum dependentiâ alterius generis, secundum quam omnia Deo subjiciuntur.

XXIV. Atque ità vidimus philosophum tum ex naturâ Dei, tum ex naturâ omnium rerum creatarum ipsiusque voluntatis nostræ perspicuè & solidè demonstrâsse voluntatem nostram ejusque actiones à Deo dependere; & refractarium insuper hujus veritatis adversarium deductione ad incommodum sive absurdum convictum esse; & licet præcisè, quâ ratione voluntas nostra à Deo dependeat & libera nihilominus remaneat, comprehendere nequeamus, quia tamen solidis rationibus firmissimè demonstratum est, rem ità, uti dictum est, se habere, nequaquam negari debet. Assertum quoque est independentiam sive libertatem à necessitare naturæ & à coactione, quam in nobis experimur & persentiscimus, non pugnare cum dependentiâ illâ, quâ omnia à Deo ut à causâ primâ universali & totali dependent eique subjiciuntur.

XXV. In Epistolâ autem decimâ ad Principem Elizabetham dilucido exemplo decllarare nititur, quâ ratione & dependens à Deo & simul libera maneat humana voluntas. *Si rex aliquis*, inquit, *edicto monomachiam prohibuisset, & certissimè sciret duos quospiam ditionis suæ nobiles diversarum urbium incolas inter se dissidere, sibique mutuo ita infensos esse, ut si alter in alterum incideret nihil obstare pos-* *Vol. 1.*

possit, quo minus decertent; si inquam rex iste illorum uni mandatum daret, ut versus urbem illam proficisceretur, quam alter incolit, daretque etiam alteri mandatum eundi versus illum locum, in quo prior ille versaretur, certò novit non posse illos sibi mutuo obviàm non fieri, proindeque non certare, atque ità edictum ejus non violare; neque tamen illos ad hoc cogit, ejusque cognitio, imò & voluntas illos ad id hoc modo determinandi, non obstat quin ultrò, & æquè liberè uterque pugnet, ac pugnâsset, si nihil horum rescivisset, aut aliâ quavis occasione illi in se mutuò incidissent, adeòque jure licet in illos animadvertere, ob violatum edictum. Quod autem licet Regi de subditorum suorum quibusdam liberis actionibus facere, (notentur probè, quæ sequuntur) *id Deus, qui præscientiâ, & potentiâ infinitâ pollet, de omnibus hominum actionibus facit: & antequam nos in hunc orbem mitteret, exactè noverat, quales essent futuræ voluntatis nostræ propensiones omnes; illas enim ipse nobis indidit: cætera etiam extra nos ità disposuit, ut hæc & illa objecta se sensibus nostris hoc & illo tempore obiicerent quorum occasione scivit fore, ut liberum nostrum arbitrium nos ad hoc vel illud determinaret: Id ergo sic voluit, sed noluit tamen nos ad hoc cogere. Et quemadmodum in isto Rege distingui possunt duo diversi voluntatis gradus, unus, quo voluit, ut duo hi Nobiles decertarent, cum fecerit ut in se mutuò, inciderent; alius verò, quo id noluit, cum monomachiam edicto prohibuerit: Sic Theologi distinguunt in Deo voluntatem unam absolutam & independentem, quâ vult, ut omnia fiant prout fiunt; aliam verò relativam, quæ ad hominum meritum aut delictum refertur, per quam vult ut legibus suis obtemperetur.*

XXVI. Hæc autem, quæ in antecessum dicta fuerunt, adeò clarâ veritatis luce radiant, ut adversariorum ora prorsus obstruant, & omnem hæreticæ opinionis inustam injuriosè maculam penitus abstergant, & Philosophum orthodoxæ hâc quoque in parte religionis tenacem fuisse evincant. Prorsus enim consentit cum Augustino: *Quapropter & voluntates nostræ tantum valent, quantum Deus eas valere vo-*

De Civ. Dei Lib. V. c. 9.

voluit atque præscivit: & ideò quicquid valent certissimè valent: & quod factura sunt ipsa omnino factura sunt: quia valituras atque facturas ille præscivit, cujus præscientia falli non potest. Et cum Calvino: *Dei providentiâ, non cœlum modo ac terram, & creaturas inanimatas, sed hominum etiam consilia & voluntates gubernari sic asserimus, ut ad destinatum ab eâ scopum rectà ferantur.* Et cum Wetteravicis in Synodo Dordracenâ Theologis: *Voluntas hominis per essentiam suam semper manet libera, etiam quando ad unum determinatur, neque hanc libertatem tollit necessitas illa quæ pendet ex Dei decreto.*

Instit Lib. 1. c. 16. §. 8.

In Actis p. 195. p. 2.

Quæstio Quinta. *An Cartesio voluntas humana sit infinita, & quoad objecta Divina adæquata?*

ET hanc arrogantem inter κυρίας δόξας sententiam Philosophum fovisse clamitant; idque satis constare ex Medit. 4. verbis sequentibus: *Nec verò etiam queri possum quod non satis amplam & perfectam voluntatem sive arbitrii libertatem à Deo acceperim: nam sanè nullis limitibus illam circumscribi experior. Et quod valdè notandum mihi videtur, nulla in me sunt tam perfecta, aut tanta, quin intelligam perfectiora, sive majora adhuc esse posse; nam si, exempli causâ, facultatem intelligendi considero, statim agnosco perexiguam illam & valde finitam in me esse, simulque alterius cujusdam multò majoris, imò maximæ, atque infinitæ ideam formo, illamque ex hoc ipso quod ejus ideam formare possim, ad Dei naturam pertinere percipio. Eâdem ratione si facultatem recordandi, vel imaginandi, vel quaslibet alias examinem, nullam planè invenio, quam non in me tenuem & circumscriptam, in Deo immensam esse intelligam, sola est voluntas, sive arbitrii libertas, quam tantam in me experior, ut nullius majoris ideam apprehendam; adeò ut illa præcipuè sit ratione cujus imaginem quandam, & similitudinem Dei referre me intelligo.* Imò illud manifestissimè patere inquiunt ex art XXXII. part. prim. Principp. ubi scribit. *Intellectus perceptio non nisi ad ea pauca, quæ*

illi offeruntur se extendit, estque semper valdè finita; Voluntas verò infinita quodammodo dici potest: quia nihil unquam advertimus, quod alicujus alterius voluntatis, vel immensæ illius quæ in Deo est, objectum esse possit, ad quod etiam nostra non se extendat. In allegatis enim ex Meditatione quartâ satis validum criminationis fundamentum & argumentum se reperisse jactitant, quippe Renatum asserere ajunt tantam se libertatis arbitrii sive voluntatis ideam in se experiri, ut *majorem nullius apprehendat*, adeòque eam prorsus infinitam faciat, Deique voluntati adæquatam, & hinc eum mox subdere & inferre voluntatem nostram tantam esse, *ut illa præcipuè sit ratione cujus imaginem quandam & similitudinem Dei referamus.*

Quinimò ex citato in Principiis loco dilucidè Cartesium voluntatem absolutè infinitam facere, *cum eam ad omnia Divinæ voluntatis objecta se extendere* expressis verbis scribit.

II. Verum ubi genuinum istorum Cartesii verborum sensum eruerimus ejusque mentem asseruerimus, falsa illa Sycophantarum interpretamenta facillimè evanescent. *Sola*, inquit, *est voluntas sive arbitrii libertas, quam tantam in me experior, ut nullius majorem ideam apprehendam.* Quibus verbis ὑπεροχὴν facultatis volendi sive libertatis arbitrii supra cæteras omnes, quæ in nobis inveniuntur, facultates, puta intelligendi, recordandi, imaginandi, sentiendi & siquæ sint aliæ, evehit & extollit. Quippe Intellectus admodum tenuis, circumscriptus & limitatus; Voluntas contrà ingens, latè patens, imò nullis, quo ad objecta quæ ipsi offeruntur, coarctata limitibus. Intellectus enim noster valdè exiguus, & finitus ad pauca tantum objecta se extendit, ea nimirum quæ intelligit, & verâ perceptione attingit, præter quæ infinita sunt, ad quæ se non potest extendere, nempe ad illa omnia, quæ vel penitus ignorat, vel saltem majori ex parte non percipit, & ad quorum aliqualem cognitionem non nisi longo studio & serio conatu per partes proficere potest; sed voluntas contrà

trà se ad omnia omninò objecta, quæ ipsi offeruntur, ità extendit, ut circa ea actum suum exercere possit; non tantum circa clarè intellecta, sed etiam quocunque modo apprehensa, ea vel volendo, vel nolendo, vel circa ea judicium suspendendo, prout ipsi lubet. Et quandoquidem illa spontaneitas se determinandi in voluntate tanta est, hâc ratione asserit, nos *præcipuè Dei imaginem quandam & similitudinem referre*, quoniam facultas illa minus limitata, circumscripta & *quodammodo infinita*, nos maximè similes reddit Deo simpliciter infinito & nullis essentiæ terminis circumscripto, quam intellectus valdè limitatus. Libertatis igitur idea, quâ quodvis sine exceptione objectum propriâ spontaneitate, ab omni coactione immunes, velle aut nolle possumus, tanta est ut *nullius majorem ideam apprehendamus*. Hæc est enim mens Cartesii, quod in spontaneitate illâ se liberè determinandi suam voluntati Dei parem faciat divinamque humanâ majorem concipi neget, quod nec Dei voluntas nec sua *externâ potentiâ determinentur*. Audiamus enim ipsum Philosophum porrò disserentem: *Non tamen*, ait, *in se formaliter & præcisè spectata major videtur Divina, quia tantum in eo consistit, quod idem vel facere vel non facere (hoc est affirmare vel negare, prosequi vel fugere) possimus*; nempe libertate exercitii sive contradictionis, quâ vel *hoc* vel *illud* liberè eligimus. Et ne Theologi quæstionem moverent de eo, quod voluntatem nostram indifferentem faciat ratione persecutionis boni & mali, præcidit illas controversias; ut jam antea in Synopsi hujus Meditationis se facere præmonuerat; corrigit enim quasi seipsum, asseritque se tantummodò de *affirmatione* & *negatione*, atque hâc ratione de *prosecutione & fugâ*, quæ *solas speculativas* & *solius luminis naturalis ope cognitas veritates* concernunt, heic agere; propterea ut planius mentem exponeret, addidit; *Vel potius in eo tantum, quod ad id quod nobis ab intellectu proponitur affirmandum vel negandum, sive prosequendum vel fugiendum ità feramur, ut a nullâ vi externâ nos determinari sentiamus*, id est in immuni-

munitate à coactione. Quid? An non hæc verba manifestam veritatem continent? si enim intrinseca voluntatis natura in eo consistat, ut sponte velimus, liberi ab omnibus causis determinantibus, quæ impedimento esse possunt, ne liberè in & à nobis excitemus operationem voluntatis, & ne velimus, quod volumus. Quæ quidem voluntas si in nobis sit, manifestum est, ea quidem in parte Divinæ voluntati nostram similem esse. *Cum enim voluntas*, uti loquitur Philosophus, *in unâ tatum re, & tanquam in indivisibili consistat, non videtur ferre ejus natura, ut quicquam ab illâ demi possit*; *illud* autem *indivisibile*, in quo præcisè & formaliter voluntas consistit, est libertas à vi externâ sive immunitas à coactione. Potestne igitur quisquam de intrinsecâ voluntatis naturâ aliud quid concipere, quam hanc jam dictam libertatem? Et confesso, in Deo quoque voluntatem esse, in eo tertio voluntas Divina & humana sibi similes sunt, quod liberæ sint ab omnibus causis extrinsecus determinantibus, quæ impedimento esse possint, ne volentes velint, atque in se excitent operationes, quas velle appellamus: neque ulterius tendit Cartesius. Et quis non agnoscit in voluntate vi liberè agendi à Deo donatâ, esse revera aliquid incomprehensibile & infinitum, & quasi statum creaturæ excedens, quod non potest nisi singularissimo modo Deum ipsum, & quasi immediatè, repræsentare, ut hoc sensu *quasi particula simus Divinæ auræ*, & specialissimè ejus feramus imaginem. Ostendant itaque, siquid inferre contra Philosophum velint antagonistæ, quid nostræ voluntati ademptum sit, ut divinâ illâ major sit, in quantum præcisè & formaliter tantum spectatur. An Deus magis immunis est à coactione, quam nos in actibus voluntatis liberis? An nos minus immunem à coactione voluntatem habemus? At habemus omninò immunem. Et si ullâ vel minima coactio esset, non esset planè libera à coactione, adeoque nec voluntas. Poteruntne igitur dare ideam majoris libertatis & immunitatis à coactione, eâ quæ est simpliciter sine omni exceptione immunis? At talis est voluntatis

tatis

tatis nostræ: Ergo *nullius majoris datur idea*, nempequatenus *in indivisibili* constituta est.

III. Ex genuinâ autem hâc nostrâ sententiæ Cartesianæ explicatione liquidò apparet, eum homini *non omnimodam*, sed tantummodò, uti expresse dicit, *quandam imaginem*, non *similitudinem adæquatam* & *exactam*, sed *analogicam* solummodò asscribere, disertè enim rursus inquit Pass. Parte III. art. 152. *Præter solas actiones dependentes ex isto arbitrio, nihil est unde possimus cum ratione laudari vel vituperari; illudque nos* quodammodo *reddit* Deo similes, *nos* nostri Dominos *faciendo*. Et quià itaque nostra voluntas Divinæ tantum imago quædam est, hinc est veluti tabula, delineamenta umbratilesque designationes voluntatis Divinæ possidens; neque enim necesse est ut delineamenta illa in se possideant easdem perfectiones rei, quam repræsentant, alioquin jam non tabulæ, sed originale ipsum forent, non ἔκτυπον, sed ἀρχέτυπον, qualis imago est solus Filius Dei, *ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Effulgentia gloriæ Dei & expressa vivaque subsistentiæ illius imago.* Etsi itaque voluntas nostra in tertio illo supradicto cum Divinâ conveniat, à Divinâ tamen in infinitum aliàs distat, & ab illâ quoad perfectiones, quæ in illâ sunt excellentissimæ, longissimè superatur; quippe ut ipse Cartesius mox subdit; nam *major absque comparatione* voluntas *in Deo*, quam in nobis, tum ratione *cognitionis* & *potentiæ*, quæ illi adjunctæ sunt, redduntque ipsam magis firmam & efficacem, tum ratione *objecti*, quoniam ad plura se extendit. Quæ verba subdolè intacta præterierunt adversarii; utpote impiam illam sententiam falsò ab illis fuisse Cartesio impactam dilucidè evincentia, Deique voluntati eminentes prærogativas præ voluntate humanâ disertè vendicantia; & proinde paulò latius à nobis deducenda. *Primò* itaque *majorem* agnoscit Divinam voluntatem ratione *Cognitionis*, quia Deus in universum omnia sine ullâ exceptione cognoscit, & in unaquâque re rationem veri & boni, eamque in se independentem, in reliquis omnibus

bus à suâ voluntate dependentem, perspicit, atque ita se & omne bonum verumque constantissimâ & firmissimâ voluntate diligit. Hæc autem conditio, quoniam in humanâ voluntate deficit, hinc homo ad multa voluntate suâ prorsus non fertur, quoniam ea non cognoscit; vel non ut debet fertur, quoniam rationem veri & boni satis clarè non perspicit; vel mutabiliter minusque constanter fertur, quoniam amore suo sæpè aliò, & ad res revera non bonas & veras declinat; & proinde hâc primâ conditione voluntas humana Divinæ variis modis dispar & non adæquata. *Secundò* Majorem divinam voluntatem asserit ratione *Potentiæ*; Deus enim absolutè potens quicquid vult & facere potest, & revera efficit atque operatur; cumque nihil velit nisi bonum & verum, illud solum & illud omne solo voluntatis nutu efficacissimè exequitur: atque hâc secundâ conditione deficit quoque humanâ voluntas, utpote quæ multa vult, sed propter defectum virium perficere nequit. *Tertiò* ratione *Objecti* ea est Divinæ voluntatis prærogativa, quod unico & simplicissimo actu omnia omninò simul novit & vult, quippe cum infinito intellectu est, non opus habet, ut unum post aliud sibi proponat, novosque actus intellectus vel voluntatis eliciat. At humanus intellectus valdè finitus, uti omnia, quæcunque percipit, diversis actibus cognoscit, sic quoque nunquam omnia intellectui simul proponere potest: & voluntas ad ea, quæ nullo modo ab intellectu proponuntur, actu se nunquam extendit, etsi posset, si proponerentur; adeò ut hâc tertiâ conditione voluntas humana quoque deficiat. Quibus adde quod *Dei voluntas* sit *absolutissimè liberrima* quoad res omnes creatas; *nostra* autem *κατά τι libera* quoad actiones tantum nostras: *Divina* est prorsus *independens*, *nostra dependens*: *Divina suôpte jure*, *nostra* ipsius *indultu* & concessu *se determinat*.

VI. Dilutâ in antecedentibus sinistrâ interpretatione verborum quartæ Meditationis, videamus jam an felicius suæ criminationis patrocinium in citato ex Principiis loco inveniant præposteri hi judices. Judicant autem in illis istius articuli dictis

dictis Philosophum homini asscribere voluntatem, quæ quoad objecta æquè latè pateat, quam ipsa voluntas Divina, adeò ut velut hæc infinita est absolutè, pari modo & humana ab ipso statuatur infinita, ita ut nulla sint objecta quæ attingit voluntas Divina, quin eadem etiam humana sibi proponat. Cæterum manifesta hæc est verborum mentisque Cartesii perversio, quippe ità loquitur: *Et quidem intellectus perceptio, non nisi ad ea pauca, quæ illi offeruntur, se extendit, estque semper valdè finita. Voluntas verò* infinita quodammodo *dici potest: quià nihil advertimus, quod alicujus alterius voluntatis vel immensæ illius, quæ in Deo est, objectum esse possit, ad quod etiam nostra se non extendat.* 1. Scopus Philosophi non est voluntatam humanam comparare cum Divinâ, sed tantummodo cum intellectu humano, respectu cujus, utpote qui *valdè finitus* est, voluntas *quodammodo infinita* dici potest; *nequaquam igitur absolutè infinita est*, ne quidem respectu intellectus nostri, nedum respectu Dei, cum quâ heic non nisi ex occasione comparatur. Probat autem 2. voluntatem respectu intellectus *infinitam quodammodo* posse dici, quoniam ad ea, quæ intellectus non nisi confusè & perobscurè cognoscit, se actu extendit; adeò ut circa res plurimas intellectui nostro impervias & incomprehensibiles, tanquam circa propria objecta occupari valeat. 3. Utque hanc voluntatis præ intellectu latitudinem probet, affirmat, quod voluntatis nostra se ad omnes res, quæ vel voluntatis angelicæ vel etiam Divinæ objecta esse possint, extendat; hâc tamen conditione ut objecta illa quodammodo ipsi ab intellectu offerantur & proponantur, *nihil enim unqum advertimus* sive intellectu percipimus, *ad quod non nostra etiam* voluntas *se extendat.* Sed quoniam notissimum est intellectum nostrum non ad omnia voluntatis angelicæ, nedum Divinæ objecta unquam ferri, manifestò igitur ex dictis Philosophi consequitur, ea voluntatis nostræ objecta nunquam esse futura, quoniam nunquam voluntati ab intellectu offerentur. 4. Scopus itaque Philosophi verus est; primò ostendere quidem latitudinem voluntatis præ intelle-

ctu

tu, utpote quæ ad perobſcurè & confuſè cognita ab intellectu ſe extendit, iis aſſentiendo vel ab iis diſſentiendo, vel etiam circa ea judicium ſuſpendendo, quoniam aliqualem tantum veri vel falſi, boni vel mali rationem in iis objectis agnoſcit intellectus. Deinde probare, ex iſtâ latitudine voluntatis præ intellectu errores noſtros præcipuè oriri *quoniam*, ut diſertè ait, *facilè voluntatem, ultra ea quæ clarè percipimus, extendimus; hocque cum facimus, haud mirum eſt, quòd contingat nos falli.* Adeò ut heic Philoſophus etiam culpet facilem voluntatis noſtræ abuſum, utpote errorum cauſam, dum eandem extollit, neutiquam verò Divinæ adæquatam faciat; pateatque in his vel palpabilis adverſariorum ignorantia vel improba mentis Carteſianæ detorſio.

V. Illud autem ſicco pede præterire nequeo Carteſium quidem in voluntate *præcipuè* imaginem Dei ponere, non tamen negare quin & in intellectu noſtro Dei Creatoris imago eluceſcat, quippe in eo mirabiles quoque ſtupendæ Divinitatis reperiuntur umbræ; nempe (ut inſignis è Palatinatu Philoſophi verba mea faciam) à re minimulâ & ferè nullâ repræſentari infinitum, qualicunque id modo fiat, attamen modo infinitum non dedecenti. Quomodo res ulla (cogitatio mea) poſſit ſeipſam, conditionem naturæ ſuæ, excedere? Repræſentationes ſive cogitationes, variationes & modos habere excellentiores, quam ſua ſit natura? An poteſt modificatio ulla excedere naturam ſubſtantiæ ſuæ? An poteſt ferrum tale manens, modificationes, quæ in corpore humano ſunt, admittere, aut aqua modos auri ſuſcipere, aut pulvis inſtar maſſæ ingentiſſimæ modificari? Quî igitur cogitatio finita habebit cogitationem ſive modum cogitandi naturâ ſuâ excellentiorem? Certè mirabilis hujus effectus cauſa extra meam naturam aſſignanda eſt planè mirabilis, ſtupenda, extra ordinem rerum creatarum, incomprehenſibilis hoc eſt exiſtens Deus, qui, ut Sanctus, ſeipſum quærens, vult ſe etiam ut infinitum & incomprehenſibilem depictum invenire; quique, ut juſtus, operari vult modo

do

do Ens infinitum & incomprehensibile decenti, adeóque modo qui non capi possit & sit maximè mirabilis.

VI. Hac itaque ratione potissimum quidem respectu voluntatis, at nihilominus quoque respectu intellectus Homo imaginem Dei gerit, Divinæque essentiæ delineamenta quædam umbratilesque expressiones habet, quæ etsi tenues & dilutæ sunt post prævaricationem primi Parentis, supersunt tamen in tantum conspicuæ, ut & gentes animadverterint hominem Dei Opificis sui gestare imaginem, & tanquam ἔκτυπον exprimere suum ἀρχέτυπον. Ita Ovidius:

Sanctius his animal mentisque capacius altæ
Deërat adhuc, & quod dominari in cætera possit
Natus homo est.

Mens alta id est ratio imaginem Dei exprimit, quod tamen unà dominio in res creatas assignat poëta; quà ratione, ut ait, hominem

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Dei substituat Christianus; absit enim ut cum Grotio dicas: *Vides eum factum ad Dei aut cœlitum imaginem.* Quasi hoc esset idem. Non est homo factus ad angelorum imaginem, quià & angeli cum ipso ad eandem imaginem. Ἀρχέτυπον non est angelus, sed Deus ipse. Ita homo Dei simulachrum Platoni, & Basilio διὰ τὸ δημιουργικόν.

VII. Et quoniam adversarii valdè delectantur & nituntur authoritate veterum, in eorum gratiam insuper adjiciamus quædam testimonia magnorum virorum cum Philosopho nostro consentientium; ut videant & hic falso novitats stigma inuri Philosopho. Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes, Πᾶσιν, inquit, ἀνθρώποις, μάλιστα δὲ περὶ τοὺς λόγους διατρίβουσιν, ἐνέσταχταί τις ἀπόῤῥοια θεική. *Instillatus est quidam effluxus divinus.* Et nequis putet eum hoc sensu dicere quasi Deus aliquid de suâ essentiâ transfuderit in homines; videat eum ex professo ibidem loci Stoicos ipsumque Aristotelem, Deum Mundi animam facientes, redarguentem. Audiatur & Marsilius Ficinus in Argumento Alcibiadis:

Perfectum & absolutum hominis officium est (per hominem mentem intelligit) *primò quidem ut naturam suam animadvertat, & deinde ab illâ tanquam ab imagine & ab effectu ad Divinam mentem exemplar ejus & causam convertatur.* Imo ipse Philosophiæ Peripateticæ Patronus, Francisc. Piccolhomineus in procem. lib. 1. de mente humanâ. *Quicunque humanam mentem considerat, in parvo Mundo intuetur imaginem Dei, in humili sede habitatorem Regium &c. Tenentur itaque animi generosi ut de sui perfectione, ita de mentis consideratione esse soliciti.* Et ut uno verbo absolvam cum Arato; Τȣ̃ (Θεȣ̃) γὰρ γένος ἐσμέν. *Dei progenies sumus.* Quâ ratione nisi respectu mentis? Quod testimonium Paulus ipse ad convincendos Philosophos gentiles in Actis adducit, & suo itaque testimonio approbavit.

Quæstio VI. *An regula, quâ Perceptio clara & distincta tanquam norma veritatis præscribitur, sit periculosa & damnanda?*

INfallibile hoc veritatis κριτήριον ob perversas interpretationes in suspicionem quoque falsitatis imò & hæreseos pertractum est. Nostri itaque & heic officii erit, falsa illa intrepretamenta ostendere & diluere, & genuinum è contra sensum exponere; quod ubi factum fuerit, hanc regulam ab ingenuis non repudiandam, sed pronâ mente admittendam esse protenus confido.

II. Contendunt autem primò adversarii fundamentum huic regulæ substratum Pelagianum involvere dogma; Philosophum enim ejusque sequaces cum Pelagii discipulis negare corruptionem & humanæ mentis perversitatem ex lapsu πρωτοπλαστῶν contractam, sed eos velle facultatem cognoscendi illæsam mansisse, nullisque erroribus esse obnoxiam: talem enim statui Cognoscendi facultatem in homine residuam, quæ sana sit & integra, & qualis ex primævâ Dei creatione fuit: idque satis patere ex Princip. 1. art. 30. ubi inquit: *Cognoscendi facultatem nullum unquam objectum attingere posse, quod non sit verum, quatenus ab ipsâ attingitur*

tur. Cæterum in promptu eſt reſponſio; Eſto enim Philoſophum de lapſu primorum Parentum & conſequenti exinde corruptione, utpote quæ ſolâ revelatione innoteſcunt, & proinde Philoſophiæ limites excedunt, non egiſſe; neutiquam tamen diffitetur, ſed evidenter ſatis agnoſcit, dum perſpicuitatem & claritatem in intellectu, à quâ moveri poteſt noſtra voluntas in rebus fidei, à gratiâ Divinâ eſſe aſſerit. Deinde apertiſſimè quoque non rarò fatetur hominem ex infirmitate & perverſâ judicandi conſuetudine pro claris & diſtinctis crebrò habere, quæ talia non ſunt; quotieſcunque ſcilicet voluntas ſe extendens ultra limites intellectus, iis aſſentitur, quæ non clarè percipit; ex quo fonte agnoſcit infinitos illos ab ineunte ætate, quos fovemus errores & præjudicia promanâſſe: uti ex Meditatione IV. liquidò patet. Jam verò hæc judicandi præcipitantia ex lapſu primi paris Hominum eſt, hinc enim mens noſtra caligat, & ad veritatem perſpiciendam imbecillis eſt, uti cum Gaſſendo non obſcurè fatetur Carteſius. Sed maluit cauſam errorum noſtrorum proximam, nempe nimiam in judicando præcipitantiam, quam remotam, nempe labem originalem adducere. Vti *ex Objectt. Gaſſendi & ad eas Reſpp. Philoſophi* clarum eſt. Imo verò ſi Carteſius ſtatuiſſet mentem humanam in omnibus rectam & ſanam eſſe, & verum ſemper dijudicare, quid hoc monito, hâc regulâ & cynoſurâ rectè judicandi opus fuiſſet? Fruſtra ſanè foret; ſiquidem quod homo ex ſe & ſuâ naturâ ſemper facit, nequicquam præceptis & legibus mandatur. Et denique dum Carteſio obtrudunt, quod cognoſcendi facultatem ſanam & integram ſupereſſe in nobis velit, in os ipſi contradicunt; diſertis enim his verbis claudit Medit. VI. *Agnoſcenda eſt humanæ naturæ infirmitas.* Ut ſileam Philoſophum, dum hanc regulam inculcat, pro ſcopo habere tantummodo res naturali lumine cognitas, & quidem quæ ſub ſolam cadunt contemplationem, quas affirmat, *quatenus à facultate cognoſcendi attinguntur, eſſe veras*, id eſt, quatenus ab eâ clarè & diſtinctè percipiuntur,

In Reſpp. ſecundis num v.

ità se habere, ut intellectus noster illas percipit. Neutiquam verò de actionibus vitæ Civilis, multò minus de Theologicis agit, quod dilucidè videre possent, si liberet inspicere Medit. IV. ejusque Synopsin.

III. Porro invehuntur in hanc regulam criminantes Cartesium cum suis sectatoribus claritatem & distinctionem suorum conceptuum venditare & prætendere, ut alios in suas partes pertrahant iisque fucum faciant, & proinde illam methodum non multum differre à μεθοδείᾳ τῆς πλάνης. Verum dum hæc objiciunt, manifestò falsa loquuntur: quâ ratione enim fieri posset, ut is, qui claram & distinctam alicui præscribit perceptionem, antequam ulli rei assentiatur; ut is, inquam, alteri quicquam obtrudat aut fucum faciat? Quod igitur addunt, Cartesium propter suum αὐτὸς ἔφα sivi velle fidem adhiberi, putidum commentum est ipsiusque impudentiæ vox. Nihil magis urget Cartesius, quam rationem, ejusque evidentem, antequam assentiaris, perceptionem, suam authoritatem nemini obtrudit, passim contrarium inculcat, obsignatque totum suorum Principiorum opus hoc monito: *Nihil à quoquam credi velim, nisi quod ipsi evidens & invicta ratio persuadebit.* Quod autem heic Cartesio fallò assignant, meritò Aristoteli objeceris, fidem cæcam à suis discipulis his verbis efflagitanti, δεῖ γὰρ μανθάνοντα πιστεύειν. *Discentem oportet credere.* Sed video quid sit; displicent quæcunque Cartesius profert: si asserat nos Dei beneficio post accuratum examen multa clarè & distinctè posse percipere; diplicet ipsis: reclamant enim claras & distinctas perceptiones ferè nusquam esse; in rebus Philosophicis nihil ferè certius esse, quam quod nihil certi habeatur: concessum esse nobis lambere vitrum magis, quam pultem lagenæ inclusam. Quæ ipsissimæ Scepticorum voces sunt, à Maresio tamen super hoc negotio prolatæ in libello de Abusu Philosophiæ Cartesianæ. Si Cartesius antea asseruit ab ineunte ætate multa obscurè & confusè esse percepta, imo falsa pro veris admissa, ideoque Dubitationem id est accuratum examen esse adhibendum, ut ea, quæ certò cogni-

Ephes. 4. 14.

nita sint, recipiantur: rursus displicet, & criminantur Scepticismum ab illo induci. Sed quid mirum momo nihil placere?

IV. Præterea culpant quoque obscuritatem in iis, quæ clarè & distinctè Cartesius præcipit percipi; siquidem claræ & distinctæ perceptiones aliis communicari non possint. Sed abundè eos refutat experientia, cujus ipsi testes sunt, dum cum dolore & invidiâ mentis suæ observant quotidie illos plurimis bonæ mentis Viris & adolescentibus communicari, qui modò legitimâ progrediuntur methodo, probéque ad suas, quas menti insitas habent notiones, attendunt, obscuras à distinctis secernendo. Et sanè æquior est ratio culpandi philosophiam Aristotelis & intricatam Scholasticorum inexplicabilium terminorum farraginem, quod obscuritate summâ laborent; ea enim revera nemini communicari possunt, ut probè intelligantur: nemo enim est, qui verè affirmare possit, se obscuram & confusam, quæ pro Aristotelis venditatur, doctrinam, Scholasticorumque involuta ænigmata & infrugiferos maximam partem distinctionum terminos, rectè & plenè percepisse; aut si perceperit, per ea vel latum, ut ajunt, unguem profecisse, aut in rerum naturalium cognitione ex rei veritate quicquam solidè cognovisse. Id enim si factum fuisset, naturas & essentias rerum magis solidè, ut in se sunt, & non tantum quoad corticem externum & quomodo se ad sensus nostros habent, intuiti fuissent & explicuissent; hæc enim & imperitis ac vulgo obvia sunt. Audiant rursus Gassendum hanc inutilem eorum philosophandi rationem inter cætera his verbis increpantem: *Credere certè non possum illos existimare tempus rem esse pretiosissimam; qui*

In Exerc. 2. Adv. Aristot.

Quærentes rerum abstrusas evolvere caussas,
Naturæque intus latitantis pandere claustra;
Materiam primam, vacuumque, ac mille chrimæras
Ructantur buccis inflatis, ut videantur
Docti. -----
Et rerum tamen ignaros hac fruge saginant!

 Hoc

Hoc ſale conditur tenera ac petulantior ætas!
Nec pudet his nugis inſumere turpiter ævum!

V. Denique contendunt hanc regulam fruſtraneam eſſe, ſiquidem inexplicabilis eſt; hærere enim aquam illius patronis, ſi explicandum ſit, quo lydio lapide clara & diſtincta perceptio ab imaginatione & opinione falſâ claræ & diſtinctæ perceptionis probè ſit dignoſcenda. Cæterum falſæ ſunt hæ querelæ! ſi enim libet ipſis explicatam videre hanc regulam adeant authorem, *Principp. part* 1. *art.* 27. Quod autem menti attendenti adeò clarum eſt, uti radii ſolares ſplendidè fulgentes medio die oculis ſunt, ſi nondum videre quis velit, næ data opera cæcutit & oculos mentemque nycticoracis habet. Ubi jam clarè aliquid perceptum eſt, ſi inſuper cognoſcas ad ſolius rei naturam, id quod contemplaris, pertinere, eique ſoli ſejunctim & ſeparatim ab omnibus aliis rebus convenire, adeò ut nulla alterius rei natura in illo conceptu includatur; ſi inquam, ita rem percipiens, nondum auſit pronunciare, ſe rem illam, ut in ſe eſt, percipere; nulla ratio, nulla via eruendæ veritatis reliqua eſt: ſemper neceſſe eſt incerti fluctuemus, Scepticorumque ἐποχὴ ac perpetua dubitatio, imò Xenophanis ἀκαταληψία introducantur; quam ſi amplecti malint adverſarii, quam clarè & diſtinctè perceptis aſſentiri, fatemur nos voluntatem ipſorum cogere non poſſe; nec tamen nos æquè ac illos in Deum, qui *κοινὰς ἐννοίας notiones communes*, ideas & ſemina veritatis, recti ac obliqui nobis indidit, velle eſſe injurios. Cæterum adverto quid ſit: Ignorant ipſi diſcernere claram & diſtinctam perceptionem ab obſcurâ & confusâ, & propterea lapidem lydium exquirunt. Exponamus igitur in ipſorum gratiam, ſi modò dociles ſe præbeant. Habent in mentibus ſuis notiones, ideas ſive cogitationes de rerum naturis ſive eſſentiis, quas Philoſophus in Parte prim. Principp. ab artic. XLVI. ad articulum uſque LXXI. recenſet, ubi claras ob obſcuris, diſtinctas à confuſis ſecernere docet. Has conſiderent, has perpendant, ad has probè attendant, & res ſucceſſu non care-

carebit. Si quis tamen adhuc conqueratur numerum idearum illic recenſitarum nimis prolixum eſſe, quàm ut facilè quiſpiam eas attentè perpendat & conſideret: in illius gratiam addere libet, paucas tantum eſſe primitivas, quarum meminiſſe facillimum eſt. Ad omnes enim proprietates ipſiuſque adeò eſſentiam mentis cognoſcendam, non niſi notionem cogitationis habemus; & ad omnes proprietates corporis ejuſque naturam pernoſcendam, non niſi ideam extenſionis, & deinde figuræ, & motus: & quantum ad naturam Dei attinet, quicquid de eâ ſine ope revelationis cognoſcimus, id in eximiâ illâ & ſublimi notione Entis perfectiſſimi ſitum eſt; unde ſequitur eum ſimpliciſſimum, neceſſarium, infinitum, omniſcium, omnipotentem, & principalem cauſam omnium aliorum eſſe entium. Si quis itaque obſervet notionem aliquam ex eis, quas poſſidet, talem eſſe, ut perſpicuè animadvertat illud ipſum ad rei, quam contemplatur, naturam reverà pertinere, benè procedit; *Perceptionem* jam *claram* obtinet. Pergat porrò; attentè conſideret, an id quod de illâ re cognitum habet, ita illi conveniat, ut non ſimul alterius alicujs rei eſſentia ſive natura involvatur, ſed illi ſoli ſejunctim & ſeparatim ab omnibus aliis inſit; habet quod quæſivit: *Perceptio* enim jam *diſtincta* quoque eſt; ſiquidem rem illam diſtinctam ab omnibus aliis ita percipit, ut à nullâ aliâ quoad eſſentiam ſuam dependeat. ex. gr. Si mentis tuæ naturam vis indagare: percurre, quas habes in mente notiones, invenies unam, quæ tibi exhibet ſubſtantias ſive res per ſe ſubſiſtentes. Applica hanc menti tuæ, & deprehendes ex operationibus & actionibus, quas edit, illam revera rem ſubſiſtentem per ſe id eſt ſubſtantiam eſſe: hinc itaque *Perceptio* tua *clara* eſt, quia clarè vides & cognoſcis de eſſentiâ mentis tuæ eſſe, quod ſubſiſtat. Sed nondum *perceptio diſtincta* eſt; quià conſiderans quoque corpus ſive rem extenſam, facilè animadvertis & hanc ſubſtantiæ ideam huic etiam competere, quod æquè ac mens per ſe ſubſiſtat, id eſt à nullâ re creatâ quoad ſuum eſſe dependeat. Perge

itaque

itaque, perpende proprietates, operationes & attributa mentis tuæ, experieris velle, nolle, affirmare, negare, cupere, averſari & id genus plura; Reduc ea omnia ad generale aliquod attributum, quod perpendenti manifeſtum eſt, Cogitationem eſſe; in illâ enim omnia modò enumerata attributa includuntur. Conſidera jam, an Corpori quoque conveniat Cogitatio? ſi nihil velis admittere; niſi quod perſpicuè intelligis; de corpore id affirmare neutiquam poteris. Et cum idcirco ſoli menti ſeorſim & contradiſtinctè ad corpus convenit; hinc certum eſt, *Perceptionem* tuam jam quoque *diſtinctam* eſſe, & Te ſine periculo erroris affirmare poſſe, mentem eſſe ſubſtantiam Cogitantem.

VI. Dilutis in anteceſſum objectionibus adverſariorum, quæ plurimùm ponderis penes illos habere videntur, paucis jam falſa interpretamenta rejiciamus, & genuinam expoſitionem ob oculos ponamus; inprimis autem illud tenendum eſt hanc regulam ad res vitæ & fidei non eſſe extendendam, uti modò à nobis quoque dictum; neque ullus qui cum Carteſio ex verò philoſophatur, hâc regulâ eum in finem abuſus eſt. Res fidei enim credi debent, etiamſi lumen intellctus noſtri finiti longè exſuperent. Et ſi contingeret Deum aliquid nobis revelare, quod ex lumine naturæ fortaſſis deducere non poſſimus, firmiſſimè tamen credere debemus quodcunque nobis revelatur, & quidem propterea quià clarè & diſtinctè id à Deo revelatum eſſe percipimus. Nam hactenus in rebus fidei clara & diſtincta perceptio locum etiam habet. ex. gr. S. Scripturæ propterea fidem adhibemus de infallibili veritate, quià clarè & diſtinctè intelligimus à Deo eſſe revelatam. Cum enim Deus ſit veriſſimus, imò ipſa potiùs veritas, quicquid ipſi placet nobis revelare, ſine ullâ comparatione aliis rebus perceptis eſt certius; & cum inſuper ſapientiſſimus eſt, mirum nobis videri nequaquam debet, ipſum multa poſſe facere & actu feciſſe, quæ comprehendere non poſſumus, & quæ vires ingenii noſtri excedunt. Sed propterea non exiſtimandum, id quod revelatum eſt, repugnare lumini naturali;

nam cum Deus non sit deceptor, uti nihil revelare potest, quod non sit verum; ita non potuit quoque dare lumèn naturale, quod in falsum tendit, dum eo benè utimur, id est, cum judicia nostra evidenti intellectus perceptioni respondent. Sed neutiquam tamen hoc postremum ita capiendum est, acsi assereremus veritatem semper ubique hominem posse assequi; certissimum enim est neminem semper justam adhibere, vel etiam posse adhibere in omnibus & ubique cautelam; & proinde sæpius unumquemque errori esse obnoxium. Nequaquam enim, quod secundo loco monendum est, hæc regula ità explicanda, acsi jactaret author ejusque asseclæ, nos omnia clarè & distinctè posse percipere. Non enim sonat: *Quicquid verum est, clarè & distinctè percipimus*. Sed, *Quicquid clarè & distinctè percipimus, id verum est*. Nec tertiò ita pervertenda est, ac si vellent, rem propterea ita se habere, & veram esse, quia quis asserit se eam rem ità clarè & distinctè percipere, aut quià clarè & distinctè eam percipit; non enim intellectus noster est norma veritatis rerum, (quod Aristoteles in Ethicis disertè tamen affirmat, dum hominem κανόνα καὶ μέτρον τῆς ἀληθείας constituit) sed veritas rerum, ut in se sunt, est norma & mensura veritatis perceptionum; ideò enim novi & asserere tandem possum me rem probè percipere quia perceptio mea rei naturæ conformis est. Adeò ut quartò denique hæc regula asserat, tum demum aliquem certum esse se veritatem rei istius, quam considerat, probè perspexisse, cum non modò clarè & perspicuè intelligit illud quod in illâ re animadvertit illi revera convenire, sed præterea ita convenire ut illi distinctim ab aliis conveniat, aut ad minimum, quod hæc res distincta ab aliis ita percipiatur, ut nullius alterius essentia in illo conceptu necessariò includatur.

Quæstio VII. *An possimus, modò velimus, cavere ab omnibus erroribus?*

HÆc objecta Cartesio ejusque sectatoribus criminatio affinis est præcedenti, quâ affinxerunt Philosopho eum jactitare, omnia & singula clarè & distinctè ab homine percipi posse: sed veluti illa mera mentis sensusque Cartesii perversio fuit, ita non minor & hæc impostura est.

Quod ut pateat inspiciamus & pensitemus verba Cartesii, ex quibus hanc suam accusationem produxerunt. Excerpunt eum in finem ex Medit. IV. sequentia verba. *Experior quandam in me esse judicandi facultatem, quam certè, ut & reliqua omnia, quæ in me sunt, à Deo accepi; cumque ille nolit me fallere, talem profectò non dedit, ut, dum eâ rectè utor, possim unquam errare.* Quibus addunt insuper ultima ejusdem Meditationis verba: *Nec hodiè tantum didici quid mihi sit cavendum ut nunquam fallar, sed simul etiam quid agendum ut assequar veritatem; assequar enim illam profectò si tantum ad omnia quæ perfectè intelligo satis attendam, atque illa à reliquis, quæ confusius & obscurius apprehendo, secernam.*

II. In citatis illis verbis ajunt Philosophum disertè *sibi facultatem non errandi ascribere, dum talem se facultatem nactum esse à Deo profitetur, quâ omnes errores evitare valeat*; imò prætereà *eum asserere se veritatem ubivis assequi posse.* Cæterum qui mente ab affectibus & præjudiciis vacuo hæc verba allegata ex æquo pensitat, satis videt in illis nihil malesani, nihil perversi contineri; annon eò quod homines sumus judicandi facultatem habemus? annon illam habemus à Deo? an non immunes sumus ab erroribus, dum illâ rectè utimur? Nam si tunc adhuc erremus cùm judicandi facultate à Deo nobis concessâ rectè utimur, id est, dum non nisi clarè & distinctè perceptis assentimur; si, inquam, adhuc erremus, nulla via, nulla ratio veritatem in judiciis assequendi uspiam superest, merusque restat Scepticismus, omni veritatis κριτήριον penitus sublato. Quin imò

imò ipse Deus accusandus foret, quod perversam judicandi facultatem homini indidisset, eumque deciperet; quæ execranda in Deum foret blasphemia. Quod verò ex dictis Cartesii elicere conantur andabatæ, Philosophum omnem penitus non errandi potentiam, & assequendi in omnibus & ubique veritatem homini arroganter asscribere, adeò ut, si modò studium adhibeat, ab omni errore & peccato (huc enim trahunt Cartesii verba) hominem liberum posse esse pronunciet, naturæque viribus bonum, ut ajunt, morale assequi, perversa & falsa est interpretatio. Nam primò sæpius jam anteà monuimus & disertè præmonet in Synopsi Meditationis IV. *Nullo modo agi de peccato vel errore, qui committitur in persecutione boni & mali, sed de eo tantum qui contingit in dijudicatione veri & falsi; idque non in iis, quæ ad fidem pertinent, vel ad vitam agendam, sed tantum ad speculationes & solius luminis naturalis ope cognitas veritates.* Quâ providâ cautelâ omnis Pelagianismi suspicio & impacta Philosopho calumnia longissimè profligatur, & orthodoxia apertè vindicatur.

III. Cæterum, an in rebus naturæ lumine cognitis eam sibi arroget perspicaciam & judicii perfectionem, ut non modò non errandi, sed & veritatem semper assequendi potentiam sibi superesse jactitet, dispiciamus. Asserit quidem facultatem judicandi, à Deo nobis tributam, quatenus ab illo nobis concessa est, non tendere in falsum, & ideo nos in errores non inducere: quid verius? Nam judicandi facultas quatenus à Deo in nobis est, bona & vera, seducere igitur nos non potest, in quantum à boni fonte est; alioquin enim Deus, qui boni veritatisque fons est, nos ipse seduceret & deciperet; cum tamen ab illo summè bono & summè verace Ente omnis seductio, fraus & deceptio planè aliena sit. Eodem prorsus sensu quo Marsil. Ficin. inquit: *Neque enim potest Deus, qui summa veritas & bonitas est, humanum genus, prolem suam decipere.* Non tamen propter jam dicta affirmat Philosophus nos ab erroribus prorsus immunes esse, dum *Relig. Christian. cap. 1.*

 enim

enim inquit; *nos non errare, dum judicandi facultate rectè utimur*: non asserit, nos eâ semper rectè uti; sed ab illâ rectè judicandi facultate multis modis deficere, uti passim ex Meditatione IV. palam est; ait enim: *primò*, quatenus à summo Ente sumus creati, in nobis nihil quidem esse, per quod fallamur, aut in errorem inducamur; sed quatenus etiam quodammodo de nihilo, sive de non ente participamus, hoc est quatenus non sumus ipsi summum ens, desuntque nobis quàm plurima, nullatenus mirum esse quod fallamur: certè enim nos intelligere errorem, quatenus error est, non esse quid reale quod à Deo dependeat, sed tantummodo esse defectum; *nec* proinde *ad errandum* nobis *opus esse aliquâ facultate* in hunc finem *à Deo tributâ*, sed contingere ut erremus, ex eo quod facultas verum judicandi, quam ab illo habemus, non sit infinita. Facultas igitur judicandi quatenus à Deo tributa, bona est, & quantum in homine requiritur, integra; sed defectus, corruptio, error in judicando à nobis est. Nam *secundò* affirmat, nec vim volendi, quam à Deo habemus, per se spectatam esse causam errorum nostrorum; est enim amplissima, atque in suo genere perfecta: neque etiam vim intelligendi; nam quicquid intelligimus, cum à Deo habeamus, ut intelligamus, procul dubio rectè intelligimus, nec in eo fieri potest, ut fallamur. Unde ergò nascuntur nostri errores? nempe ex hoc uno quod cum latius pateat voluntas quam intellectus, illam non intra hujus limites continemus, sed etiam ad illa, quæ non intelligimus, extendimus; atque ità fallimur & peccamus. Tales autem errores à nobis committi asserit *tertiò*, dum illam in nobis imperfectionem esse scribit, quod istâ libertate assentiendi vel non assentiendi non benè utamur, & de iis, quæ non rectè intelligimus, judicium feramus. Imò *quartò* ait nos non posse ab erroribus abstinere, quià evidentem perceptionem in omnibus obtinere non possumus. Nec his dictis repugnat quod *quintò* & postremò ibidem ait; *se hodiè non tantum didicisse, ut nunquam fallatur; sed simul etiam quid agendum sit, ut asse-*

aßequatur veritatem. Nihil enim aliud illic affirmat, quam quod duplicem ex Meditatione IV. assecutus sit utilitatem, nempe duplicem observavit regulam; prima est quæ docet cavere ab erroribus, estque hæc: *Quoties de veritate non liquet, à judicio abstinendum est.* Altera est quæ docet viam quâ veritatem assequi possumus: *Quoties ad omnia quæ perfectè intelligimus, satis attendimus, atque illa à reliquis, quæ confusius & obscurius percipimus, secernimus, voluntatemque in judiciis ferendis ad hæc clare & distinctè percepta extendimus, veritatem infallibiliter assequimur.* Hæ inquam regulæ cum antecedentibus, in quibus non omnia clarè & distinctè percipi à nobis posse ostendit, & in quibus nostram in judicando præcipitantiam accusavit, neutiquam pugnant: longe enim aliud est præscribere regulas quibus servatis errores evitari & veritatem obtineri affirmes; longe aliud est, affirmare illam regulam à te vel quocunque alio accuratè observari posse. Prius agit Philosophus, posterius neutiquam de se vel de ullo affirmat.

IV. Et sanè non culpandus in eo est quod tales præscribat regulas quas homo tamen propter impotentiam servare perfectè non potest, quippe regulæ intendunt semper finem in suo genere planè perfectum, & media ad illum finem obtinendum exquisitissima; cum tamen à nullo unquam vel finis in hâc vitâ absolutè perfectus obtineatur, nec præstantissima omnium adhibeantur media. Præscribunt Jurisconsulti consummatæ justitiæ regulas, nemo tamen unquam consummatè justus evadit. Præscribunt Medici sanitatis pancraticæ præcepta, nemo tamen ea vel accuratè observat, vel absolutè integerrimâ unquam sanitate vivit. Præscribit ipse Deus consummatam ad salutem viam, quam homines nec perfectè tenent nec tenere possunt. Sed an ideò vel Jureconsulti, vel Medici, vel Deus ipse accusandus & sugillandus, quod ea præcipiant, quæ ab homine servari non possunt? Absit atrox illa calumnia. Sed pari ratione, anne igitur culpandus, obtrectandus & calumniandus Philosophus, quod rectam viam & media evitandi errores & verita-

tatem assequendi monstraverit, eò quod nec ipse, nec alii eam sequi unquam accuratè valeant. Optimus ille est, qui rectè monenti optimè paruerit; licet nemo omnimodò rectè pareat.

V. Mirari autem satis nequeo lynceam antagonistarum Cartesii in scriptis ipsius censendis perspicaciam quod Pelagianismum in illis, ubi ne ulla quidem istius semina reperiuntur, deprehendere valeant; & è contra cœcam in evolvendâ Aristotelis philosophiâ stupiditatem, quod in illâ, ubi istius hæreseos manifestissima semina, & robur & ἀκμὴ continentur, ea observare nequeant. Ille enim γνώμην καὶ σύνεσιν καὶ νοῦν, *judicandi & discernendi facultatem & intelligentiam* habere hominem τῆς φύσεως αἰτίας οὔσης, *ab ipsâ naturâ tanquam à causâ* docet, Ethic. VI. c. 12. Afferit porrò *intellectum in senectute maximè nobis naturæ viribus accrescere*, παραγίνεσθαι, *& perfici*, In Problematis sect. XXX. q. V. *Hæc enim veluti sata erumpunt & progerminant: at si institutio & exercitatio tempori accesserint, virtutes istæ*; ut appellat; *intellectivæ facillimè acquiruntur*, Ethic. II. c. i. Imò & *ipsa virtutum semina & ad illas dispositiones nobis innasci & ob ipso ortu inesse statuit*, Ethic. VI. Cap. 13. *adeò ut ad habitum intellectualium & moralium consecutionem & spontaneam electionem bonâ naturæ affectione nobis insitâ apti nascamur, & finem seu bonum naturæ ductu, impulsu & viribus appetamus*, ut disertè scribit, Ethic. III. c. 7. Ubi autem hæc εὐφυΐα *nobis inest nostris actionibus earumque assuetudine præcipue perficimur ac virtutes obtinemus*, uti tradit. Ethic. II. c. i. Et quià *ex pravis actionibus vitia, ex bonis virtutes fiunt, hinc solâ assuetudine educationis, in quâ totum hoc positum est, boni aut mali evadimus. Actiones enim quibus vel boni vel mali evadimus, virtutes vel vitia contrahimus, in nostrâ absolutè sunt* (juxta ipsum,)*potestate & in manu nostrâ, adeo ut nos earum Domini & causa simus, non necessitas, non natura, non fortuna*, (de Deo altissimum est silentium,) *& nos eas pro lubitu vel facere vel*

vel non facere valeamus. Ethic. III. c. 7. Atque ita ἐφ' ἡμῖν τὸ ἀγαθοῖς καὶ κακοῖς εἶναι, καὶ ἐφ' ἡμῖν τὸ ἐπιεικέσι καὶ φαύλοις εἶναι. *In nostrâ*, inquit, *potestate, ut boni & mali simus; & in nostrâ potestate ut frugi simus & nequam.* Ex Aristotelis itaque doctrinâ penes hominem est, ut rectè dirigat vias & actiones suas, suisquè viribus citra opem Divinam (nulla enim illius uspiam mentio) justus evadat: nec mirum, tantâ enim judicii perspicaciâ & prudentiâ pollet, ut in singulis rectum perspicere & eligere valeat, quinimo ut ipse sit norma & regula virtutum, uti disertis scribit, Ethic. III. c. 6. Ὁ σπουδαῖος γὰρ ἕκαστα κρίνει ὀρθῶς, καὶ ἐν ἑκάστοις τἀληθὲς αὐτῷ φαίνεται ὥσπερ κανὼν καὶ μέτρον αὐτῶν ὤν. *singula enim probus vir rectè judicat, & in singulis verum ipsi apparet: quippe qui tanquam regula ac mensura ipsorum est.* Sin contingat, ut *plerumque quidem fieri solet, ut ad vitia procliviores quodammodo nascamur, facile quidem virtutem rectumque assequemur modò in contrariam nos inclinemus partem*, quod appellat, Εἰς τοὐναντίον ἀφέλκειν ἡμᾶς, *quod qui ligna distorta dirigunt, facere consueverunt.* Ethic. II. c. 8. & 9.

VI. Adeò Aristoteles omnia in universum naturæ asscribit & assuetudini. Homines ex sese artium, scientiarum & virtutum primos fontes & earundem perfectores constituit: à propriis enim ipsorum viribus principium, medium & finem omnis cognitionis & omnium omninò virtutum dependere affirmat. Quin hominem ipsum virtutum normam & regulam disertè pronunciat. Nuspiam ad Deum oculos attollit, causis mediis mordicus defixus hæret. Originem & causam boni & mali prorsus ignorat. Naturam enim, per quam temperamentum singulorum hominum intelligit, omnium, quæcunque sunt, virtutum & vitiorum causam procreantem, efficientem & conservantem esse statuit. Quosdam enim naturâ adeò integros & incorruptos nasci, ut ad virtutem à nativitate proni sint, quosdam verò ad malum quidem proniores à naturâ produci, sed hos ipsos tamen suis viribus, non secus ac illi, qui ligna distorta industriâ

ac

ac arte recta efficiunt, corruptam hanc suam naturam posse emendare & suapte curâ ad virtutem emergere. Adeò ut nullatenus Dei auxilio hominibus in sapientiæ & prudentiæ studio opus sit, posse enim eos ex se & per se sine Deo omnia bona & velle & operari. Qui autem in his ipsissimum non videt Pelegianismum & dilucidissima Atheismi fundamenta, næ datâ operâ cæcutit. Nemini autem quicquam obtrudimus, nulli fucum facimus: introspiciat veritatis cupidus ipsum Aristotelem, eumque hæc ipsa & plura his similia docuisse abunde observaturus est.

Quæstio VIII. & ultima; *An sensuum natura sit nunquam non fallere, & semper errare?*

HAnc sententiam totidem verbis adeò crudè & ruditer propositam Cartesio obtrudere non verentur homines malevoli & in scriptis hujus Philosophi parum exercitati, scilicet per fas & nefas Scepticismi reus & agendus & convincendus est: Scepticorum enim vesanus error est, nec intellectui nec sensibus ullam certitudinem inesse, ideòque eis nunquam tutò fidem adhibendam esse.

II. Nos autem ut criminationem hanc perperam & malignè Cartesio impingi ostendamus, primò luculentissimis ex ipso Cartesio testimoniis ejus falsitatem ob oculos posituri, & deinde ratiocinia quædam, quibus Philosophum hujus erroris convinci existimant examinaturi & dissoluturi: & denique genuinum de sensibus eorumque valore Philosophi mentem explicaturi sumus.

III. Et primum quod attinet, audiant & legant ipsum Cartesium conquerentem à calumniatotibus imperitis inter cætera objectum sibi fuisse, quod docuisset, fidem omnem sensibus esse abrogandam; cum è contra expressissimis, ut scribit, verbis ea rejecerit validissimisque argumentis, imo validioribus, quam ab ullo ante ipsum refutata fuerint, refutaverit, & hunc in finem ut commodius & efficacius illud præstaret, se proposuisse initio Meditationum suarum ista omnia tanquam dubia, quæ non ipse primus in-

invenisset, sed à Scepticis dudum decantata essent. Quam maximè autem iniquum esse scriptori alicui tribuere opiniones, quas eò fine tantum refert, ut eas refutet. Adi sis *Notas ad Programma Regii circa finem.*

IV. Quam verè autem dixerit & scripserit se nunquam docuisse omnem sensibus fidem esse abrogandam sequentia satis dilucidè demonstrant. *Postquam*, inquit, *incipio meipsum meæque auctorem originis melius nosse, non quidem omnia quæ habere videor à sensibus temerè puto esse admittenda; sed neque etiam omnia in dubium revocanda.* Audis eum disertè profitentem, se quidem anteà ex hypothesi Scepticorum, (quià eorum argumenta resolvere nondum poterat, utpote cum nondum ordine philosophandi detexisset nec demonstrâsset Deum esse veracissimum) omnia quæ per sensus habemus, ut falsa rejecisse; sed jam è contra, postquam in *Medit.* III. Dei existentiam invictis rationibus demonstrâsset, Deique naturam paulò penitius insuper indagâsset, nempe eundem summè esse veracem non modò, sed & omnis veritatis fontem & datorem, qui cum & ipsos sensus & sensibilium rerum ideas indidit; necessum exinde esse, omnia, quæ à sensibus offeruntur & per eosdem haurimus, nequaquam ut dubia esse rejicienda, sed quædam ut omninò vera esse admittenda.

V. Et hinc ex sensuum perceptionibus, quas habemus mediantibus rebus sensibilibus, ab authore naturæ nostræ Deo, fallere nescio, *rerum corporearum existentiam* solidè demonstrat. Cum enim nobis passiva quædam facultas sit indita sentiendi sive ideas rerum sensibilium recipiendi & cognoscendi, nullumque ejus usum habere possimus, nisi quædam etiam activa, vel in nobis vel in alio facultas existeret ideas istas rerum sensibilium producendi vel efficiendi. Atque cum nec in nobis ipsis, sanè quatenus mentes sumus, facultas illa activa ideas rerum sensibilium producendi, (utpote quæ nullam in suo conceptu intellectionem includunt, secus quam ipsa mens & omnia quæ menti propria sunt) dari manifestum sit; nec in Deo, nec in Ange-

lo formaliter vel eminenter reperiatur facultas illa activa imprimendi nobis dictas rerum sensibilium ideas: non formaliter quidem, quià nec Deus nec angelus nec mens corporea est; nec eminenter, quià Deus, utpote de quo jam constat cum esse summè veracem, si per se immediatè ideas illas nobis immittieret, earum vicem supplendo, fallax esset, quod absurdum: nec mediante angelo vel mente immitti permittit ob eandem rationem; hinc igitur necessariò concludit revera à rebus corporeis easdem ideas(species)emitti,nobisque immitti; & proinde res corporeas easdem emittentes nobisque imprimentes infallibiliter in rerum naturâ existere.

VI. Atque ita ex istis sensuum perceptionibus, quæ in nobis sunt, demonstratâ rerum corporearum ex stentiâ, porrò demonstrat nos habere corpus, quo mediante dolore, fame sitique afficimur, & hinc quoque arctissimam nos, quemque suo cumcorpore, unionem habere, adeò ut unum quid cum illo componamus; adeóque corpus nostri partem essentialem esse; neque nos eo uti tantum, ut separato aliquo organo & instrumento, quod volebant Platonici; nec adesse mentem corpori instar formæ, ut ajunt, assistentis, quæ puro intellectu saltem percipiat incommoda corporis, non vero dolore; quâ ratione nauta percipit visu, siquid in navi frangatur: sed revera mentem corpori suo συμπαθεῖν.

VII. Insuper ex iisdem sensuum perceptionibus nos doceri ostendit circa corpus nostrum alia corpora existere, ex quibus nonnulla nobis sunt prosequenda, nonnulla verò fugienda: nam cum aliquæ ex sensuum perceptionibus, quæ occasione corporum circumjacentium excitantur, nobis gratæ, aliæ ingratæ sunt, planè certum est corpus nostrum aut potius nos, qui ex mente & corpore constamus, variis commodis & incommodis ab illis affici.

VIII. Et quandoquidem admodum diversis sensuum perceptionibus utimur, & alio quidem modo colores, alio sonos, alio odores, alio sapores, alio calorem, duritiem, mollitiem & similia sentimus; imò quoniam & ipsos insuper colo-

res,

res, ſapores, calores cæteraſque, quas vocant, tactiles qualitates adeò varias experimur: hinc concludit & infert Philoſophus, in corporibus ipſis diverſas varietates & modos ineſſe, à quibus variæ iſtæ ſenſuum perceptiones nobis adveniunt.

Hæc autem omnia fuſius & accuratè deducta & demonſtrata reperies in dictâ Meditatione Sextâ, & carptim propoſita PP. part. 2. art. 1. 2. & 3.

IX. Non pigebit interim aſcribere κτ̄ τὸ ῥητὸν ipſius Philoſophi ſub finem Meditationis Sextæ verba, ut Lector à partium ſtudio immunis ὀφθαλμοφανῶς perſpiciat, quanta Renato fiat injuria, dum adverſarii fingunt eum docuiſſe omnem ſenſibus fidem derogandam eſſe. *Nam ſanè*, inquit, *cum ſciam omnes ſenſus circa ea quæ ad corporis commodum ſpectant, multo frequentius verum indicare quam falſum; poſſimque uti ferè ſemper pluribus ex iis ad eandem rem examinandam; & inſuper memoria; quæ præſentia cum præcedentibus connectit; & intellectu, qui jam omnes errandi cauſas perſpexit, non amplius vereri debeo, ne illa, quæ mihi quotidie à ſenſibus exhibentur, ſint falſa, ſed hyperbolicæ ſuperiorum dierum dubitationes* (inter quas & illa fuit ex mente Scepticorum, an omnis ſenſibus fides ſit deroganda?) *ut riſu dignæ ſunt explodendæ. &c.* Et paucis interjectis denuò. *Nec de rerum veritate debeo vel minimum dubitare, ſi poſtquam omnes ſenſus, memoriam & intellectum ad illos examinandos convocavi, nihil mihi quod cum cæteris pugnet ab ullo ex his nuncietur. Ex eo enim quod Deus non ſit fallax, ſequitur omninò in talibus me non falli.* Audi hæc antagoniſta & tuæ te falſæ criminationis pudeat.

X. Et hanc ob cauſam in Phyſicis ad ſenſus tanquam teſtes ſatis fidos, ſæpius provocat, & ſenſus experimenta allegat. Quid durum & fluidum ſit; & quâ ratione omnis motus ſit ex naturâ ſuâ rectus; & quod omne corpus circulariter motum perpetuo tendat, ut à centro circuli, quem deſcribit, recedat, ex ſenſu Tactus ratione adjuto illuſtrat & declarat. Ex viſu demonſtrat ſolis maculas eum *PP. p. 2. §. 39. & 54.*

Vv 2 cir-

circumire ſpatio viginti ſex dierum. Stellas Fixas ſi aliis ſuperiores eſſe pariter ex ſenſu viſus probat, ait enim: *ſitus inæqualitatem unicuique cælum noctu intuenti, tam clarè apparere, ut negari planè non poſſit.* Sic porrò de magnitudine, figurâ, motu juxta ea quæ ſenſibus obvia ſunt ratiocinatur, uti & de Cometis, de Planetis, de Igne, Aquâ, aliiſque, quæ omnia recenſere nimis longum foret.

Pp. p. 3. §. 32. Ibid. §. 48.

Quinimò veritas demonſtrationum univerſæ ſpeculationis Phyſicæ certitudini ſenſuum quodammodo innititur. *Nihil,* inquit, *inter Naturæ phænomena eſt recenſendum, niſi quod ſenſu deprehenditur. Nempe figuras, & motus, & magnitudines corporum conſideravi, atque ſecundum leges Mechanicæ, certis & quotidianis experimentis confirmatis, quidnam ex iſtorum corporum mutuo concurſu ſequi debeat, examinavi. Quis autem unquam dubitavit, quin corpora moveantur, variaſque habeant magnitudines & figuras, pro quarum diverſitate ipſorum etiam motus varientur, atque ex mutuâ colliſione, quæ majuſcula ſunt in multa minora dividantur, & figuras mutent? Hoc non uno tantum ſenſu, ſed pluribus viſu, tactu, auditu deprehendimus: hoc etiam diſtinctè imaginamur & intelligimus.* Et deinde ſubjungit: *Nec puto quemquam ratione utentem negaturum, quin longè melius ſit, ad exemplum eorum quæ in magnis corporibus accidere ſenſu percipimus, judicare de iis quæ accidunt in minutis corpuſculis, ob ſolam ſuam parvitatem ſenſum effugientibus, quam adhæc explicanda novas res neſcio quas, nullam cum iis quæ ſentiuntur ſimilitudinem habentes, excogitare.*

Pp. p. 4. §. 199. 200. 201.

XI. Imò rationem redditurus, quorſum inſenſibilibus corporum particulis, determinatas figuras & magnitudines & motus aſſignat, tanquam ſi eas vidiſſet: ad effectus, quos in rebus ſenſibilibus animadvertit, recurrit; & arte facta in ſubſidium vocat, & per ea rem explicat. *Ad hoc* (effectus ſcilicet corpuſculorum inſenſilium explicandos) *arte facta* ſcribit, *non parum me adjuverunt; nullum enim aliud, inter ipſa*

ipsa & corpora naturalia discrimen agnosco, nisi quod arte factorum operationes, ut plurimum peraguntur instrumentis adeò magnis, ut sensu facilè percipi possint: hoc enim requiritur ut ab hominibus fabricari queant. Contra autem naturales effectus, ferè dependent ab aliquibus organis adeò minutis, ut omnem sensum effugiant. Et sanè nulla sunt in Mechanicâ rationes, quæ non etiam ad Physicam, cujus pars vel species est, pertineant: nec minus naturale est horologio, ex his vel illis rotis composito, ut horas indicet, quam arbori ex hoc vel illo semine orta, ut tales fructus producat. Quamobrem ut ii, qui in considerandis automatis sunt exercitati, cum alicujus machinæ usum sciunt, & nonnullas ejus partes aspiciunt, facilè ex istis, quo modo aliæ quas non vident sint factæ, conjiciunt; ità ex sensilibus effectibus, & partibus corporum naturalium, quales sint eorum caussæ & particulæ insensiles, investigare conatus sum Et hinc tantam sensibus excellentiam in Dioptricæ initio asscribit, ut *ab iis totum vitæ regimen dependere* affirmet. Hæc ex ipso Cartesio carptim deducta abunde sufficiunt ad ostendendum, quam falsa sit illa de sensuum omnimodâ & perpetuâ fallaciâ ab adversariis Cartesio obtrusa criminatio; atque ut ipsi antagonistæ, si ulla forsitan ingenui sanguinis gutta in corde supersit, tot mendacia effutire tandem erubescant. Pp. p. 4. §. 203.

XII. *Obnituntur* tamen contrà frivolis quibusdam objectiunculis, quas ex perfunctoriâ scriptorum Philosophi lectione efformare solent, clamantes Cartesium omnem omninò fidem sensibus denegandam esse docere; nempe id volunt satis patere ex Cartesii Medit. Sextæ verbis sequentibus: *Multa experimenta fidem omnem, quam sensibus habebam, labefactarunt: nam & interdum turres quæ rotundæ visæ fuerant è longinquo, quadratæ apparebant è propinquo; & statuæ permagnæ in earum fastigiis stantes, non magnæ è terrâ spectanti videbantur; & talibus aliis innumeris in rebus sensuum externorum judicia falli deprehendebam; &c.*

Resp. 1. Utinam hi homines mente veritatis cupidâ scripta Authoris evolvissent! intelexissent sanè, nisi spontè cæ-

cutire eligerent, hanc esse ex Scepticorum sententiâ prolatam de omnimodâ sensuum fallaciâ hyperbolicam dubitationem; id disertè, uti jam ostendimus, legere potuissent sub finem *Responsionis ad programma Regii*, nempe hæc à Scepticis sæpius decantata in eum finem tantum proponi, ut refutentur; & quam iniquum est obtrudere alicui authori eas, quas refutandi animo saltem proponitdubitationes? quam ægrè ferrent hi homines & in quantum stomacharentur, siquis ipsis contra Atheos, Scepticos, Judæos, Socinianos, Pontificos cæterosque ab orthodoxâ fide prævaricatores scribentibus, omnia argumenta & ratiocinia ex adversariorum sententiâ formata & proposita obtrudere vellet, & pertinaciter insuper contenderet, esse revera eadem omnia ex ipsorum propriâ mente conscripta & consignata;quam indignabundo hæc jure ferrent animo? reputent itaque secum quantam injuriam Philosopho, & quam justæ indignationis causam ipsius vindicibus præbeant, nisi iræ & affectibus moderari didicissent. Sed & ipse se satis vindicavit, ut superius ostendimus, ibidemque calumnia hæc funditus eversa & sublata est. 2. Verissimum interim est judicia secundum sensus formata, præsertim in particularibus, nos sæpe fallere & ab ineunte ætate fefellisse, ut vel millenis exemplis probari posset, nisi, id jam crebrò factitatum esset, & apud omnes, quibus sanum sinciput est, in confesso foret.

XIII. *Instant porrò*, Certissimum tamen est Cartesium multiplicium fallaciarum & errorum sensus passim agere reos, & solicitè, nequis secundum eos philosophetur, inculcare.

Resp. 1. En quam imbecilla & fallax consequentia: Docet sensus multiplicibus erroribus esse obnoxios, & secundum illos non esse philosophandum; ergo statuit eorundem naturam esse nunquam non fallere, & semper errare. Quis non videt subdolam pervertendi & fallendi in tali argutatore animum? Ferres-ne adversarie quempiam hoc modô ratiocinantem? Omnis homo mendax est, ergo semper mentitur. Non ferres utique, & meritò; meritò igitur

tur & te non ferimus. Sed Sophistarum est Sophismatis uti & παραλογίζεσθαι. Fatemur equidem sensus sæpè fallere in multis, semper & in omnibus fallere pernegamus. 2. Gravissimæ fuére rationes Philosopho, cur adeò solicitè inculcaret sensuum fallacias, & secundum eos philosophandum non esse admoneret. Quippe cum universa Philosophiæ veteris structura adeò labilis & caduca, solis sensuum judiciis suffulta esset, adeò, ut quicquid se scire putarent, solis sensibus acceptum ferrent, & ab his ac per hos se, quicquid cognoscerent, hausisse affirmarent, utpote cum Epicuro ingeminantes assiduò, *Nihil esse in intellectu, quod non prius fuisset in sensibus*. Hinc profectò necesse habuit Philosophus, veræ cognitionis & quidem Metaphysicæ certitudinem studiosè inquirens, ut à sensibus sæpius seducentibus & animo occasionem fallendi præbentibus homines veritatis cupidos abduceret, & proinde varios sensuum errores ostenderet; & hunc in finem ipsa Scepticorum argumenta, utpote quæ noverat per priscæ Philosophiæ fundamenta refutari non posse, adduxit, ut sensuum fidem omninò quasi labefactaret, quo tandem homines iis ut certissimis ad veritatem ducibus renunciare discerent: quod quam ægrè fiat ab iis, qui secundum eosdem philosophari sunt assueti, ipse Philosophus de se conqueritur inquiens, *assiduè recurrunt consuetæ opiniones*, ex præjudiciis nempe sensuum haustæ, *occupantque credulitatem meam tanquam longo usu & familiaritatis jure sibi devinctam.* Quam manifestò id liquet ad calcem Sextarum Objectionum, ubi earum authores profitentur se septies Meditationes Cartesii perlegisse, & licet mentem Angelorum instar, ut loquuntur, pro viribus extulerint, & Metaphysicis rebus jam inde à triginta annis assueti fuerint, rationes tamen in illis propositas ut veras admittere non potuerint. Quæ ratio tantæ stupiditatis, ut docti homines & à tam multis annis in Metaphysicis speculationibus versati, cum jam vel septies evolvissent Meditationes, nondum rationibus in iis contentis assentiri potuerint? quæ, inquam, ratio, quam inveterata secundum sensuum præjudi-

judicia judicandi conſuetudo, ut rectè eis reſpondit Renatus. Hæc enim plurimos ne verum perſpiciant captivos quaſi detinet; hæc pleroſque Lectores harum Meditationum adeò cæcutire efficit, ut futiles plurimas, ſcopum nullatenus ferientes, ſed perpetuâ Ignoratione Elenchi, ut loquuntur Logicorum filii, laborantes comminiſcantur adverſus has veritates paralogiſmos.

XIV. Cæterum ut veritatis amantibus ſatisfaciamus neceſſe erit ut brevibus, quantum ſcopo huic noſtro convenit, exponamus in quibus, & in quantum ſenſibus fides adhibenda ſit, vel etiam deneganda. Atque hoc ut commodè fieri poſſit tria in ſenſibus ſunt diſtinguenda. Primò Motus, qui nervis eorumque fibrillis ab objecto imprimitur, & qui merè corporeus eſt. Deinde Perceptio ex illo motu, quando ad ſedem animæ mediantibus iſtis nervis defertur. Et denique Judicium, quod poſt perceptionem illam ferimus, ex. gr. Cum videmus Turrim, illa nervos oculi movet motu corporeo in oculis excitato per lumen à ſe reflexum; & hinc mox ex illo motu ad ſedem mentis delato mens concipit ideam Turris; unde judicium fert de certâ iſtius turris magnitudine, figurâ & diſtantiâ. Tres autem iſti gradus, qui omnes *ſenſus* & *ſenſationis* nomine ſolent exprimi, & quià perquam celeriter ſe invicem ſequuntur, raró à maximâ parte hominum, & à vulgo, ſaltem quoad ſcientiam, nunquam ſolent diſtingui, cum tamen maximè in ſe diverſi ſint. Nam quando oculus dicitur videre, auris audire, de iis tantum motibus id intelligendum eſt, qui in organo corporeo excitantur, cui tantum primus gradus propriè competit; quum manifeſtum ſit oculum objecta ſua non percipere, nec de illis judicare. E' contra dicimus nos hunc vel illum non vidiſſe, ſi mens aliò avocata, ad eum non attenderit, licet ille ſe nobis obtulerit, præſenſque oculis obverſatus fuerit: quo caſu *viſûs* vox uſurpatur pro ea cogitatione, quæ formatur in mente, ex occaſione eorum, quæ in oculo & cerebro fiunt; & juxta hanc viſus notionem, νοῦς ὁρᾷ, νοῦς ἀκούει, non corpus,

pus ejusque membra, & clarè apparet secundum gradum menti proprium esse. Unde à Platone, & post eum atque ex eo à Cicerone verè assertum est: *Nos enim ne nunc quidem ea oculis cernimus, qua videmus; neque enim est ullus sensus in corpore. Via quasi quadam sunt ad oculos, ad aures, ad nares à sede animi perforata; itaque sape aut aliquâ vi morbi impediti, apertis atque integris & oculis & auribus nec videmus, nec audimus, Ut facile intelligi possit animum & videre, & audire, non eas partes, qua quasi fenestra sunt animi.* Denique usurpantur hæ voces visus, auditus, gustus, tactus, olfactus pro judiciis post perceptiones rerum talium factas, occasione eorum, quæ in organis corporeis efficiuntur.

XV. Bestiæ non nisi primi gradus capaces sunt, & nihil in ipsis observamus vel intelligimus, quod nobis persuadere possit eas in secundo gradu sentire id est propriè percipere: nam licet illa impressio objecti externi deferatur per fibras nervorum usque ad cerebrum; impressio tamen illa, quâ cerebrum afficitur, quià mente & ratione carent, non perceptionem quandam causatur, sed saltem à cerebro exinde varii motus excitantur in corporibus earum per spiritus, secundum varias bestiarum species & dispositiones, quæ in singularum istarum corpore pro eo tempore reperiuntur. Primus & secundus gradus nunquam in homine sunt separati, quando impressio sive motus satis efficaciter ad sedem mentis defertur. Secundus autem & tertius non semper simul inveniuntur, præsertim in sapientioribus, qui, quoniam observarunt sensus sæpius eos fallere sive erroris occasionem præbere, non mox de omnibus rebus, quas sensus eos percipere faciunt, judicium ferre solent, sed, donec accuratè examinaverint sive dubitaverint, illud suspendunt.

XVI. Indubium autem est in sensibus nullum errorem aut falsitatem reperiri, quatenus in organis corporeis fiunt, neque etiam in nudâ mentis perceptione, quæ simplex tantum apprehensio est. Sed omnis error exinde proficitur,

 quod

quod malè judicemus affirmantes vel negantes. Manifestum enim est, quamdiu nihil affirmamus, vel negamus, nos non errare; sed quod aliqui in simplici apprehensione errorem statuerint ex eo contigit, quod eandem à judicio non satis accuratè distinxerint. Superest igitur error sive falsitas tantum timenda in judiciis juxta sensus latis; de quibus jam videndum in quantum valent, vel secus se habent.

XVII. Et proinde jam dicendum est, quando & quomodò juxta sensus judicare licet, quando non; sive quando seductionis metus iisdem subest, aut non; adeoque quando tutò iis fides adhiberi potest, aut non potest.

Primò autem quod attinet ad res spirituales sive potius intellectuales, quià ex antedictis constat omnes sensus ex motu corporeo & ab objecto corporeo excitari; & porrò certum est res intellectuales corporum prorsus expertes esse, nec proinde motus corporeos excitare posse, ideoque per sensus de rebus intellectualibus judicium ferri nec posse nec debere; nam profectò graviter hallucinantur, qui existimant & ipsarum rerum intellectualium puta mentis nostræ & Dei cognitionem à sensu oriri, pronunciantes absolutè, *Nihil esse in intellectu, quin fuerit in sensu.*

XVIII. Contingit equidem ut sono aliquo audito, mentem subeat cogitatio, & exinde notitia multarum rerum: atque ut ex lumine ex chartâ reflexo oculos diversimodè movente, & in mente ideas colorum excitante, quibus characteres varii repræsentantur, sequatur idea seu cogitatio de Deo, de animâ, postea de aliis. Item ut cum esuriens, sitiens, frigens cogitem de mentis & corporis mei inopiâ, & Dei plenissimâ sibi sufficientiâ. Sed siquis exinde colligat se ex coloris vel soni perceptione, vel ex alio etiam affectu, cui sensus corporeus occasionem præbuit, spiritualium rerum notitiam consequi, adeò ut hæc sensibus in tantum alligata sit, ut hi sint ejus non causa quidem, vel exemplar, sed vel occasio, quæ prærequiritur, ut notitia talis exinde sequatur; si quis, inquam, hoc existimet, longè fallitur. Si enim nil magis perfectum, quam quod est in sen-

sibus eorumque ideis, aliunde adesset, nemo unquam ex his in Dei aut mentis notitiam deveniret. Id testantur tot infantes, tardi, plebei, barbari qui verba de Deo, & mente vel audiunt vel legunt, & tamen nunquam justam ullam exinde perceptionem in mente de iis formant. Rerum igitur spiritualium ideæ aliunde, quam à sensibus adsunt menti, quas contemplatur attentè, multa studio multo in iis detegens, quæ demum labore & industriâ coloribus, characteribus, verbis, sonis alligat, ut cùm per corporea à spiritualibus sit sæpe avocata & impedita, vice versâ per illa etiam quandoque minus quam per alia impediatur, memineritque hâc ratione sui ad se reditus: secus autem si foret, in legendo vel audiendo omnis luderetur opera. Verborum externorum plaustra inepta sunt, ut per se positione suâ nudâ, vel visu vel auditu inferant verba interna & notiones, quæ demum verè verba sunt, quæque nemo hominum alteri loquendo insinuare aptus est, sed impressit solus mentium author Deus, ad quæ capienda mente in se reflexâ, cæteris relictis, seriò est attendendum. Id si negent sensuum patroni, exponant igitur quâ ratione fieri possit, ut infantes cum primum fari addiscunt, auditis modò nudis vocibus, res per illas designatas intelligant, quas nemo unquam ipsis ingessit, nec ingerere potuit hominum. Patet itaque sensus in rerum spiritualium cognitione nihil nos adjuvare; sed mentem sibi attentam posse iis rebusque corporeis ita uti, ut quæ sibi sine illorum ope & vi impressa habet, quæque cogitat, eorum occasione non naturali, sed studio multò acquisitâ, iterum in cogitationem possit revocare. Uti videmus pios ex occasione rerum, quas vident corporalium, ilicò assurgere ad Dei virtutes deprædicandas, non virtute istarum rerum corporearum, sed assuetudine crebrâ, qua mentem in contemplando Divino Numine detinuerunt & defixerunt.

XIX. Res igitur corporeæ objectum sensus sunt & de iis secundum sensus vel bene vel malè ferimus judicium, sive rectè iis fidem adhibemus, vel erroneè.

Et rectè quidem sensuum judicio stamus. Primò quoad rerum existentiam sive, ut appellare solent, quoad τὸ ὅτι; non enim metuendus est in eo error, quod sensibus nostris externis adferentibus nobis ideam rei alicujus corporeæ fidem adhibeamus, affirmemusque rem illam extra nos revera existere. ex. gr. Cum sol luce suâ radianti oculos nostros afficit, absonum esset negare solem splendere. Hoc interim tenendum est, illud testimonium à sensibus petitum valere tantùm affirmativè, ut loquuntur, sed non negative; nempe valet illatio: Visus dictat turrim esse; ergo Turris extat: At non valet: Visus non experitur in aëre materiam. Ergo aër est materiæ omnis expers.

XX. Deinde sensuum perceptiones satis infallibiliter docent menti nostræ conjunctum esse Corpus, & nos siti ac fami, dolori ac titillationi esse obnoxios, nosque cum corpore arctissimam habere unionem, ut & supra diximus.

XXI. Tertiò sensus corporei valent, iisque rectè assentimur, cum de iis quæ corpori, commoda vel incommoda sunt, & proinde (quià corpus nostrum pars nostri est) cum quid ex eis toti composito, ex mente & corpore constanti, prosit vel obsit judicaturi sumus; hic enim primarius sensuum scopus est, propter quem ab authore naturæ nobis concessi sunt: nam pro diversitate graduum jucunditatis vel molestiæ, perceptiones sensuum diversam arguunt dispositionem & habitum objectorum externorum, alimentorum, sanguinis & spiritum animalium, ad corporis totius compagem, & inde ad conservationem totius hominis. Externis enim sensibus lux & colores, soni, odores, sapores, frigus & calor, durities & mollities, gravitas & levitas: alimentis, sitis & fames; sanguinis, passiones; & denique spiritibus animalibus, eorumve vasculis dolores & titillationes vehementiores ut plurimum respondent; ideòque sensus sufficiunt, ut juxta eosdem de commodo & incommodo, quoad conservationem compositi & præcipuè corporis judicemus. Et quia perceptionibus istis sensuum qualitates, quas vocant Tactiles, non

rarò respondent, præsertim in rebus arte factis, utpote majoris molis, & proinde aptioribus sensuum objectis; hinc in Physicis sensuum judicia sæpè substernuntur fundamenti loco, ut de rebus per rationem dijudicemus. Cavendum tamen est, ne confusas & tumultuarias illas perceptiones esse putemus ipsarum rerum schematismos, rebus omninò similes & conformes; si enim rerum naturas juxta easdem præcisè dijudicemus in infinitos prolapsuri sumus errores.

XXII. Quartò standum est sensuum judicio in civili conversatione, & in regimine Reipublicæ; nam si in rebus agendis summam evidentiam & certitudinem rationis semper investigare vellemus, rerum agendarum occasio sæpius præteriret: præterquam quod in colloquiis mutuis, in contractibus civilibus plurimisque aliis negotiis id summopere noxium & ridiculum esset: in administratione autem Reip. inevitabilem totius boni publici ruinam procul dubio secum traheret, siquis adventantibus ad regionis limites hostibus, nunciis certissimis, oculatis testibus, imò propriis sensibus rem verissimam annunciantibus non crederet.

XXIII. Ut autem uno verbo omnia complectar, in primâ philosphiâ ubi mentis nostræ & Dei existentia & essentia investigantur, in Mathesi quoque purâ sensus externi nihil valent, licet in hâc imaginatio magnæ efficaciæ sit. In Physicis autem, quia de rebus corporeis scientia est, aliquâ ratione iis standum est, aliquâ neutiquam, quod & in ipsâ Medicinâ locum habet. At in Ethicis, Politicis, Oeconomicis, hisque cognatis disciplinis Jurisprudentiâ, Historicis, aliisque maximi usus sunt. Illud tamen assiduò memori mente tenendum est rationi semper, quantum fieri potest, primas esse tribuendas; sensus enim rationi repugnantes nunquam audiendi, quoniam bruti affectus, cœcique sunt impulsus.

XXIV. Eant nunc Censores Philosophi eumque sequentium, objiciant S. Scripturam ad sensuum certitudinem sæpius provocantem; at nos ex animo gratulamur nobis

bis de sensibus à Deo concessis; probamusque multò efficacius, quàm ipsi criminatores qui accidentia realia cum ipso Papatu introducunt, in Cænâ Domini peractâ benedictione, revera remanere panem & vinum, ipsamque μετουσίαν Pontificiam merum figmentum esse; sed concedant pariter, nisi omnem cultum λογικὸν repudient, potissimas partes rationi & intellectui in actu hoc sacro ritè peragendo deberi, utpote mentem ab externis illis signis, quæ in sensus se ingerunt, ad intelligibilia esse avocandam & supra signa illa materialia ad rem signatam putà Christum cum suis beneficiis esse elevandam.

FINIS.



I N-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
In Proœmio & Exegesi

Numerus Paginam indicat.

A.

unde

D.

Ge-

G.

H.

I.

L.

INDEX.

M.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
IN
Quæstionibus ad Primam Philosophiam.

Numerus Paginam indicat.

FINIS.

